This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

6001025190

PARERI

SULLA DEFINIZIONE DOGMATICA

DELL' IMMACOLATO CONCEPIMENTO

DELLA

BEATA VERGINE MARIA

PARERI

SULLA DEFINIZIONE DOGMATICA

DELL' IMMACOLATO CONCEPIMENTO

DELLA

BEATA VERGINE MARIA

PARERI

DELL' EPISCOPATO CATTOLICO

DI CAPITOLI, DI CONGREGAZIONI, DI UNIVERSITA'
DI PERSONAGGI RAGGUARDEVOLI ETC. ETC.

SULLA DEFINIZIONE DOGMATICA

DELL' IMMACOLATO CONCEPIMENTO

DELLA

B. V. MARIA

RASSEGNATI

ALLA SANTITA' DI PIO IX. P. M.

IN OCCASIONE DELLA SUA ENCICLICA

DATA DA GAETA IL 2 FEBBRAIO 1849

PARTE PRIMA — VOLUME TERZO

ROMA

COI TIPI DELLA *CIVILTÀ CATTOLICA*

1851

110. L. 153.

CCCXXXV.

DEL VESCOVO

DI MALAGA [1]

BEATISSIME PATER

Perlegenti mihi Apostolicas Tuas Litteras ad omnes totius orbis catholici Antistites datas die 2 Februarii anni labentis, illud venit in mentem elogium, quo B. Virgo et Martyr Leocadia sanctissimo Ildephonso Archiepiscopo Toletano, ad illius sepulchrum orante, repente apparens, illum coram magno populi concursu salutavit, et hisce verbis laudavit: « O Ildephonse, per te vivit Domina mea, quae « coeli culmina tenet. » Et merito quidem. Ediderat enim doctissimus Praesul percelebrem illum librum de perpetua Virginitate S. Mariae, in quo validissimis momentis Virginitatem eiusdem Deiparae propugnaverat, et ab eius hostibus, tunc per Hispaniam grassantibus, splendissime vindicaverat. Quapropter gloriosa Virginitas Mariana, quam eius impugnatores offuscare ac extinguere conabantur, per Ildephonsum in clariorem ac quasi novam lucem prodiens, corda per fidem occupavit, atque latissime pervulgata, vividius copiosiusque floruit magna cum gloria Dei eiusque Genitricis, quam omnes Ecclesiae filii corde et animo laeti laudant, et praedicant Matrem felicissimam simulque Virginem purissimam.

Haec mecum attento animo considerans, maxima gratissimaque me tenet spes, praefatum elogium in Sanctitatem Tuam iure optimo casurum esse, proximumque iam puto tempus, quo Christi fideles pro sua quisque parte Tibi gratulabuntur dicendo: « O Pie, per te vivit

1 La presente Lettera è pervenuta agli Editori dopo compiuto il II vol. con cui si pose fine al mese di Decembre 1849; epperò è riportata a questo luogo.

Domina mea, quae coeli culmina tenet. » Et sane, Beatissime Pater, adeo propensum erga piam de immaculata Virginis Conceptione sententiam Te ostendis, ut nulla videatur ratione ambigendi, illam Tua Auctoritate Apostolica tanquam articulum fidei esse definiendam. Quod ubi praestiteris, honoratiorem famam, decorem, et vitam Beatissimae Deiparae impertieris. Vitam, nempe existimationem fidemque firmissimam, qua omnes Ecclesiae catholicae filii corde credent, oreque laeti confitebuntur Mariam nunquam in tenebris peccati iacuisse, semperque in luce gratiae vixisse.

Hanc laudem omni quacumque alia laude maiorem quis non agnoscet ? Hoc decus gratius Beatissimae Virgini omni decore quis non credet ? Corporalis virginitas magnopere mirabilis est, omnique laude dignissima; eius tamen orbitas cum gratia, amicitia, filiatione Dei minime pugnaret; e converso orbitas virginitatis spiritualis, seu innocentiae originalis peccatum originale includeret, quod animam macularet, et occideret, Matrem Dei in principio suae existentiae Deo mortuam efficeret, filiam irae, vindictae ac gehennae, vile daemonum mancipium, sanctisque Angelis obiectum triste atque truculentum.

Merito proinde theologi docent, maius malum, et perniciosius fore Beatissimae Mariae, si unius temporis vel minimo momento gratia santificante carens, peccati originalis coeno obvoluta extiteret, quam si aliorum bonorum coelestium cumulo absolute careret; magisque laudari Deiparam, dum a peccato originali praeservata praedicatur, quam dum ipsius praerogativae ac gratiae gratis datae recensentur.

Satis notum est, Beatissime Pater, sententiam de illibato Mariae conceptu adeo certam his temporibus iudicari, ut a nemine in dubium revocari prudenter possit. Nondum tamen ad supremum certitudinis gradum in fide catholica innixum est evecta. Quamobrem ferventissima fidelium pietas ex corde exoptat, ut ipsius Deiparae Virginitas spiritualis tamquam Articulum fidei definiatur, sicque aequo firmitatis gradu ac eius Virginitas corporalis ab omnibus generationibus credatur; plenoque ore ac iucundissimo animo Reginam

coeli et terrae laudent aura matutina, et iubilent omnes filii Dei, illam praedicando perpetuam Virginem corpore, perpetuam itidem Virginem mente, totam pulchram carne et spiritu ab omni peccato tam actuali quam originali praeservatam, prorsusque immunem, donorum omnium, virtutum, ac charismatum splendore ornatam, tantaque maiestate, iustitia, gratia, innocentia et perfectione nitentem ac micantem, ut longe sit angelica puritate superior, nec ulla maior puritas sub Deo queat intelligi.

His piis enixisque votis, Beatissime Pater, Te benignissime ac religiosissime proclivem ostendis; sed pro ea, qua polles, ampla sapientia, spectabilique prudentia, rem differre opportunum arbitraris, usque dum ab omnibus et singulis catholicis Antistibus ea quae in praefatis Tuis Litteris sunt constituta, executioni mandentur.

Ego igitur, quantum ad me attinet, ipsa Tua placita diligentissime aeque ac libentissime implevi, et perfeci ea ratione, qua hisce meis Litteris Sanctitati Tuae humili atque obsequioso animo exponam.

Et in primis laudatas Tuas Litteras hispane redditas, una cum brevi quidem, sed vivida Mysterii de immaculato B. Virginis Conceptu commendatione superioribus Ecclesiarum istius Dioecesis nuntiavi; eis iniungens, ut ad Offertorium Missae singuli coram sui populi frequentia illas legerent, maximam earundem gravitatem scite apteque aperirent, et exponerent, ac venerationem et obedientiam ipsis debitam dilucide, et efficaciter omnibus edissererent et inculcarent. Certos quoque designavi dies, in quibus Clerici, caeterique utriusque sexus fideles in Ecclesiam convenientes, publicas a me praescriptas preces et supplicationes ad clementissimum luminum Patrem ferventer effunderent, ut Te, sicut pie ac humiliter cupis, in tanti momenti re, quam aggrederis, Divini sui Spiritus luce perfundere, numine afflare dignetur, eiusque auxilio illud recte decernas, quod in maiorem cedat tum sancti sui Nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem.

Haec omnia, Beatissime Pater, in hac civitate Malacitana, in caeterisque huius Dioecesis civitatibus et oppidis etiam parvis peracta fuere, et quidem non sine extraordinariis devotionis ac laetitiae significationibus ex parte tum cleri, tum populi fidelis.

Pietas enim erga Immaculatam Dei Genitricis Conceptionem adeo est in his terris eximia, ut eius festum maiori supra caetera festa ipsius B. Virginis gaudio, pompa, et magnificentia celebretur. Pietas equidem tanto laudabilior, quanto vetustior. Ex tempore quippe immemorabili successione constanti, numquamque intermissa a maioribus ad nos descendit, veluti cum sanguine, ac nutricis lacte transfusa, et quasi haereditas locupletissima. Et revera qui vivunt in ista Dioecesi, sicut et qui a multis retro saeculis eos praecesserunt, singularem ac fervidam in huiusmodi Mysterium intimis visceribus defixam habent, vehementerque proinde cupiunt, et exoptant, ut illud ad supremum apicem honoris religiosi Apostolica Sedes extollat, dogmatice decernendo ab omnibus tamquam articulum fidei credendum esse, atque venerandum.

Quamplura de his proferre possem testimonia, Beatissime Pater; ne autem multus sim, insigniora tantum ex tabulariis excerpta tum ecclesiasticis, tum civilibus breviter exhibebo.

Et primo quidem notissimae sunt acres rixae, scandalosaeque contentiones superioribus saeculis ab intemeratae Conceptionis impugnatoribus excitatae: contra eos vero constanter stetit, atque strenue dimicavit clerus populusque Malacitanus. Quocirca laetissimis plausibus aliisque praeclaris publici iubili demonstrationibus excepta fuit, ubi primum innotuit Pauli V. Constitutio, quae incipit: *Sanctissimus Dominus Noster*, die 31 Augusti 1617, prohibens sub gravissimis poenis, ne quis in posterum auderet in concionibus, aliisque publicis actibus asserere quod B. Virgo Maria cum peccato originali fuerit concepta.

Quae autem haec, ut totius dioecesis exultatione illustrius ac religiosius confirmarentur, capitulum Ecclesiae Cathedralis die 24 octobris eiusdem anni decrevit, ut Missa solemniter celebraretur, eaque peracta, processio generalis fieret ad Ecclesiam B. Mariae sub titulo *de Victoria* in gratiarum actionem ob acceptum beneficium a Divina Providentia immaculatam Virginis Conceptionem extollente per supradictam apostolicam constitutionem. Decrevit insuper ut per tres noctes domorum civitatis frontes luminibus splendentibus in signum laetitiae decorarentur.

Praeterea cum adversariorum iurgia et contradictiones non cessarent, praedictum Capitulum et Senatus civitatis suos conatus pro pia causa sustinenda congeminarunt : atque die 8 decembris anni 1654 coram dioecesano Episcopo Cardinali Ildephonso de la Cueva solemni ritu iureiurando promiserunt, se immaculatam Dei Genitricis Conceptionem perpetuo pie credituros, ac defensuros, sanguinemque immo et vitam ipsam pro illius tuitione libenter amissuros : neque quemquam, nisi prius consimili iuramento obstrictum, in suam societatem recepturos. Quae quidem omnia usque adhuc adamussim et fideliter servantur.

Ex immemorabili porro consuetudine, quae nunc viget, laudatus Senatus civilis quotannis die 8 decembris ad sacra solemnia , quae in Ecclesia Cathedrali magnifico celebrantur ritu , confluit , secum portans vexillum auro splendens , in cuius medio candido mirifice praefulget pulcherrima inaestimabilis B. Virginis imago , consueto de mysterio immaculatae Conceptionis habitu decorata.

Constituit etiam idem Capitulum die 27 septembris anni 1663 , ut omnes Verbi Dei praedicatores, nullo excepto, ante initium concionis semper dicerent: « Benedicatur semper, et laudetur SSmum. « altaris Sacramentum, et immaculata Conceptio Bmae Virginis Ma- « riae Dominae nostrae , conceptae sine peccato originali in primo « suae animationis instanti. » Quo quidem decreto fervens ipsius Capituli zelus excusationes dispulit nonnullorum, qui hanc orationem , licet paulo antea iussu regio praescriptam, recitare detrectabant, obtendentes non esse auctoritate ecclesiastica praeceptam.

Floret etiam in hac, et in caeteris Hispaniarum Ecclesiis alia parilis consuetudo , laudandi scilicet cum cantu solemnissimo in augustioribus festivitatibus mysteria SSmi. Sacramenti expositi , atque immaculatae Conceptionis. Piissimi fideles hispani summopere delectantur in his duobus mysteriis simul proclamandis, et extollendis, quorum primum est fidei dogma, alterum definitionem dogmaticam expectat; utrumque vero eximiam devotamque inter se habet connexionem. Quapropter Sixtus IV in sua Constitutione *Cum praexcelsa*, quam Concilium Tridentinum innovavit, colentibus festum immacu-

latae Conceptionis easdem concessit indulgentias, quas antea Urbanus IV colentibus Eucharistiae Sacramentum fuerat elargitus. Huiusmodi autem inter ista duo mysteria indulgentiarum communicationem plures suadent congruentiae; nimirum quia in Conceptione illibata consecrata fuit, atque immunis a malis ex originali peccato procedentibus, caro Mariae, de qua suam sumpsit Filius Dei carnem, quam nobis in cibum donat in Eucharistia: tum quia in sacro altaris convivio recolitur memoria Passionis eiusdem Dei Filii, ex cuius morte praevisa Deus Pater Mariam in eius Conceptione ab omni labe praeservavit: tum denique quia plurimum ad Dei gloriam, Ecclesiae honorem, animarumque salutem confert, devota exultatione, piaque frequentia colere, publicare ac magnificare ista duo mysteria haereticis maxime invisa, pracipue ex quo Lutherus blasphemando scripsit: *Nullum festum magis odi, quam festum Corporis Christi, et Conceptionis B. Virginis.*

Ex hac itaque flagranti fidelium pietate in Marianae Conceptionis mysterium oritur ipsorum sitiens cupiditas, ardensque affectatio obtinendi a Sede Apostolica definitionem, qua illud ad supremum certitudinis apicem attollatur, ita ut, consimiliter ac mysterium Eucharistiae, ab omnibus tamquam fidei articulus credatur, et veneretur.

Hisce laudabilibus desideriis et votis actum praefatum huius Ecclesiae Cathedralis Capitulum, nomine suo, et totius dioecesis a Clemente XI supplicibus efficacibusque litteris die 6 februarii anni 1714 supradictam definitionem postulavit: eam itidem a Clemente XII die 6 octobris anni 1732 repoposcit; hodieque, Bme Pater, ipsam a Sanctitate Tua enixe ac humiliter iteratis precibus exorat.

Et sane motiva illa tunc temporis existentia et proposita subsistunt in praesentiarum, immo et urgentiora videntur. Dilatio enim huiusmodi gratiae tamdiu expetitae vetustam fidelium erga istud mysterium pietatem non minuit, sed magis inflammavit. Atque, ut de hac mea dioecesi tantum agam, certum est hisce temporibus per totam ipsam sparsos existere quamplures clericos ad defendendum huiusmodi mysterium iuramento astrictos, utpote educatos in aliquo

ex duobus Conciliaribus Seminariis sive Malacae sive Anticariae (Antequera) existentibus, ubi nemo excipitur, nisi prius laudatum iuramentum praestiterit. Augent istiusmodi piorum iuratorum numerum plures insignes nobilesque viri per dioecesim etiam diffusi ordinum equestrium militarium Calatravae, Alcantarae, necnon D. Iacobi, vel Caroli III, seu Elisabethae catholicae, aliorumve similium professores; quibus accedunt Sodales utriusque sexus multiformium Consociationum et Confraternitatum, iuxta quarum constitutiones singuli qui gremio adscribuntur, defendere immaculatam Conceptionem, eiusque cultum sustinere atque propagare iurant.

Istorum omnium innumeram multitudinem alacri animo, libera fervidaque devotione caeteri de Clero et populo prosequuntur; unde fit, quod festum huius mysterii maiori prae caeteris festivitatibus confluentia, et solemniori apparatu ubique celebretur. Perpauca hac super re, ne nimius sim, exempla proferam. Atque ut a civitate hac Malacitana exordiar, ultra ea superius relata de Ecclesia Cathedrali, memorare oportet alias duas titulo immaculatae Conceptionis canonice dedicatas. Harum prima est Monialum Clarissarum, quae votis religiosis consuetis alterum adiiciunt, sustinendi nempe nervis omnibus illibatam Virginis Matris Conceptionem, cuius imaginem in amictu scapulari velut insigne pectorale ostentant, eamque ut eximium suae devotionis testimonium omnibus exhibent. Altera Conceptionis Ecclesia ad clericos minores regulares, extra claustra, ob praesentes luctuosas circumstantias, degentes, atttinet. In ea tamen splendidissimus huiusmodi mysterio cultus tribuitur, ingentes impensas suppeditantibus largissimis piorum eleemosynis.

Porro in praelaudata civitate Anticaria (Antequera) extat praeclara Ecclesia collegiata, cuius canonici, antequam admittantur, iurant se defensuros illibatam Virginis Conceptionem, eiusque festum per singulos dies totius octavae ritu primae classis cum Missa solemni atque concione peragunt. Huius Ecclesiae collegium seminarium, de quo supra, titulo immaculatae Conceptionis decoratur, eiusque iuvenes alumni, qui etiam sicut canonici iurant hoc mysterium defendere, illud in collegii Sacello quotannis per novem dies piis

exercitiis, devotisque laudibus colunt, magnificant, concelebrant atque venerantur.

Praeterea in Ecclesia parochiali S. Michaëlis Arcangelis sacrum novendiale in ipsius mysterii obsequium maxima cum celebritate devotissimoque apparatu quotannis peragitur: quod itidem fit tum in Ecclesia Monialium S. Augustini, titulo immaculatae Conceptionis insignita, tum in alia Monialium S. Clarae, cuius sorores, sicut de Malacitanis dictum est, vovent solemniter tuitionem istiusmodi mysterii, decoranturque in amictu scapulari eodem insigni pectorali, tum insuper in Ecclesiis ad eiectos Regulares pertinentibus, ordinum videlicet Capuccinorum, Observantium, ac Tertiariorum sancti Francisci.

Floret etiam in civitate Foronda (Ronda) amplissimus ordo equestris, cuius praeses est nunc nostrae Hispaniae Regina, ex piis, honestis, et nobilibus viris constitutus, qui ab eiusdem ordinis initio, anno scilicet 1572, devotum erga Dei Genitricis immaculatam Conceptionem studium profitentur: qui etiam in mysterii sacra pulcherrimaque imagine, quam in eorum signis, stemmatibus, et scutis habent infixam, religiose periucundeque gloriantur. Valde autem notare licet, quod hic ordo iuxta suum peculiare statutum tenetur obnixe procurare istius mysterii dogmaticam definitionem, atque eam, cum fuerit obtenta, per ipsos sodales publicare, phaleratis equis insidentes, maximum comitatum, summam pompam, solemnesque laetitiae, exultationis, et triumphi significationes iactantes, atque ostentantes.

Existit quoque in eadem civitate Forondae Monasterium magni habitus Monialium Ordinis de Conceptione, ab Innocentio VIII approbati, et a Iulio II confirmati, auctique nova speciali Regula, quae inter innumera et plausibilia testimonia propensionis Romanorum Pontificum in Mysterium Immaculatae Marianae Conceptionis, iure merito est recensenda. Statuit itaque Iulius II scopum hanc Regulam profitentium esse, Iesu Christo Redemptori nostro desponsari, et eiusdem Genitricis Immaculatam Conceptionem venerari. Deinde capite 3 praecipit, quod « habitus harum Monialium cum scapulari

« sint coloris albi . . . in testimonium virgineae puritatis mentis, et « corporis; pallium autem sit hyacinthini coloris propter mysticam « significationem, videlicet, quod gloriosae Virginis anima a crea- « tione sua tota fuit caelestis, et singularis Regis aeterni thalamus. » Addit etiam Pontifex: « Portent in pallio et scapulari imaginem « Dominae nostrae solaribus radiis circumdatam, et stellis in capite « coronatam . . . . »

Praetereo, Beatissime Pater, brevitatis gratia quamplura in civitate hac Forondensi, eiusque finitimis oppidis publica, et spectabilia monumenta extantia, quae huius Mysterii creditum constanter excitant, et confirmant, eiusque insignem praedicant excelsitudinem.

At bona tua venia subtexam, quod in oppido Arcilasi (Archidona), plus quam septem incolarum millia habente, ex antiquo voto publico celebrantur omnes dies octavae Conceptionis tamquam dies festivi cum abstinentia ab operibus servilibus.

Demum, Beatissime Pater, inter sex supra centum oppida huius Malacitanae Dioecesis iurisdictioni subiecta, nullum est, ubi magis vel minus pro circumstantiarum varietate, signa extraordinaria pietatis erga huiusmodi Mysterium non resplendeant, et constanter edantur; tum per altaria, capellas, et etiam Ecclesias eius titulo erectas atque sacratas, tum per confraternitates ac varias consociationes ad eius cultum et defensionem institutas, tum per anniversaria, capellanias aliasque perpetuas pias memorias ad ipsius cultum sustinendum fundatas, tum denique per frequentiam Sacramentorum, aliaque pietatis opera, quae in eius die festo et infra octavam generatim exercentur. Accedit, quod infantes ex quo vix articulare possunt, a parentibus docentur recitare: *Benedicatur . . . Sanctissimum Sacramentum . . . et Immaculata Conceptio . . .* ut supra retuli, agendo de concionatoribus: quam orationem etiam adulti communiter dicere persolent, dum e lecto surgunt, atque ante initium, et post finem cuiuscumque corporalis vel spiritualis operis seu laboris. Frequentissimum itidem est, in consalutationibus, praesertim ad ingressum in quamcumque domum, dicere: *Ave Maria purissima*, respondentibus caeteris, *sine peccato concepta*.

Ex supradictis ergo, Beatissime Pater, satis liquet insignem atque fervidam esse in hac Dioecesi cleri populique fidelis erga Immaculatam Deiparae Conceptionem pietatem, qua incensi vehementer omnes desiderant, atque obnixe postulant, ut pro maiori ipsius Virginis laude, ferventiorique cultu, Sanctitas Tua rem, ut articulum fidei ab omnibus credendum, solemniter definiat, atque decernat.

Expositis iam Beatissime Pater, quae ad devotionem spectant cleri populique huius Dioecesis erga mysterium immaculati Virginis conceptus, et desiderium obtinendi hac super re Apostolicam definitionem, superest ut ego, iuxta Sanctitatis Tuae placitum, aperiam quid de ipsa re sentiam, quidque exoptem.

Sentio itaque iuxta Constitutionem Alexandri VII., quae incipit: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* anni 1661, gloriosissimam Deiparam fuisse in primo instanti creationis, et infusionis eius animae in corpus ab omni labe peccati conceptam, atque exopto, ut Sanctitas Tua dogmatice id definiat tamquam articulum fidei ab omnibus firmiter credendum: compertum mihi est, atque exploratum indubitanter habeo, huiusmodi definitioni nihil obstare, pluraque validissima rationum momenta favere.

Non obstat in primis, quod ista definitio maximi utique ponderis, attentis temporum circumstantiis, in Concilio generali fieri nequeat; etenim posse Romanos Pontifices istiusmodi controversias, sicut et omnes ad fidem, mores, et religionem pertinentes, per se solos, et extra Concilium definire, ex praxi a primis saeculis usitatissima, consentiente, et plaudente Ecclesia, luculenter apparet.

Non obstat, quod pia sententia de illibata Virginis Conceptione usque a multis saeculis acriter disquisita, atque Sedi Apostolicae iteratis supplicationibus per Episcopos, Principes, et populos ad decisionem impetrandam proposita, numquam tamen fuerit decreta. Non obstat, inquam: quippe causa huiusmodi dilationis non alia est, nisi prudens Ecclesiae aeconomia, secundum quam non omnes veritates eodem tempore ab ipsa Ecclesia definiuntur; sed ea occasione, qua Spiritui Sancto visum est. Propterea Paulus V, instantibus precibus Hispaniarum Regis Philippi III, rogatus, Legato re-

spondit : Se probe scire, quid posset, nec agi hic de sua, ut definiret, potestate; sed de convenientia et necessitate, atque in re tanti momenti lento gressu procedendum esse. Praeterea Synodus Tridentina, quae multa definivit non antea definita, definitionem de qua loquimur iustis de causis praetermisit; quia nempe urgentiores aliae decisiones contra haereticos erant suscipiendae, et pro temporis conditione consultius videbatur, prius adversus haereses manifestas, quam de controversiis inter catholicos, agere.

Non obstat sententia contraria SS. Bernardi et Thomae, aliorumque magni nominis Doctorum illos sequentium. Nam, ut ipse D. Thomas docet, (2. 2. q. 10. art. 12.) « Maximam auctoritatem habet « Ecclesiae consuetudo .... et magis standum est auctoritati Ec- « clesiae, quam auctoritati Augustini etc. » Insuper vulgatissima sunt testimonia eiusdem Angelici Doctoris, quibus asserit, Ecclesiam non celebrare festum, nisi obiecto sancto; unde infert B. Virginis Nativitatem, de qua nullum habemus biblicum testimonium, sanctam fuisse, quia illam Ecclesia celebrat. (3. p. q. 27. art. 1.)

Id ipsum dicere oportet de S. Bernardo. Quocirca theologi communiter censent, quod si isti sancti Doctores modo viverent, totis procul dubio viribus piam, et Ecclesiasticam sententiam de innoxia Conceptione amplexuros esse, aliterque ac olim scripturos, si eis videre licuisset Constitutiones, et decreta Pauli V, Alexandri VII, necnon Clementis XI hac super re lata, atque evulgata. Demum resistentia Doctorum nihil profuit, nec impedire potuit, quominus sententia pia magis magisque per Ecclesias populosque extenderetur, et acceptaretur, ita ut quasi palma ventis quassata vehementius assurgeret, triumpharetque vividius ac gloriosius.

Non obstat denique Scriptura Sacra, quamquam sententiis universalibus omnes homines in Adam peccavisse, doceat. Etenim Synodus Tridentina, quae hoc ipsum sub anathemate ab omnibus de fide credendum decernit (*Sess. 5. decreto de peccato originali*); declarat tamen (*can. 5.*) « non esse suae intentionis comprehendere « in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Imma- « culatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed observandas esse

« Constitutiones felic. recordationis Sixti Pap. VI. sub poenis in « eis Constitutionibus contentis, quas innovat. »

Ex his verbis luculenter patet, sententias universales Scripturae sacrae exceptionem admittere pro immaculata Virginis Conceptione, contra quam illas adducere nihil aliud est, quam actum agere.

E converso Sacram Scripturam piae sententiae favere planum est, atque indubitatum. Quotquot enim ecclesiastici doctores de ipsius Virginis magnalibus scripsere, testimoniis biblicis illa confirmarunt: et iure merito; nam, ut ait S. Bernardus (*Homil. 2. super Missus, num. 4.*): « Missus est Angelus ad Virginem . . . . a saeculo « electam, ab Atissimo praecognitam, et sibi praeparatam, a Pa« tribus praefiguratam, a Prophetis promissam; scrutare Scriptu« ras, et proba quae dico. » Praeterea Auctor sermonum in *Salve Regina* (inter opera s. Bernardi, *Serm. 3. num. 3.*) ait de B. Virgine: « de hac, et ob hanc et propter hanc omnis scriptura facta est. » Pari modo loquuntur alii doctores ecclesiastici, ea ducti ratione, quia nempe B. Virgo divinitus fuit ab initio et ante saecula electa, ut esset Mater Dei, ac proinde numquam seiuncta ab eius Filio, de quo testimonium perhibent scripturae, et cui, salva semper eius praestantia, fuit Mater carne ac spiritu simillima.

Propterea S. Doctor Petrus Damianus (*serm. 11 de Annuntiatione B. V. Mariae*) non timens enuntiare de Maria illud, quod Apostolus (*ad Rom. XI, 36.*) de Christo scripserat, dixit: « Per ipsam, « et in ipsa, et de ipsa, et cum ipsa totum hoc faciendum decer« nitur a Deo, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil re« fectum sit ». S. Bernardus quoque eodem modo sentiens, aiebat (*serm. 2. in Pentec. n. 4.*): « In te, o Maria, et per te, et de te « benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit ».

Ex praedictis apparet, Beatissime Pater, quam apposite Officium de Immaculata Virginis Conceptione, quo Clerus tam saecularis, quam regularis in Hispania ex Indulto Apostolico utitur, et incipit: *Sicut lilium* cum Missa *Egredimini*, permultis testimoniis biblicis est locupletatum. Compositum fuit a Leonardo de Nogarolis, approbante Sixto IV, simul cum pluribus indulgentiis pro illud celebran-

tibus, vel eiusdem celebritati interessentibus, ut constat ex sua Constitutione, quae incipit: *Cum praeexcelsa*, quam Concilium Tridentinum supra laudatum, Romanique Pontifices approbarunt, et innovarunt. Praeterea Officium Romanum cum sua Missa pro usu Ecclesiae universalis iteratis vicibus a Sede Apostolica approbatum, atque praeceptum, insignia biblica testimonia exhibet, ita docens Clerum et populum, quod in Verbo Dei huiusmodi mysterium continetur.

Continetur revera, Beatissime Pater, et quidem in sensu litterali, spirituali sive mystico, ex quo firmum pro hac re depromitur argumentum. Eloquia enim sacra, quibus utitur Ecclesia in huiusmodi Officio et Missa, videlicet: *Dominus possedit me in initio viarum suarum* etc., atque: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita* etc., quamvis de Sapientia generatim loquantur; tamen Sapientiam divinam, aeternam, et incarnatam, simulque eius sacratissimam Matrem, sine qua Filius Dei non potest filius hominis esse, implicite significant; ita ut primario Christum Dominum, et secundario Virginem Mariam designent. Alioquin, quid attinet verba illa sacra in huiusmodi rei usum derivare? Leviter ne, atque incassum ea devote proferre, ac religiosa attentione recitare non decet, ac praecipit Ecclesia?

Sentiendum igitur opinor, Beatissime Pater, certum esse ea certitudine, quae dicitur theologica et moralis, quod mysterium de innocentia originali B. Virginis inclusum existit in supra indicatis divinis eloquiis, aliisque multis passim apud scriptores parthenicos consignatis. Profecto sententia de Immaculata Conceptione, quae vetus erat in Ecclesia anno 1661, et tunc adeo creverat, ut fere omnes catholici eam amplecterentur, teste laudato Alexandro VII in sua Constitutione *Sollicitudo*, est hodie omnino certa in summo gradu, quo maior, nisi qui fide catholica innititur, concipi potest. Ita sentiunt theologi omnes recentiores irrecusabilibus, irresolubilibusque argumentis fundati.

Ex illis satis sit iudicare, laudatum Alexandrum VII partim declarasse, partim decrevisse: 1.° Quod sententia de praeservatione

Virginis in primo suae Conceptionis instanti sit pia, et ita tenenda a Christi fidelibus, ut contrarium nec publice, nec privatim, sive directe, sive indirecte liceat asserere, aut docere, prout sub gravissimis poenis etiam prohibuit, et decrevit Gregorius XV anno 1622, die 24 Maii: 2.° Quod obiectum cultus in festo Conceptionis est secundum istam piam sententiam, adeoque in quantum B. Virgo fuit concepta, non quoad corpus, sed quatenus anima eius statim in primo instanti infusionis in corpus praeservata a peccato originali, et gratia sanctificante praeventa fuit. Deinceps Clemens XI in sua Constitutione *Commissi nobis* anno 1708 hunc cultum ampliavit his verbis: « Venerationem et cultum Dei Genitricis Mariae plurium Ro-
« manorum Pontificum praedecessorum nostrorum more ampliare
« studentes . . . . . festum Conceptionis ipsius B. Virginis Mariae
« Immaculatae ubique terrarum ab omnibus et singulis Christi fi-
« delibus, sicut alia festa, de praecepto servari, celebrari, ac sub
« praecepto observationis festorum comprehendi decernimus, prae-
« cipimus, et mandamus ».

Qualis autem fuisset mos, atque mens Praedecessorum suorum, constat, tum ex supra citatis Apostolicis Constitutionibus, tum ex illa S. Pii V. quae incipit: *Quod a nobis* anno 1568, ubi Breviarium cum Missali a se repurgatum omnibus ad horas canonicas obstrictis servandum sub gravi praecepto proposuit. Ex tunc itaque festi de Conceptione B. Virginis celebratio, quae antea ex libera cuiusque particulari devotione peragebatur, astrictoria evasit, ita tamen ut, salvo speciali Apostolico privilegio, omnes de clero saeculari et regulari singulis annis die 8 Decembris Officium cum Missa facere tenerentur de Nativitate ipsius B. Virginis, mutato tantum verbo *Nativitatis* in aliud Conceptionis. Sic ex illo tempore usque in praesens constanter servatur ab omnibus Romano Breviario ac Missali utentibus, dicentibusque die 8 Decembris: « Conceptio est hodie S. Ma-
« riae Virginis — Gloriosae Virginis Mariae Conceptionem celebre-
« mus — Cum gaudio . . . . cum iucunditate . . . . corde et animo —
« Sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem ».

Sancta igitur est B. Virginis Conceptio, sicut sancta est itidem eius Nativitas, quae ipsissimis verbis ab Ecclesia celebratur. Certitudo autem de mysterio Conceptionis eadem est iudicanda cum certitudine mysterii Nativitatis, immo etiam Assumptionis; et sane: cum ex Clementis XI diplomate supra laudato festum Conceptionis inter festa de praecepto ubique terrarum observanda, fuerit annumeratum, iam pari passu haec tria Deiparae mysteria: ac collatis inter se fundamentis, quibus illa nituntur, iam in aperto est Conceptionem illibatam eodem sensu habendam, quo Nativitas habetur et Assumptio, nullaque prorsus in re illam istis cedere unquam: immo Immaculatae Conceptionis mysterium in eo quidem caeteris praestat, quod Apostolica Sedes, ut ex supra citatis decretis Gregorii XV, et Alexandri VII constat, contrariae opinioni vocem et linguam iamdiu preeciderit, ne quoquomodo sit amplius oppugnatum.

Praestat insuper fama, existimatione ac credibilitate. Quamvis enim sua ipsa mysteria satis abunde credibilia sint, assensu, non quidem fidei catholicae, utpote nondum ab Ecclesia dogmatice definita, sed certitudinis theologicae ac moralis, ut passim demonstrant theologi; nihilo tamen secius Conceptionis illibatae mysterium habet pro se luculentiora veritatis momenta, gloriamque splendidiorem.

Id patet ex multiplicibus miraculis apud historicos fidedignos consignatis, quae a viris piis, doctis atque solertibus habita sunt signa, et quasi verba divina testantia, circumstantiis, et adiunctis perpensis, huiusmodi mysterii veritatem.

Patet etiam ex votis et iuramentis universitatum catholicarum hoc mysterium defendendi emissis sub variis formulis approbatis a respectivis Episcopis, et Ordinariis locorum, inter quas maxime venit notanda illa nonnullis in locis consueta profundendi nimirum sanguinem, mortemque subeundi, si opus fuerit, pro eiusdem mysterii tuitione. Ad universitatum exemplum conformia inveniuntur Capitula ecclesiastica, multaeque clericorum Congregationes, Ordines religiosi, atque militares equitum nobilium, Confraternitates

laicorum, aliaeque multigenae consociationes, Senatus regnorum, civitatum, et populorum, quorum omnium consilium atque studium est, Sanctam, Immaculatam Dei Genitricis Conceptionem venerari, colere, et defendere, ac ipsius insuper devotionem in animos utriusque sexus fidelium insculpere, insculptamque fovere, inflammare, ad Dei, et eius Virginis Matris gloriam, Ecclesiae bonum, et animarum nostrarum salutem. Unde fit, ut inter caeteras B. Virginis festivitates, ista solemniori pompa, ferventiorique pietate ubivis celebretur.

Sed quod omnia hac in re supergreditur, Beatissime Pater, est illud piissimum studium, semper constans, numquamque erga Immaculatam Virginis Conceptionem non propensius Romanorum Pontificum. Immane ac prorsus inenarrabile est, quanta Petri Successores docuerint, atque gesserint in gratiam piae sententiae de Immaculato Conceptu, illam fovendo ac declarando, contrariam ab Ecclesiis, scholis, et etiam privatis colloquiis ablegando, Ordinem religiosum atque innumera sodalitia approbando, templa, altaria, imagines, numismata, coronas precatorias, aliaque his similia copiosis indulgentiis ditando, Horas Canonicas Missamque sapientissima prudentia ordinando, ac inducendo, denique diem festum huius mysterii stricta lege servari ac sanctificari toti Ecclesiae denuntiando.

Praeclara sunt ista, Beatissime Pater, mysteriumque innoxis Conceptionis magnifice sustollunt; at vero pietas fidelium aliud amplius desiderat, vehementerque peroptat. Viget enim adhuc in omnium cordibus vetus ille fervor, quo Reges, ac praesertim Hispani, una cum Episcopis, Ordinibus religiosis, Senatoribus tum ecclesiasticis, tum civilibus, Optimatibus atque Proceribus, theologis, ac praecipue doctoribus Universitatum, aliisque huiusmodi viris, Sedi Apostolicae pro ipsius Mysterii definitione actuosas supplicationes, iterum atque iterum instauratas, humiliter obtulerunt. Neque tamen post eminentem eiusdem Mysterii, ob praelaudatum Clementis XI decretum, clarificationem, flagrans pietas Principum ac populorum elanguit, neque deferbuit; quin potius ex integro renovatae dein-

ceps fuerunt istiusmodi supplicationes, quas inter memorandae illae Caroli VI Romanorum Imperatoris ad Summum Pontificem Clementem XII anno 1732, exponentes : quod etsi universa fidelium vota ; ac desideria definitionem huius pii Mysterii magnopere diu expectarent, efflagitarentque instantissime ; prae caeteris ipsi Imperatori incumbebat in hoc pio ac sancto negotio cunctas exerere vires quam studiosissime in signum gratitudinis, ac debitae recognitionis ob multas insignes victorias a suis praedecessoribus ex infidelibus reportatas ope augustissimae coeli, ac terrae Reginae, aliasque complures, quas in posterum ab ipso reportandas patrocinio eiusdem Virginis firma spe ac fiducia ducebatur.

Consimili devotionis spiritu animatus Rex Catholicus Philippus V. ad ipsum Clementem XII eodem anno supplices instantissimas litteras scripsit, postulans optatam, et saepe efflagitatam huius Mysterii definitionem, asserens : quod ipsi, suisque regnis semper cordi fuit, seque eo plus in hac causa promovenda, obstrictum agnoscebat, quo magis sese obligatum concipiebat, ob accepta a Deipara sub Mysterio Immaculatae Conceptionis tot, ac tam insignia beneficia, et victorias etc.

Nunc igitur, Beatissime Pater, hisce piis desideriis cum intima veritatis Mysterii, de quo agimus, persuasione necessario colligatis, afficiuntur populi cum suis sacris Pastoribus omnium nationum catholicarum, quae quidem moribus, educatione, cupiditatibus, studiis, et opinionibus inter se discrepant, longisque locorum intervallis existunt disiunctae. Haec autem tam universalis, unanimisque consensio nonnisi a Deo mentium, et cordium supremo moderatore potest proficisci.

Qui etiam aliunde cum Ecclesiae suae semper assistere usque ad consummationem saeculi promiserit, numquam illam errare sinere potest in hac re tanti momenti, utpote ad fidem, religionem, et divinum cultum pertinente. Permisit utique piam nostram sententiam ad tempus oppugnari ; id tamen sapientissimo suae Providentiae consilio accidit, ut illa clarior evaderet ope doctorum, quos ipse suscitavit, atque spiritu veritatis replevit, ut rem in Verbo divino scripto, et tradito diutius, ac exquisitius investigarent, et reipsa

invenirent. Quapropter inter doctos et indoctos, inter pastores et oves Christi Ecclesiae per totum orbem dispersae nullus est, ut ex documentis historicis apparet, qui piam ipsam sententiam non amplectatur, eiusque definitionem dogmaticam non exoptet, ut gloriosissimae Dei Matris Virginitas spiritualis ab omnibus tamquam articulus fidei, sicut eius Virginitas corporalis, credatur, atque conglorificetur.

Eia ergo, Beatissime Pater, respice super omnes filios Tuos in Christo charissimos; exaudi propitius eorum instantes ac devotas supplicationes; aperi os tuum in medio Ecclesiae cuius Doctor, et Pastor Supremus existis, atque ex Cathedra quam dignissime occupas, et in qua numquam deficiet fides Petri fac nos audire vocem Tuam, vocem Filii Dei, cuius vices geris in terris, vocem extollentem eius dignissimam Matrem, matremque, vitam, dulcedinem, et spem nostram; vocem, qua laetantibus coelis, et exultante terra, pronunties Mariam semper fuisse gratia plenam, totam pulchram, ab omni labe peccati, etiam originalis, prorsus immunem, numquam Deo mortuam, semper etiam a primo instanti suae animationis Divinae Maiestatis oculis vivam. Fac, ut tua Sanctione Apostolica vivat per fidem divinam, magisque meritoriam in mentibus et cordibus omnium Domina nostra, quae coeli culmina tenet: fac, ut vivat Maria fulgens existimatione, decore, puritate, et fama supra omnes Sanctos, atque choros Angelorum. Sic illam magnifice elucidabis, vitamque aeternam habebis. Interea Deum Optimum Maximum enixe precor, ut per intercessionem eiusdem Sacratissimae Virginis Mariae in sua Immaculata Conceptione, ex morte Christi Filii sui praevisa ab omni labe peccati praeservatae, Te quam diutissime sospitet ad promovendam maiorem tum Divini Nominis gloriam, tum ipsius Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem.

Sanctitatis Tuae, Beatissime Pater

Malacae Idibus Decembris anni Domini 1849.

Addictissimus, et Obsequentissimus Filius

SALVATOR IOSEPHUS *Episcopus Malacitanus.*

CCCXXXVI.

DEL VESCOVO

DI SOLI *IN PARTIBUS*

AMMIN. APOSTOLICO DELLA DIOCESI DI NANKIN

BEATISSIME PATER

Convictus sacratissima Scriptura, traditione lithurgiisque, imo et rationum pondere; tot insuper virorum scientia ecclesiastica splendentium auctoritate suasus; ac in primis mea erga Immaculatam Matrem pietate impulsus propria, toto vitae meae tempore appetii atque rogavi, ut veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam supremus Christi Vicarius definire vellet, Beatissimae Virginis Conceptum Immaculatum omnino fuisse, atqne ab omni prorsus originalis culpae labe immunem. Statim igitur ac directae ad me maxime colendae Suae Sanctitatis Litterae pervenerunt, maxima cum veneratione et amore perlegi, illico publicas preces tota in Dioecesi mihi concredita ad Summi Pontificis intentionem per trimestre peragendas indixi. Nihil reperi tenerius quam Missionariorum omnium totiusque populi fidelis erga Immaculatam omnino Beatissimae Virginis Conceptionem devotio; nihil ardentius quam desiderium quo flagrant, ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur; nihil suavius quam meum gaudium si hoc concedatur. Christiani Nankinenses vix sibi persuadent illud non iam esse dogma definitum eo impatientiori oratione precantur, quod opinio communis apud bene multos viget, nempe, eventurum esse ut decreti istius tot votis invocati dies tamquam praesagium et initium universalis in Imperio Sinensi ab idolis ridiculis ad Dominum Nostrum Iesum Christum brevi tempore perficiendae conversionis illucescat; cui spei omnes quoque mei Sacerdotes indulgent.

Et ego animo versans tristissimas Ecclesiae calamitates atque luctuosissimas Patris Nostri Sanctissimi vicissitudines, confido, Beatissime Pater, almam Matrem, tot acerbissimas angustias materni sui cordis miseratam affectu, velle praesentissimo aeque ac potentissimo suo apud Deum patrocinio, et divinae iracundiae flagella, quibus propter peccata populorum terra affligitur, avertere; et turbulentissimas malorum procellas, quibus ubique iactatur Ecclesia, compescere, dissipare; et luctum Sanctitatis Vestrae convertere in gaudium, modo gratissimum istud Immaculatae suae Conceptionis privilegium ab Apostolica Sede solemni iudicio asseratur. Unde humillime prostratus ad pedes Vestrae Sanctitatis, peto, Beatissime Pater, supplico, efflagito, ut quam primum in honorem Sacratissimae Virginis omni ex capite immaculatae sic fiat.

Interea in oratione cum Maria Matre Iesu perseverantes nostrasque preces cum populo nostro pro Vestra Beatitudine coram Deo et lacrymas effundentes, benedictionem Apostolicam mihi, Clero et meo gregi suppliciter imploramus.

Beatitudinis Vestrae

Datum ex Dioecesi Nankini solemni die Epiphan. Dom. an. 1850.

Humillimus Addictissimus Filius
FRANC. XAV. MARESCA *Ep. Solenen.,*
Admin. Ap. Dioecesis Nankinensis.

CCCXXXVII.

DEL VESCOVO
DI CASALE

BEATISSIME PATER

Quum veterem de Immaculata Beatissimae Virginis Mariae Conceptione quaestionem solemni nunc fortassis Apostolicae Sedis definitioni properantem, piamque ac fere communem quae fidelium praecordiis, intellectus convictione vel obsecundante vel praeveniente, inhaeret de absoluta eiusdem Deiparae Virginis ab originali labe exemptione sententiam, ad omnimodam Fidei catholicae dogmatis certitudinem dignitatemque brevi forsan elevandam per Tuas pridem acceptas humanissimas Litteras intelleximus, ingenti gaudio repletum est cor nostrum, et lingua nostra exultatione; haec enim et nobis ob singulare quo semper affecti fuimus erga Beatissimam Virginem devotionis obsequio, arridebat opinio, hanc plerisque Capituli nostri Canonicis, Parochis, aliisque Ecclesiasticis viris, fidelibusque passim huius Dioecesis arridere sententiam laeto animo invenimus; vox siquidem Immaculatae tum in Lithaniis B. M. V., tum in Praefatione Missae, tum in aliis publicis lythurgicisque precibus communiter adhibetur, enuntiatur, palam publiceque additur quoties de Eius conceptione res est. Quo futurum confidimus ut libenter etiam novae canonicae horae in praefatis Tuis Litteris memoratae benigneque concessae, quasque iam nos in Lythurgico huius anni Dioecesano Kalendario induximus ab universo Dioecesis Clero excipiantur.

Hos igitur nostros nostrique Cleri ac populi sensus, haec esse vota testantes, Tibique, Beatissime Pater, pro data nobis facultate ac iussione pandentes, Deum simul toto corde rogamus ut pro

maiori sui nominis gloria Beatissimae Virginis laude et cultu, militantisque Ecclesiae utilitate omnipotenti providentiae suae virtute res ita conponat, temporumque miserabilium vices emollire dignetur, ut quam alii inopportunam maxime trepidant huiusmodi definitioni aetatem hanc nostram, opportunam divinitus factam tempestivamque fateri omnes uno ore valeamus.

Nos interim dum humillime ad pedis osculum provoluti Apostolicam nobis dilectoque huic gregi nostro Benedictionem praestolamur Sanctitati Tuae fausta omnia precamur.

Beatissime Pater

Dab. Casali 8 Ianuarii 1850.

Humill. Addict. Filius
ALOYSIUS *Episcopus Casalen.*

CCCXXXVIII.

DEL VESCOVO

DI ELIOPOLI *IN PARTIBUS*

VIC. AP. DI GIBILTERRA

BEATISSIME PATER

Litterae Encyclicae a Sanctitate Tua Caieta die 2ª. Februarii anno praeterito datae ad manus meas die 17ª .mensis Augusti pervenerunt. His in literis Sanctitas Tua solicitudinem Episcoporum excitare dignata est omnibusque inculcare, ut quisque in propria Dioecesi publicas preces peragendas curaret, quo clementissimus luminum

Pater Te superna Divini Sui Spiritus luce perfunderet, ut illud in definienda et decernenda Immaculata Conceptione Beatae Virginis Mariae suscipere valeres quod ad maiorem tum sancti Nominis sui, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere.

Simul ac per reditum quorumdam ex Patribns Missionariis huius Civitatis tunc absentium morem Tuis piissimis ac sanctis votis gerere licuerit, publicas preces indicendas populumque concionibus excitandum curavi, quo ardentius cupidiusque Omnipotenti Deo pro copia supplicaret, ut mentem Sanctitatis Tuae collustrare dignaretur, quatenus in re tanti momenti et a permultis tamdiu tamque vehementer expetita suscipere valeret et quod ad maiorem Dei Nominis honorem et Matris Virginis laudem redundaret, militantisque et oppressae Ecclesiae utilitatem magis conferret. Invitationi a Cathedra Petri, quam devotissime veneratur, a Centro Unitatis, cui fidelissime devincitur, a Vicario Iesu Christi, quem summa observantia colit, provenienti magno fervore et assiduitate populus hic respondit, et templa fideles vocibus repleverunt et suspiriis Deo supplicantes ne Mater Domini Salvatoris nostri hoc onore diutius privaretur.

Finitis precibus Clerum convocavi qui et suam erga Immaculatae Virginis Conceptionem devotionem manifestaret ac desideria populi ab iisdem comperta patefaceret. Una vox ex omnibus erupit: « tem-
« pus advenisse quo Vicarius Iesu Christi, si Sanctitati Suae bene
« visum fuerit decerneret decreto definiret Mariam semper Virginem
« sine labe peccati originalis conceptam fuisse; talemque decisionem
« et ad maiorem Dei Nominis honorem et ad Beatissimae Virginis lau-
« dem valde collaturam novumque Ecclesiae auxilium allaturam. ».

Pusillitas quoque mea in aure Beatissimi Patris Pii vota sua etiam atque etiam susurrare audet enixeque precatur, ut per decretum solemne Sanctitas Tua sigillo veritatis hanc opinionem Universalis fere Ecclesiae obsignet; ut si Mariae Mater et Virgo et maiori reverentia honoretur in terris ac eius Immaculata Conceptio nunquam amplius in disceptationem vocetur. Confidenter enim spero

ex hac solemni decisione Mariam, cui haereses in universo mundo interimere datum est, et novam lucem Sanctitati Tuae ad navim Petri inter furibundas huius temporis procellas feliciter gubernandam, peramanter impertituram; manumque Ecclesiae auxiliatricem commotiones et insidias populorum cohibendo, perofficiose porrecturam.

Ad genua Sanctitatis Tuae humillime provolutus benedictionem Tuam super se, Clerumque populumque suae curae commissum cum osculo pedum enixe rogitat minimus Episcoporum et filius obsequentissimus

Gibraltariae die 10 Ianuarii 1850.

FR. HENRICUS HUGHES *Eps. Heliopolitanus*
Vicarius Apostolicus Gibraltariae.

CCCXXXIX.

DEL VESCOVO

DI ETALONA

VIC. AP. IN BIRMINGHAM *DISTRETTO CENTRALE D' INGHILTERRA*

BEATISSIME PATER

Litterae in universam Ecclesiam a Sanctitate Tua emissae, quae cunctos Episcopos ad responsum invitant, quo quisque sensum suum, tum cleri et fidelium ei subiectorum Beatitudini Tuae declararet circa Immaculatam B. M. Virginis Conceptionem, omni veneratione et gaudio a me receptae sunt, ex quibus extracta absque mora in publicum edidi, et preces ad lumen supremo Pastori Ecclesiae, Beatitudini Tuae scilicet, augendum super hoc mirabile mysterio, indixi.

Responsa etiam ex omni clero expetii qui omnes, uno ore, testati sunt, uno solo qui ortu alienus est excepto, sensum eis esse, et, ut plures addiderunt, a iuventute fuisse, Beatam Mariam Virginem semper immaculatam fuisse, et ab omni labe peccati praeservatam. Idem pium responsum omnes conventus religiosorum retulerunt, patribus ordinis Praedicatorum nullo modo exceptis.

Et omnes simul huius districtus, vix uno excepto, desiderium exprimunt, et quidem fervidum, aliquam dogmaticam declarationem accipiendi a Beatitudine Tua super hoc pio mysterio. Quibus cum gaudio cordis mei attentis, privilegio utens a Beatitudine Tua mihi speciali rescripto concesso, districtum centralem positum esse sub patrocinio B. M. Virginis immaculate Conceptae, tanquam Patronae principalis ex concessione apostolica, in eius die festo, declaravi.

Pietas vero et observantia religiosa qua acceptum fuit hoc patrocinium, animi erga Beatitudinem Tuam grati pro tanto favore indicia data, et fiducia quod ex hoc suo actu religio nova incrementa inter nos acciperet, abunde probant qualis sit sensus Cleri et fidelium istius districtus circa mysterium Immaculatae Conceptionis.

Quod vero ad sensum meum attinet ex quo tempore, Episcopus Ecclesiae, ex Apostolico favore consecratus sum, nullam occasionem omisi exaltandi et inculcandi hoc grande mysterium cum speciali devotione tanquam fidei proximum. Occidentali districtui adhuc praepositus, illum quoque sub eodem sacro patrocinio ponendum curavi: et ad pedes Sanctitatis Tuae supplicem petitionem posui, humiliter precans ut de hoc Mysterio Immaculatae Conceptionis aliqua dogmatica declaratio a Sancta Sede ederetur in aedificationem et exaltationem Ecclesiae Dei.

Quod Deus Beatitudinem Tuam in bonum Ecclesiae sospitem et felicem diu conservet, et ab omnibus inimicis defendat incessanter precor;

Beatitudinis Tuae

Birminghamiae die 14. Ianuarii 1850.

Servus Humillmus, Devotissimus Obseqmus.

GULIELMUS BERNARDUS *Ep. Hetalon. et in Dist. Centr. Angliae Vic. Ap.*

CCCXL.

DEL VESCOVO
DI LIMBURGO

BEATISSIME PATER

Quas mihi Sanctitas Tua circa pientissimam sententiam de immaculata Beatae Virginis Mariae Conceptione solemni S. Sedis iudicio decernendam mittere dignata est Litteras, maximo cum gaudio excepi. Quum enim a prima iam adolescentia beatissimam et immaculatam semper Virginem Mariam singulari pietate colere edoctus, ab illo praesertim temporis momento, quo invitus quidem et nullis meis meritis, sed incomprehensibili Dei consilio ac S. Sedis Apostolicae gratia huic Limburgensi Ecclesiae praepositus pondus universi populi huius humeris infirmissimis impositum sensi, Eam veluti Adiutricem et Matrem tum meam tum totius gregis mihi commissi elegerim atque ferventiori exinde cordis affectu veneratus sim: nil mihi profecto iucundius, nil acceptius esse potuit, quam audire, talem Te, Beatissime Pater, Tecum volvere cogitationem, ut Sanctissima Virgo, immaculata Eius conceptione solemniter declarata, novo adhuc in terris honore amplificaretur; quod ut fiat equidem quam maxime exopto. Et certe, quid magis congruum esse posset, quam ut mulier illa fortis et invicta, quae inter ipsa nascentis mundi primordia ad serpentis caput conterendum ventura praedicta est, hisce ultimis, ut multi quidem putant, diebus gloriosa et intacta draconis Victrix exultantis Ecclesiae voce per universum orbem praedicaretur! Quid porro aequius, quam ut hisce ipsis temporibus, ubi mulier fornicaria, sedens super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiae, mater fornicationum et abominationum terrae, innumeros inebriasse videtur vino prostitutionis suae—quid, inquam,

aequius ac salubrius, quam ut confugiamus ad alteram mulierem, quae apparuit in coelo, amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim, ad Matrem salutis et Genitricem vitae, et duplicato honoris et devotionis obsequio maiorem quoque gratiam et opem, eius intercessione, consequamur!

Haec autem cogitans iamdudum publicas in Dioecesi mea preces ex voto ac mandato Sanctitatis Tuae indicendas curassem, nisi turbulentis tum ac tumultuosis temporum circumstantiis timuissem, ne per hoc sanctae religionis et praesertim immaculatae Virginis hostibus deridendi tantum mysterium ac cavillandi in ipsis publicis ephemeridibus ansam praeberem. Qui quidem timor etiam nunc, sedata ad horam aliquantulum tempestate, me retinet, quominus mandatis Tuis, Beatissime Pater! plene obtemperem. Illud autem interim faciendum esse duxi, ut Sanctitati Tuae saltem quid equidem ipse, quidque Clerus et fidelis populus in hac mea dioecesi de dicto mysterio sentiamus, et quali desiderio illud S. Sedis auctoritate solemniter decerni exoptemus, litteris humiliter exponerem. Ad me quod attinet, ex supra dictis iam nosti, Beatissime Pater! qualiter sentiam; reliquum est, ut et cleri populique mentio fiat.

Et primum quidem populus maxima ex parte beatissimae Dei Genitricis cultum a patribus veluti haereditate acceptum toto corde amplectitur, et, licet huius quaestionis ignarus, dulcissimam coeli Reginam tanquam virginem intactam ac sine labe conceptam pie veneratur, quod iam liquet ex magno fervore et affectu, quo Christi fideles confraternitati sanctissimi et immaculati cordis Beatae Virginis Mariae, in plurimis iam Dioeceseos meae parochiis erectae, adhaerent.

Simili modo et Cleri magna pars, ut mihi persuasum habeo, aequali pietate ac devotione immaculatam Virginem colit, et flagranti desiderio eiusdem gloriosissimae Matris honorem solemni S. Sedis iudicio de immaculata eius conceptione augeri exoptat; et licet sint, qui an similibus sensibus penetrentur, exploratum non habeam, dubitare tamen nullatenus possum, quin et illi supremum S. Sedis Apostolicae effatum summa veneratione excepturi sint.

Haec sunt, Beatissime Pater, quae de mea in hac re sententia, quaeque de Cleri populique fidelis pietate et desiderio referenda sunt.

Interim Deum Optimum Maximum enixis precibus invocare non desistam, quatenus Sanctitatem Tuam in tam gravi causa superni sui luminis splendore illuminare et perfundere, remque ad maiorem dulcissimae et immaculatae Virginis Mariae gloriam et honorem deducere dignetur. Haecque precans atque sacros Sanctitatis Tuae pedes filiali devotione ac summa veneratione deosculans, permaneo

Sanctitatis Tuae

Limburgi ad Lahnam die 14. Ianuarii 1859.

Humillimus et Obsequiosissimus in Christo Filius,
PETRUS IOSEPHUS, *Episc. Limb.*

CCCXLI.

DEL CARD. VESCOVO
DI VITERBO E TOSCANELLA

BEATISSIME PATER

Acceptis a Sanctitate Vestra Literis, quibus sub die secunda elapsi Februarii mihi significabatur consilium quod, exemplo plurium Praedecessorum Suorum, eadem Sanctitas Vestra inierat, scholasticam de immaculata Beatissimae Virginis Mariae Conceptione quaestionem iterum ad examen revocandi, eamque, si pro Dei gloria, eiusdemque Virginis honore videretur expedire, dogmatico iudicio definiendi: absque mora, quod una simul mihi pro tanti momenti negotio praescribebatur, exequi diligenter curavi. Praeter publicas,

quae quotidie in omnibus Parochiarum, et conventuum, ac monasteriorum meae dioecesis Ecclesiis iampridem pro gravissimis christiani populi necessitatibus Deo porrigebantur, et adhuc porriguntur preces, indixi ut etiam privatim, a Monialibus praesertim, fervidae ad Patrem luminum pro re tam gravi fierent supplicationes.

Praeterea, etsi iam satis clare cognoscerem qui circa praelarissimum hoc purissimae Dei Genitricis in sua Conceptione prorsus immaculata privilegium esset universi mei gregis animus, quae mens, et quantus, quamque late diffusus devotionis ac observantiae cultus; volui nihilominus de hoc expressius ac certius edoceri. Convocatis itaque nonnullis ex Parochis utriusque civitatis Viterbiensis et Tuscaniensis, datisque et acceptis ab omnibus totius dioecesis Vicariis Foraneis literis de huiusmodi generali erga immaculatam Deiparam devotionis sensu, prout sciscitatus fueram, fui plenissime certior effectus. Praeter enim quam quod nullibi fere templum saltem unum non est, in quo immaculatae Virginis specialis non exhibeatur cultus, nullusque est dioecesis locus in quo immaculatae Conceptionis festum, praeviis novem aut saltem trium dierum supplicationibus, magna cum solemnitate non celebretur; latissimus hic et in dioecesi mos viget in tanti festi pervigilio solo pane et aqua ieiunandi: ut nil dicam de frequentissimis fieri solitis eo die confessionibus, et communionibus, nihilque de conventu academico solito quotannis haberi Viterbii in templo Minorum Conventualium, ad laudes immaculatae Virginis carminibus celebrandas.

Quoniam vero Sanctitas Vestra quaerit insuper a me quod et quantum in mea dioecesi sit desiderium circa huius articuli definitionem, et quid eadem de re et ipse sentiam: ut utrique huic Sanctitatis Vestrae petitioni satisfaciam, dicam primo. Duplicem distinguendam esse fidelium classem, doctos nempe et indoctos. Indoctos quod attinet, ii cum de Conceptione Beatae Mariae Virginis loquuntur, eam supponunt, et de fide credunt ab omni prorsus labe immunissimam, ideoque nec cogitant rem esse disputationibus subiectam, ideoque nec a Sancta Sede definibilem: quapropter nullum, ex ignorantia, nec habent nec habere possunt hac super re deside-

rium. Quoad doctos vero, non una est omnium mens, nec idem omnibus desiderium. Licet hodie omnes firmissime sentiant, Beatissimam Virginem absque ulla prorsus labe fuisse conceptam: non tamen omnes unanimiter sentiunt aut necesse aut conveniens esse rem dogmatico Sanctae Sedis iudicio definire. Hinc nonnulli huiusmodi definitionem exoptant, dum alii ad eam non procedendum, attentis praesertim temporum circumstantiis, arbitrantur.

Secundo. Ut autem meam et ipse, tanta super re proferam sententiam, ingenue dicam me, ex una parte pro mea erga Sanctissimam Virginem observantia, et devotione optare quod Sanctitas Vestra inter fidei articulos etiam mysterium Immaculatae Conceptionis adnumeret; perpensis tamen ex altera parte rationibus, quae a pluribus gravissimis theologis, et praesertim ab Eminentissimo Cardinali Gotti proferuntur in sua, hac super controversia, edita, et Clementi XII exhibita dissertatione Romae nuper publicata, sentio me vehementer urgeri ad iudicandum in praesenti rerum statu, et in hodierna praesertim fidei ac religionis frigiditate ac infirmitate, utilius esse tanto super negotio ulterius supersedere.

Interim sanctissimis Beatitudinis Vestrae pedibus provolutus Apostolicam benedictionem pro me, et pro cuncto grege mihi commisso ferventissime imploro

Sanctitatis Vestrae

Viterbii 14 Ianuarii 1850.

Humillimus et Addictissimus Servus
GASPAR BERNARDUS *Card.* PIANETTI *Episcopus.*

CCCXLII.

DEL CARD. PATRIARCA
DI VENEZIA

BEATISSIME PATER

Cum diuturna, ut notum est, ac dira obsidione Venetiarum urbs premeretur, atque intus timores, et foris pugnae per multos menses quaquaversus debaccharentur, fieri non potuit, ut Apostolicas Litteras, quarum initium « *Ubi primum* » Caieta datas Postrid. Kal. Febr. proxime elapsi anni 1849, iuxta mentem Sanctitatis Vestrae exequendas susciperem. Cum vero sublatis impedimentis, quibus a toto, ut ita dicam, terrarum orbe disiungebamur, nobis datum est, divina favente misericordia, e tot tantisque angustiis ad liberiorem statum redire, nihil mihi potius fuit quam ut huiusmodi omnibus Ecclesiae catholicae Episcopis impositum munus obeundum curarem. Quid enim nobis sanctius aut iucundius esse posset, quam augustissimis supremi Pastoris ac Patris Nostri iussis obtemperare in ea potissimum re, quae ad maiorem Beatissimae Virgini Mariae conciliandam venerationem proponatur? Quare edita Kal. Dec. eiusdem anni pastorali epistola, cuius exemplar hisce adnexum Sanctitati Vestrae subiicere audeo, et factis frequenti populi concursu in omnibus urbis ac Dioeceseos ecclesiis publicis precibus inibi praescriptis, expectavi dum Canonici Metropolitani, Capitula, Seminarii Professores, omnes Parochi, et regularium Ordinum Superiores, ad me, ut iussi erant, referrent quid hac in re ex generali animorum dispositione colligere potuissent. Nemo unus inventus est, qui non firmissime assereret, se omnino perspexisse (quantum ex iis quae apparent coniici potest) unum esse cum Clericis, tum laicis votum, ut immaculatus

Beatae Mariae Virginis Conceptus inter catholicas veritates infallibili Sanctae Apostolicae Sedis oraculo recenseatur, ac solemni tandem iudicio declaretur, eamdem Beatissimam Virginem in ipso primo suae Conceptionis momento ab omni prorsus originalis peccati labe immunem fuisse.

Hoc vero esse generale huius populi votum ipse ego iampridem compertum exploratumque habui ex certis quibusdam indiciis, quae nullum dubitationi locum relinquunt. Perspicuum enim est cuilibet hanc urbem perambulanti singularem erga Deiparam devotionem adeo hic antiquam esse, ut eam uno eodemque tempore cum ipsa urbe initium habuisse manifestissime pateat. Nam vetustissima, quae passim occurrunt, atque adhuc extant, delubra, altaria, simulacra, aliaque id genus monumenta Virgini Matri dicata satis abunde testantur, illius cultum apud priores Venetos inter praecipua Religionis officia continenter viguisse. Testantur item historiae, et lapides inscripti, qui tamquam saeculorum voces clamant, paene dixerim, de templorum parietibus, universam civitatem semper consuevisse in privatis ac publicis necessitatibus praesentem ab eadem Virgine opem implorare, eiusque praesertim patrocinio accepta referre quotquot a Deo Optimo Maximo beneficia obtinerent. Haec vero pietas, et fiducia erga principalem Venetiarum Patronam ac Dominam, tamquam pretiosa a maioribus tradita haereditas, ad haec usque tempora, in tanta morum ac rerum mutatione, incolumis perseverat, et religiose servatur. Cuius rei argumento est mira plurimorum hominis alacritas in visitandis ornandisque Ecclesiis ei nuncupatis, in observandis peculiari studio eius diebus festis, in piis ad eius honorem societatibus instituendis, sive augmentandis, et in erigendis, aut amplificandis oratoriis, in quibus praesertim iuvenilis aetas ad eius maxime obsequium, et amorem magis magisque informatur.

Quod si tanta etiam nunc pietate ac veneratione Populus venetus, praeeunte Clero, sanctissimam Dei Genitricem prosequitur, nemini dubium esse potest, quin ipse vehementissime optet, ut singulare eiusdem Virginis Matris privilegium, de quo sermo est, quodque a plerisque pro certissimo semper habitum fuit, pontificio tandem de-

creto solemniter definiatur. Atque id universim exoptari vel ex eo luculentissime innotuit, quod cum, annuente rec. me. Gregorio XVI. licuit in sacra Liturgia huius gloriosissimi tituli mentionem facere, nova quaedam laetitia piorum animos pervasit, et cum ad aram Beatae Mariae Virginis cantantur Litaniae Lauretanae, illud prae ceteris elogium, quo illa asseritur sine labe originali concepta, pleniore ab universa multitudine, atque elatiore voce repeti solet.

Quae cum ita se habeant, quid causae esse potest, cur ego tot venerabilium Episcoporum, qui me praecesserunt, minimus et ultimus, eorum sententiae adhaerere, eorumque exemplum sequi detrectem? Tantum profecto abest, ut hac in re ab istis dissentiam, ut quamvis eorum nullus me sententia sua praevertisset, ego tamen minime dubitarem humillimas Sanctitati Vestrae preces porrigere, ut suprema, qua pollet, auctoritate, inter catholicae Ecclesiae doctrinas immaculatum B. V. Conceptum ponendum esse decerneret. Ad hoc vero me impelleret intimus animi mei sensus, cum nullam unquam honoris accessionem nimiam esse putaverim, in ea Virginum Regina exornanda, quae adeo supergressa est universa, ut nec primam similem visa sit, nec habere sequentem. Tum me vehementer moverent gravissimae tot doctorum hominum commentationes, qui et praeteritis, et nostris etiam temporibus, tam validis argumentis, tantaque eruditionis copia sententiam, quam sequimur, propugnarunt, ut nullo modo eidem iam nunc repugnari posse videatur. Denique me maxime urgerent miserrima, in quae incidimus tempora. Nam quandocumque furenti aliqua tempestate Petri Navis solito acrius iactaretur, ille, qui eius clavo gubernando divinitus praefectus est, nullum alibi certius ac validius praesidium quaerendum arbitratus est, quam in patrocinio Deiparae, quae iure merito stella maris appellatur, in qua scilicet stat omnis spes vitae et salutis, et cui uni datum est cunctas haereses interimere in universo mundo. Hinc nova eidem delubra aedificata, novi honorificentiae tituli adiuncti, novi dies festi, Pontifice ipso aut iubente, aut certe quidem assentiente, adsignati fuerunt.

Quis autem neget ea esse nunc tempora, quae gravissima, non so-

lum Ecclesiae, verum etiam universae societati detrimenta iam intulerunt, et multo adhuc graviora minantur? Quid vero opus est me singula enumerare, quae perditissimi quidam homines, nescio quo diabolico aestu abrepti, in Religionis aeque ac publicae rei perniciem, atque adeo absolutam, si fieri posset, eversionem sine intermissione moliuntur; cum Sanctitas Vestra ea omnia non minus copiosa quam maerenti oratione descripserit, et quasi oculis legentium subiecerit in ea praesertim Epistola Encyclica, quae incipit « Nostis » ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae nuper missa sub auspiciis ipsius beatissimae Virginis immaculate Conceptae? Haec, inquam, haec acerbissima temporum, rerumque nostrarum conditio me potissimum cupere, et postulare iubet, ut dogmaticum de immaculato Virginis Conceptu decretum proferatur. Haud enim exigua me spes recreat, atque erigit, fore ut eadem gratiarum Mater, tot tantisque ex toto terrarum orbe concordibus votis consalutata, atque exorata sub titulo, nulli in posterum controversiae obnoxio, qui eam unicam ex adamitica stirpe prorsus eximit e communi, quo ceteri omnes interierunt, peccati naufragio, uberiora, quam antea, divinae nobis clementiae munera obtineat; ut scilicet exterminatis ab Italia nostra impiorum dogmatum monstris, penitus devictis ac profligatis Religionis hostibus, sublatisque de medio omnibus bellorum, dissidiorumque causis, quibus paucis praesertim abhinc annis miserrime angimur, ac torquemur; veritas tandem divinorum eloquiorum caste integreque explicata omnium mentibus affulgeat, suum redeat Religioni, Religionisque Ministris antiquum decus et praesidium, desinat gens contra gentem consurgere, atque omnes populi, firmissima inter se pace inita, se mutuo diligant, agnoscantque se esse vere fratres, eodem patre genitos, eodem pretio redemptos, eamdemque ad patriam vocatos. Quod vero, tamquam cumulus beneficiorum, maxime expetendum est, ille dies iamdiu bonorum omnium votis expetitus dies ille faustissimus, nisi mea me fallit spes, illucescet, quo Roma, quo Italia, quo quidquid catholicorum hominum in mundo est gratuletur tandem, ac iustissima gestiat laetitia de Sanctitatis Vestrae reditu ad vaticanas aedes, quae ni-

mis diu suo viduatae ornamento, et nequissimis dominis dominatae, vel ipso parietum situ et squallore dolorem suum testari videntur, et nihil magis optare, quam ut augusta desideratissimi Principis praesentia iterum decorentur. Id quoque muneris utique sperandum est cito nobis obventurum, Virgine ipsa exorante, quae honores, quales demum cumque sint, sibi redditos amplissimis semper beneficiis rependit, et firmissimum, ut est, Ecclesiae columen nunquam passa est eam diutius, quam par fuerit, ab inimicis vexari. Decretum igitur, quo immaculatus illius Conceptus de fide credéndus statuatur, quodque iamdudum efflagitat, atque expectat per omnem terram diffusa christianorum hominum universitas, hoc etiam, praeter cetera, bonum afferet, et novum apud posteros Pontificatui Vestro argumento laudis adiiciet.

Quare Patriarcha, et Clerus, Populusque Venetiarum universus non secus ac omnes catholicae Ecclesiae filii ubicumque dissiti ac dispersi, in genua provoluti ante Sanctitatem Vestram, una cum Benedictione Apostolica, exoptatissimum, de quo supra, Decretum humillime implorant.

Venetiis ex aedibus patriarchalibus IV. Kal. Feb. 1850.

Humillimus, Obseqmus, Addictmus, Famulus et Filius
I. CARD. MONICO *Patr. Venet.*

IO. BAPT. GHEGA *Cancellarius Patr.*

CCCXLIII.

DEL VESCOVO

DI CANEA

VICARIO APOSTOLICO DI BATAVIA ED AMMINISTRATORE APOST. DI SURINAM

BEATISSIME PATER

Litteras Sanctitatis Vestrae 20 februarii proxime elapsi Caietae datas, mihi gratissimas, per intercessionem Illustrissimi Domini C. Belgrado Internuntii Apostolici ac Missionis Hollandicae Vice-Superioris, modo esse delatas, humiliter agnoscens, gratias pro eximia illa benevolentia ago maximas; quamvis enim indigno sint oblatae, non illi tamen minus consolatoriae fuerunt, qui ab initio non defuit neque desistet cum fidelibus sibi concreditis per publicas preces a Deo Optimo Maximo felicem rerum in Italia eventum, et Sanctitatem Vestram pro Ecclesiae bono incolumen servandam, deprecari. Sic et mense septembris Encyclicis Vestris 2 februarii proxime elapsi Caietae datis, non minori affectus sum gaudio, reviviscens in toto orbe catholico, ut Immaculata B. M. V. Conceptio solemni decerneretur iudicio desiderium, et Sanctitatis in hocce tanti momenti negotio sollicitudinem ex iis agnoscens; quis enim, Beatissime Pater, sese a sanctissimo totius Ecclesiae abstraheret desiderio? quis non gauderet de omnibus, quibus honor augetur Mariae? Hilari ergo animo Sanctitatis Vestrae desiderio satisfacio, meamque opinionem esse declaro: Beatam Virginem Mariam ab omni labe originalis peccati immunem conceptam fuisse; caro enim Iesus, ut ait S. Augustinus, caro Mariae est, et quomodo illa, quae venit vincere diabolum, vel momentum ab eo fuisset victa.

Quapropter me, cum omnibus meis in hacce vinea Domini cooperatoribus, eodem unanimiter animatis desiderio, cumque omnibus concreditis mihi fidelibus, qui ab anno saltem 1818 de hocce instructi mysterio, magnam pro eo habuerunt devotionem, ad Sanctitatis Vestrae pedes prosterno, in unione SS. Patrum totiusque Ecclesiae solemne hocce iudicium humiliter efflagitantes, ut tandem aliquando debitus atque ab initio Ecclesiae desideratus ille honor tribuatur Mariae.

Ut autem luminum Pater Sanctitatis Vestrae mentem collustrare numineque afflare dignetur, non tantum illico preces indicendas curavi publicas, sed et omnes Ecclesiae servos libertate donavi, dum cruces atque angustias meas quotidianas in unione calamitatum, quibus Sanctitas Vestra cum universa Ecclesia premitur, Deo offero, ut illud secure definire possit, quod, ut mihi videtur non solum ad maiorem gloriam Sanctissimae conducet Virginis Mariae, qua et Pater in Filia, Filius in Matre et Spiritus Sanctus in sua honorabitur Sponsa, sed et ad maximam Ecclesiae militantis, in hisce praecipue luctuosissimis temporibus, utilitatem; salus etenim omnis ab illa speranda, in qua Salvator omnem fiduciae nostrae rationem voluit esse collocatam!

Quam opinionem meam, una cum sensibus mei sinceri affectus, pietatis ac devotionis erga S. Sedem pronus et proclivus in terra, trementi manu, omni tamen spe filiali atque fiducia ante pedes Sanctitatis Vestrae supplex deponere ausus sum

Sanctitatis Vestrae

Paramaribo, in festo Purificationis B. M. V. 1850.

Obsequentissimus Filius
IACOBUS *Ep. Caneensis, Vic. Ap. Batapiensis, et Administr. Ap. Surenensis.*

CCCXLIV.

DELL' ARCIVESCOVO

DI URBINO

Beatissime Pater

Miraberis forsan, Pater Sanctissime, quod veneratissimis Tuis Litteris mihi ac totius catholici orbis Episcopis sub die 2ª. Februarii 1849 Caietae datis, ad me tamen nonnisi cadente Iulio perlatis, et summa, qua par est, reverentia exceptis, hucusque respondere distulerim. Sed ne me affectio in Beatam Virginem, Matrem utique et in me amantissimam falleret, a praecipiti et parum, quantum in me esse potest, maturo responso sciens et prudens abstinui. Hactenus enim tum Ecclesiastici « altiora te ne quaesieris », tum Pauli « non plus sapere quam oportet sapere » effatibus monitus, nec non sapientissimorum Pontificum Sixti IV, Pii V, Pauli V, Gregorii XV, et Alexandri VII hac super re editis Constitutionibus detentus, infirmitatis meae plenissime conscius, nullaque certe necessitate adactus, nedum a quacumque etiam privata contentione, sed et ab ipso perscrutandae materiae desiderio voluntatem meam compescui; dictam Matrem etiam in Conceptione Immaculatam, pia Ecclesiae consuetudine fretus, credere et venerare contentus.

In verbo autem Tuo, Pater Sanctissime, quo meum hac super re sensum aperire iussisti, rete laxavi, et gravissimorum etiam theologorum disquisitiones perpendi. Hac ergo tantum de causa mihi hoc responsum longiori certe, quo fas erat, post tempore mittenti veniam concedere, Tua confisus benignitate, ut non dedigneris exoro.

Re igitur, quantum Domino placuit, quaquaversus perpensa,

quid circa Conceptionem ipsam, et definitionis promendae necessitatem, vel opportunitatem sentiam Tibi humillime pandam, ac inde quid exoptem aperiam.

Et primo quidem quod ad ipsam Conceptionem attinet, eam vere Immaculatam, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem fuisse firmiter teneo. Quamvis enim nec permulta nec apertissima antiquae traditionis, cui haec pia sententia innititur, monumenta reperiri posse videatur, Ecclesiae tamen auctoritas, quae eiusdem traditionis est custos, cum certe aliter ullo unquam tempore sensisse nec probetur, nec ab ipsis oppugnatoribus opponatur, et cum insuper, data occasione, pro sententia suum semper sensum aperuisse constet, eam undequaque tutam et probatam facit. Quin imo, etsi theologi ferme omnes in activam et passivam dispescentes Conceptionem, passivam tantum non activam in Beata Virgine Immaculata contendant, in Ecclesiae tamen sensu vel hanc distinctionem vere inesse non crederem, vel etiam activam teneri immaculatam. Hoc enim nec rationi nec Scripturae videtur adversari, et veritatis quadam specie etiam ex S. Birgittae revelationibus fulcitur, ex quibus ideo Beatae Virginis Conceptio eruitur Immaculata, quia nullum coniugium fuit, quod honestius esset, quam illud de quo Ipsa processit.

Quod vero ad definitionis promendae necessitatem attinet, hanc vere adesse non crederem. Beatissimae enim Virginis Immaculata Conceptio nullam, quod saltem mihi innotescat, connexionem cum caeteris Fidei articulis adeo arctam habet, ut, hoc privilegio denegato, alicuius etiam ex dictis articulis impugnatio consectetur. Hoc autem dempto, quo alio ex capite haec vera necessitas sit eruenda non video.

Utrum vero opportuna saltem haec sit habenda definitio, me adhuc animo haerere fateor. Semel enim et iterum et contentionum peremptio, et dubiorum effugatio, et veritatis tuitio, et maior Dei gloria, et Virginis laus, et novorum in Ecclesiae militantis utilitatem beneficiorum iucundissima spes, et caetera rationum momenta, quae huic favere videntur opportunitati, ad mentis trutinam revo-

cavi et optima semper agnovi. Sed perditionis periculum, quod aliquibus potest ex definitione manare, uti semper, ita et nunc me facit de opportunitate dubitare. Quamvis enim hodie, prout mihi videtur, sit sanius sapientis Beatissimae Virginis Conceptionem tenere Immaculatam, minus sapientis de ea dubitare, et penitus insipientis eam aperte denegare, cum tamen infelicissimis hisce temporibus frequentissimus sit eorum numerus, qui universa Ecclesiae dogmata, imo et ipsam Dei existentiam in dubium revocare non verentur, vel etiam penitus oppugnare audent cum ruina multorum, hinc probabile videtur periculum quod et hanc facilius sint oppugnaturi doctrinam, et inde illorum sit subsequutura perditio, qui parvi Ecclesiae quoque definitionem pendentes, pravis seducti sermonibus piam non complectantur, vel complexam deserant sententiam, aut saltem dubiis deponendis satis non sint. Nec difficile videtur quod impiorum malitia simplicium in hoc valeat intelligentias pervertere, tum quia in evidentioribus factum videmus, tum quia valde movens esse potest eorum exemplum, quos anteactis temporibus, licet doctrina et sanctitate praestantes, hoc privilegium inficiatos esse putatur, tum quia theologicae rationes, Ecclesiae auctoritate dempta, nec adeo consequentes videntur, ut nullum relinquant contrariae possibilitatis dubium, nec adeo perlucidae, ut primo oculo cuicumque perspicue haec veritas pateat. Cum evidens ergo, vel saltem probabile mihi videatur hoc perditionis periculum, quod aliquibus, licet forte paucis, potest imminere, etiam ex iis, qui modo inter Christo lucrifactos censentur, huic veritati certitudinem adiicere dogmaticam opportunum non plenissime crederem.

Intimo, Pater Sanctissime, dolore cordis hoc dico, sed caritatis necessitas hoc a me videtur expostulare, ut sapientum simul et insipientum consulatur saluti; et ipsius Apostolicae Sedis auctorabile me in id movet exemplum, quae hucusque infirmis infirma facta videtur, ut et infirmos salvos faciat, dum nec peccare nec haereticos esse vult qui contrarium sentiunt.

Hisce ductus rationibus, et meipsum a Decreti postulatione temperavi, et Episcopo Fanen. ad id me excitanti usque ab anno 1847

illud duxi respondendum, quod Tibi una cum hisce meis litteris humillime subdo [1].

1 LETTERA DI MONSIGNOR VESCOVO DI FANO ALL'ARCIVESCOVO DI URBINO — *Veneratissimo mio Monsignore* — Io mi congratulo del felice suo ritorno alla residenza. Era molto desideroso di sapere il tempo in cui si fosse restituito alla sua Sede per comunicarle un mio disegno, ed è che io vado a presentare umile istanza al Santo Padre perchè si degni dichiarare dogma di fede l' immacolato Concepimento, seguendo il chiarissimo esempio dei Vescovi della Francia, e di molti Vescovi dello Stato Pontificio, gradirei molto che anch' Ella con i suoi Suffraganei si compiacesse di prestare questo onore a Maria Santissima. E confermandole i sentimenti della mia ossequiosa stima, ho il piacere di essere. Di Lei — *Fano 5 Novembre 1847* — *Demo Obblmo Servitore* — LUIGI *VESCOVO DI FANO*.

RISPOSTA DI MONSIGNORE ARCIVESCOVO DI URBINO AL VESCOVO DI FANO — *Monsignor mio Veneratissimo* — Sommamente vivo è anche in me il desiderio che da tutti fermamente si creda l'immacolato Concepimento di Maria Santissima.

Il dichiarare però, questa per me certa verità, dogma di fede, non mi sembra senza pericolo per molte anime, mentre all' opposto il lasciare le cose come trovansi, non sembra che possa arrecare alcun danno. Non ravvisando dunque io nella pochezza del mio intendimento una vera necessità che induca a questo passo, e sembrandomi d'altronde molto sicura in pratica la massima di S. Sisto III che trattandosi di dogmi « *nihil addi convenit vetustati* » non saprei almeno per ora dipartirmi dal sentimento dei Padri Tridentini, i quali benchè nella maggior parte credessero vera la concezione senza peccato, nondimeno nella maggior parte ancora stimarono meglio l'astenersi da qualunque dichiarazione che avesse potuto pregiudicare in alcuna maniera qualunque delle due opinioni.

Essendo poi questo il sentimento che la mia debolissima ragione al presente mi detta, agirei sempre contro l'intimo convincimento se operassi diversamente. Fin da ora però mi dichiaro pronto ad unirmi, tostochè possa esser convinto dell'opposto.

Voglio sperare che Ella non sarà per scandalizzarsi di questa mia risposta, perchè quantunque, come vede. al presente ritenga *non expedire* che dell'Immacolato Concepimento se ne stabilisca un dogma di fede, per impedire forse la spirituale rovina di molte anime, non per questo sono men fermo nella quasi universale credenza, e vorrei anzi aver ragioni valevoli a distruggere quelle difficoltà che con dispiacere tuttora mi trattengono dall' unire le mie istanze a quelle di tanti miei rispettabilissimi, e zelantissimi Confratelli.

Questo è quanto con tutta ingenuità e candidezza le manifesto in seguito del pregiato suo foglio del 5 corrente, e pregandola a gradire, anche come testimonio di quanto sopra, le unite copie di un rame che ho fatto recentemente incidere in Roma e che vado dispensando nella mia diocesi; ho il piacere di rinnovarmi con ossequiosa stima — Di Lei, Monsignor mio Veneratissimo — *Urbino 10 Novembre 1847* — A. *ARCIVESCOVO DI URBINO*.

Quid igitur sentiam abundius forsan, quam fas erat, exposui: sed ideo feci ut meos sensus Tu facilius expendas et iudices. Quid autem exoptem ex praemissis consequitur; quod scilicet, cum hic vera definitionis promendae, prout saltem mihi videtur, non adsit necessitas, quo casu certe veritas esset caritati anteferenda, enixe sit per omnes elaborandum, ut pia haec sententia magis magisque elucescat, et firmior fiat in dies. Atque hunc in finem facultatem per Te factam quam lubentissime arripui, et novum etiam Conceptionis Officium universo meo Clero edixi. Verum quod haec eadem veritas ad dogmatis gradum evehatur, licet me summo affecturum gaudio sentiam si fieret, non tamen ut fiat desiderium Tibi exprimere audeo, ne cum mihi placere studeam, infirmorum forsan renuam imbecillitates portare.

Haec autem expostulandae vel etiam exoptandae definitionis difficultas, quae meum utique angit animum, fit aliqualiter gravior ex eo quod, licet meus Clerus Populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem summa sit devotione animatus, numquam tamen, quod saltem innotescat, praebuit indicium hoc desiderio vere flagrare ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur. Quin imo nonnulli etiam de Clero, qui et doctrina et pietate pluris fiunt, idem circa opportunitatem dubium habere videntur.

En, Pater Sanctissime, quae apertissimo Tibi animo non aliter ac ipsi Deo, cuius in terris vices geris, duxi esse pandenda. Quae autem haec omnia, Te mandante, in genua provolutus conscripsi, Tibi plenissime, ut et caetera, subiicio, paratus si quid aliter sapio iudicio emendare.

Publicas demum me indixisse preces certiorem Te faciens, ut luminum Pater Te superna Divini sui Spiritus luce perfundere, numineque afflare dignetur, Apostolicam Benedictionem super gregem infirmitati meae concreditum effunde, et super me ipsum, qui Tuos sanctissimos pedes humillime deosculor.

Sanctitatis Tuae

Urbini die 2 Februarii 1850.

Humill. Obseq. Addict. Fidel. Servus et Subditus

ALEXANDER *Archiepiscopus Urbini.*

CCCXLV.

DEL VESCOVO

DI ANTINOPOLI

EX-VICARIO APOST. DI AVA E PEGU [1]

Ammette la Teologia, qual vera testimonianza della Divina Tradizione, il senso comune, costante ed universale dei fedeli circa qualche articolo di fede cattolica (*Moehler*, *Symbol.* c. V. §. 39.); perchè esso dimostra la parola di Dio scritta dallo Spirito Santo nel cuore de' Credenti, che non può aver avuto altra origine se non la predicazione Apostolica illustrata dallo Spirito di verità, da quell' unzione suprema, che S. Giovanni riconosceva nei veri cristiani di tutti i tempi come prova infallibile di verità divinamente rivelata (1. *Ioas. II.* 20. 27.).

Tale pare non potersi ormai più dubitare essere il senso comune ed universale dei cattolici circa l'Immacolata Concezione della Divina Madre Maria Santissima. Tanto è questo pio sentimento inviscerato nelle anime de' veri credenti, che ad esse non meno che al santo Dottore Agostino, ed ai Ven. Padri del Tridentino Concilio, ripugna il comprendere in qualsivoglia modo la Beatissima Vergine parlandosi di peccato.

Alla celebre ed invitta conclusione teologica: *Deus potuit*, *debuit*, *ergo fecit*, aggiungendosi il senso unanime della Chiesa in riconoscere essere stata Maria Santissima da Dio preservata da ogni qualsivoglia macchia di peccato fino dal suo primo concepimento, come per singolar privilegio venne conservata immune da ogni neo

1 Riportiamo la presente testimonianza, come si trova, senza che sia indicato a cui è diretta.

di colpa in tutta la vita; pare non potersi più dubitare, essere l'Immacolata di Lei Concezione non solo teologicamente certissima, ma altresì confermata dalla Tradizione qual verità divinamente rivelata; epperciò potersi dichiarare per vero Dogma di fede.

Così io giudico conscienziosamente al cospetto di Dio.

Dat. Torino 6. Febbraio 1850.

GIOVANNI DOMENICO CERETTI *Vescovo di Antinopoli*
Ex-Vicario Apostolico di Ava e Pegu'.

CCCXLVI.

DEL VESCOVO

DI APOLLONIA *IN PARTIBUS*

VIC. APOST. DI WALLIA

Beatissime Pater

Quod Encyclicis Sanctitatis Tuae, de Immaculata B. Virginis Conceptione dogmatico Decreto sancienda, serius quam par erat rescribam, non id aut remissae erga Sanctitatem Tuam atque Apostolicam Sedem observantiae, aut minus ferventi divinae Matris honorem amplificandi studio, adscribas velim. Alia prorsus id causa fecit, quam Sanctitati Tuae ingenue significandam existimo. Id, ergo, cum aliis Angliae Vicariis Apostolicis, Collegis meis, probaveram, ut communi omnes Epistola Sanctitati Tuae rescriberemus, quo et concors nostrum omnium sentiendi unanimitas luculentius constaret, et catholica anglicae Ecclesiae, de Immaculato Virginis conceptu, traditio Tuo veluti omnium nostrum ore patefieret. At enim posthac,

qua de causa nescio, ab hoc consilio recessum est, ac ceteros fere omnes collegas meos iam suas singillatim Epistolas ad Sanctitatem Tuam hac super re dedisse, nunc tandem intelligo. Dolet me quidem inde factum esse ut litterae meae tardius quam voluissem Sanctitati Tuae deferantur: illud tamen iucundum mihi contingit, ea Sanctitati Tuae his litteris significare posse, quae eximiae Tuae in Beatissimam Dei Parentem pietati ac studio non parum, ut arbitror, gaudii sint allatura.

Pastorali Epistola data superiore anno, ab omnibus singulisque Angliae Apostolicis Vicariis, ego etiam catholicae plebi universae quam iste Vicariatus meus complectitur, Encyclicam Sanctitatis Tuae nunciandam curavi; publicas preces indixi; mensem potissimum Maium, qui Mariae sacer est, solemnius celebrari volui; cum Clero Vicariatus mei ac praesertim iis qui animarum curam exercent, hac de re contuli. Atqui, vix uno alterove excepto, ex Clero omnes affirmant, Immaculatum Virginis Conceptum iis solidissimis fulciri argumentis, ut dogmatico decreto definiri possit, atque hoc suum, hoc esse generatim, quantum coniici potuit gregum suorum votum ac desiderium ut ab Apostolica Sede definiatur. Nimirum catholicis Anglis, praeter communem qua erga Immaculatam Virginem feruntur pietatem, alius ex ipsa maiorum suorum traditione stimulus accedit. Conceptionis enim festum ab antiquissimis temporibus, XI scilicet labente saeculo, sub S. Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, idque non sine singulare Divini Numinis testificatione, in Angliam inductum est, atque ex eo tempore sancte semper studioseque celebratum; imo etiam quaedam eius vestigia in ipso Anglicanae Ecclesiae Kalendario adhuc servata: — idem vero festum ab Anglis vehementer propugnatum est, quum primum in Galliis sancti Bernardi tempore de Immaculato Virginis Conceptu, eiusque festo celebrando controversia erupit: — ex Anglia etiam, nimirum ex Oxoniensi Universitate Ioannes Duns Schotus in aciem prodiit, ac pro singulari Virginis privilegio feliciter decertavit: — denique, per plura saecula Angli Episcopi in Conciliis etiam congregati, atque Clerus Angliae universus tum saecularis tum regularis, huic piae sen-

tentiae fovendae promovendaeque animum adiunxerunt. Nil mirum, ergo, quod Angli catholici, avitae pietatis haeredes, vehementer exoptent ut Apostolica Sedes ad illud ipsum privilegium dogmatica auctoritate firmandum aetate hac tandem nostra deveniat.

Quid porro reliquum est, nisi hisce Cleri populique mei votis mea etiam, eaque flagrantissima, in eundem finem adiiciam? Id a me postulat singularis cultus quo semper Deiparam sine labe conceptam sum prosecutus; id persuasio quae mihi firmissime inest, veritatem hanc eiusmodi esse quae fidelibus universis, divina fide credenda, possit ab Ecclesia proponi. Qua in re ingratum haud puto Sanctitati Tuae futurum si paullo fusius animi mei sensus aperiam.

Principio, enim, singularis illa exceptio, quam decreto suo de originali peccato Tridentina Synodus in favorem Immaculatae Virginis apposuit, munitissimus veluti quidam clypeus est, quo omnia quae in Virgineum privilegium intorqueri possent tela retundantur. Per eam quippe universas illas locutiones, sive Scripturae sive etiam Traditionis, quae omnes ex Adam progenitos originali labe infectos declarant, quaeque omnium maxime obstare possent, B. Virginem minime comprehendere palam fit. Atque hoc quidem saltem negative adstruit. Sed enim ea positive et in Scripturis ipsis et in Ecclesiae Traditione occurrunt, quibus invicte probetur Virginalem Immaculatum Conceptum inter divinitus revelatas veritates habendum esse, neque ita solum ut legitima argumentatione ex immediate revelatis derivetur, sed ut proxime et immediate in Verbo Dei scripto ac tradito contineatur. Implicite ea quidem ac subobscure, sed certe habetur in Scripturis, si praesertim singularis parallelismus inter *Gen. III. 14. 15 et Luc. I. 28. 42* rite expendatur. Nam in eo loco Geneseos, qui proto Evangelium dici solet, quae de muliere κατ' ἐξοχην, eiusque semine, nimirum filio, deque communis utriusque in serpentem triumpho praedicantur, ad Mariam ac Christum certissime referuntur; ibique singulare aliquod ac mirum Mariae privilegium insinuatur. Ac vero cum in Evangelio Maria ut *benedicta in mulieribus* salutatur ad Angelo, ac rursus Spiritu Sancto dictante ea proferuntur: *Benedicta Te inter mulieres et benedictus Fructus ven-*

tris tui, iterum mulier cum semine eius, Mater cum Filio, Maria cum Christo coniungitur, et similiter ac Christus *benedicta* praedicatur Maria, ut scilicet inde consequens sit, quemadmodum in semine, nempe Christo, nihil quod *benedictum* non sit, nihil plane *maledictionis* possit inesse, ita nec in muliere quidem, quae illum progenuit, quaeque in huius *benedictionis* consortium divinitus adsciscitur. Itaque proto Evangelii oraculum disertius per novum Evangelium explicatur; scilicet, benedicta mulier, benedictusque eius fructus, cuiusque maledictionis expertes de maledicto serpente triumphant, *Ille* quidem naturae dignitate, *Ea* vero gratiae munere ac privilegio. Hic etiam vis Angelicae salutationis, qua Maria gratia plena dicta est magis se prodit, de eaque gratiae plenitudine datur intelligi quae omnia vitae B. Virginis momenta, atque adeo primum etiam instans animationis eius suo iure complectitur. Ita etiam in Catechismo romano Clementis VIII auctoritate probato, Angelica salutatio, *Ave gratia plena*, explicatur quod Beata Virgo, nullius peccati macula, nec originalis aut actualis, nec mortalis nec venialis infecta fuit. Ea nempe ita praeventa est Christi gratia, ut ab Adae culpa fuerit immunis; neque hanc filiam protoparens gratia nudavit, quam Unigenitus Dei Filius sua ipse gratia vestivit, antequam ab ea carne vestiretur, quique gratiae munere semper cum illa fuit, iuxta illud: *Gratia plena, Dominus tecum*; quique inter illam et serpentem ita inimicitias posuit, ut illa per semen suum ac in semine suo serpentis etiam caput contriverit.

Eiusmodi porro sacrarum litterarum oraculis, quae vix attingo, novam uberiorem ac semper augescentem effundit lucem perpetua traditio, ac iugis Ecclesiae sensus et magisterium. Commovent me imprimis comparationes illae ab ipsis apostolicarum aetatum scriptoribus usurpatae, quibus Maria cum Heva, atque ea quidem Virgine innocenti et sine noxa, confertur, imo etiam praefertur; aut cum ea terra, virgine item atque immaculata, ex qua primus homo, de terra terrenus, plasmatus est, ut nempe aeque immaculata ea sit terra oporteat, ex qua secundus homo, de coelo caelestis formatus est. Commovet me immensa testimoniorum nubes, quibus perpetuo

Patres, licet magis aut minus diserte, Virginem ab omni labe immunem aut supponunt aut etiam depraedicant, in quibus testimoniis sin minus nostras *formulas* de Immaculata Conceptione, eandem tamen *ideam* ac *sententiam* invenio. Quod si auream Irenaei ac Tertulliani regulam secutus, nominatim ad Ecclesias Matrices, Apostolicas nempe, aut proxime ab iis derivatas, me confero, ubique B. Virginis privilegio Traditionem aperte suffragantem invenio. De Alexandrina Ecclesia egregie testatur Dionisius Patriarcha a saeculo inde III; de Hierosolimitana diserte Patriarcha Theodorus; de Constantinopolitana abunde Proclus ac Germanus SS. Patriarchae; de Syra Ecclesia universa locupletissimus nobis est testis praecipuum eius lumen Ephraemus: ut de ceteris orientalibus Ecclesiis sileam, e quibus praeclara nobis testimonia pro Virgineo privilegio supersunt. Accedunt antiquissimae illarum fere omnium Ecclesiarum Liturgiae, in quibus passim B. Virgo *immaculata* antonomastice praedicatur, eo scilicet sensu quo Christus in iis dicitur *immaculatus* Agnus, Hostia *immaculata*, quique omnem proinde a quavis macula immunem puritatem involvit. Accedit Conceptionis Deiparae festum in orientalem Ecclesiam iam a saeculo V. non tam primum inductum quam ibidem solemniter iam receptum ac frequentatum. Sed in Occidentis Ecclesiis aequo plane gradu vis traditionis processit. Extant in Occidente etiam liturgica hac de re monumenta: extat Conceptionis festum non ita multo post Ecclesias orientales alicubi, ut videtur, inductum, sed certe serius ex Angliae exemplo per Occidentis Ecclesias latissime propagatum. Quid praesertim de Romana Ecclesia, Ecclesiarum omnium matre ac magistra dicam? in qua, ut caetera praeteream, tot Summi Pontifices a Sixto IV usque ad Te, Beatissime Pater, quem diu nobis sospitem incolumemque servet Deus, decretis solemnibus gestisque suis, et cultui Immaculatae Virgineae Conceptionis, et eius intrinsecae veritati tantum auctoritatis pondus adiecerunt. Quibus porro omnibus si universi cristiani populi consensum adiicio, qui Immaculato Virginis Conceptui firmissime adhaesit, quique ex ipsis enatis de eo controversiis, vividius adhuc et luculentius se prodidit; si theolo-

gicarum illustrium Academiarum unanimem de eo sententiam; si religiosarum familiarum commune studium; si praesertim, quod mihi maximam vim facit, tam concordem Episcoporum fere omnium catholici orbis animorum ac voluntatem in id aetate hac nostra conspirationem adiungo, ad plenum pro Virgineo privilegio Traditionis vim constabiliendam quid adhuc desiderari possit non video. Quae sane Traditio, cum talis tantaque sit, cumque huius veritatis germina in sacris ipsis Litteris delitescentia, ita faecundet, explicet, ac apertissima lùce perfundat, non aliunde quam ab Apostolico fonte manare omnino dicenda est. Habet ergo Immaculatus Conceptus, meo quidem iudicio, ea solidissima fundamenta quae illum proxime, ut aiunt, definibilem constituunt, utpote in ipso divinae revelationis deposito contentum.

Scio nonnullos (non ex Episcopis), nescio qua formidine commoveri ne, hoc dogmatico decreto edito, velut nova sarcina imposita, acatholici a vera fide amplectenda impediri aut retardari possint. At nullus huiusmodi timor me percellit. Primo enim a Deiparae Patrocinio atque ope illud potius spero atque expecto fore ut, Virgine intercedente, acatholicis qui veritati pertinaciter resistere nolint, uberius a Deo lumen affundatur, validiusque detur ad fidem amplectendam praesidium. Ad hoc, dogmaticum hoc decretum occasionem acatholicis afferret, ut serio ac rectius legitimam catholicorum dogmatum progressionem ac veluti evolutionem investigent, illudque demum intelligent Ecclesiam nihil novi dogmatis unquam cudisse aut cudere, sed quae ex deposito revelationis veluti in plenissimo thesauro habentur, quaeque sensim iuxta Patrum doctrinam, ac quasi per incrementa, et ex ipsis concertationibus magis facta sunt manifesta, in lucem protulisse ac credere fidelibus proposuisse. Demum unanime totius catholici orbis studium, fideique obsequium in hoc dogmatico decreto, quum primum ab Apostolica Sede edatur, recipiendo, acatholicorum oculos mentemque percellet, iisque clarius ostendet quae tandem sit Catholicae fidei unitas, quod ineluctabile verae Christi Ecclesiae magisterium, quae primae Apostolicae Sedis, Petri Cathedrae in grege universo Christi pascendo docendoque nunquam defectura, aut a vero aberratura Auctoritas.

Haec habui quae Sanctitati Tuae in gravi hac re et christianae pietati iucundissima reverenter exponerem, seu potius sapientissimo Tuo iudicio submitterem. Quo sane cum Sanctitatis Tuae postulatis pro virili satisfecerim, Apostolicam tandem Benedictionem a Te, Beatissime Pater, pro me atque universo populo mihi concredito obsequentissime efflagito

Beatitudinis Tuae

Chipestow Monmouthshire die 10 Februarii 1850

Humillimus ac Devotmus in Christo Filius
THOMAS IOSEPHUS BROWN, O. S. B. *Epus. Apollonen: et Walliae Vic. Ap.*

CCCXLVII.

DEL CARD. PATRIARCA
DI LISBONA

Beatissime Pater

Tuas venerabiles Litteras datas Caietae die 2 februarii superioris anni 1849 ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos totius catholici orbis, observantissimo simulque laetissimo animo accepi. Nihil enim mihi potius et antiquius, nihil profecto gratius ac optabilius, quam et Tuis piissimis mandatis fideliter obedire et meis exiguis viribus contribuere, ut solemni Ecclesiae et Apostolicae Sedis iudicio decernatur ac extra omnem dubitationis aleam collocetur colendissimum et singulare privilegium Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Dei Genitricis, Angelorum Reginae omnium-

que nostrum amantissimae Matris. Nam hoc venerandum mysterium et piorum parentum institutione constantique Lusitanae Ecclesiae traditione formatus a teneris annis semper fideliter credidi; et alumnus ac professor Conimbricensis Universitatis, eius statutis sponte ac libenter obtemperans, profiteri ac defendere saepe iuravi; et insequenti studio ac meditatione gravissimorum theologicorum operum luculentissimis ac firmissimis argumentis tam evidenter apertum et demonstratum perspexi, ut iam pridem persuasissimum habuerim, nihil omnino deesse, ut ipsum possit ac debeat dogmatica Ecclesiae definitione confirmari; et denique tam singulari praedilectione ac praecipua devotione hucusque sum prosecutus ac veneratus, ut eius festum, utpote Lusitano populo solemnius post festivitatem Resurrectionis Domini, per singulos annos elegerim ad impertiendam Papalem benedictionem vice meae electioni concessa.

Itaque nihil, inquam, mihi gratius et optabilius erat, quam statim, nullaque interposita mora, ad Te, Beatissime Pater, mandatum dare responsum. Sed cum mihi, simul ac Tuas Litteras accepi, compertum esset Reginam Fidelissimam Mariam II, suorum Praedecessorum pietate, devotione ac desiderio flagrantem iam aliquot ab hinc annis per suum apud Sanctam Sedem Ministrum ad Beatissimum recolendissimae memoriae Pontificem Gregorium XVI supplicem postulationem pertulisse, ut in sacra Liturgia ac praesertim in praefatione Missae de Beatissimae Virginis Conceptione vocem *Immaculatam* palam publicceque enunciare addereque liceret; et praeterea observarem hac tunc urbe coepisse summo studio perquiri ac meditari non modo antiquissima et praeclarissima hac de re Lusitanae Ecclesiae, Lusitanique Imperii monumenta, Lusitanorumque Theologorum gravissima opera; sed etiam et praesertim recentissimas ac praestantissimas dissertationes Eminentissimi Cardinalis Lambruschini, clarissimorumque Theologorum Ioannis Perrone et Caietani Martorelli (quarum scilicet prima, maximi pretii, in vulgare translata cum eruditissima praefatione, et secunda cum dedicatione Tuaque honorificentissima acceptione hic in lucem editae et maxima diligentia et alacritate copiosissime per totam Lusitaniam diffusae

sunt; prudentiae officiique mei esse duxi, meum optatum responsum differre, donec haec omnia luculentissima opera omnibus Lusitanis fidelibus nota esse possent; et his satis perpensis, evidentius appareret, quid in praesentiarum de re gravissimi momenti senserint, quidque optaverint omnes Antistites, Universitatis Professores Doctoresque, Theologi, Clerus, simulque Regina Fidelissima universusque populus christianus Lusitani Imperii.

Nunc vero, uno fere anno decurso, cum nulla in contrarium testimonia argumentave sciam fuisse producta; immo vero probe cognoscam unam esse omnium Lusitanorum fidelium fidem, unum esse pientissimum desiderium; mihi iucundissimum est non pro me tantum dare responsum, sed etiam pro universo Clero et populo christiano huius Olissiponensis Patriarchatus totiusque Lusitani Imperii; maximeque pro Regina Fidelissima Maria II, quae quidem mihi et omnibus Regni Antistitibus dignata est Regiis Litteris 26 decembris proximi anni 1849 suam firmissimam fidem eximiamque devotionem erga Immaculatam Sanctissimae Virginis Conceptionem solemniter profiteri.

Te igitur, Beatissime Pater, nunc summa consolatione affectus certissimum facio, nos, omnes christianos Regni Lusitani, firmiter fideliterque credere ac una voce confiteri, Beatissimae Virginis Mariae Dei Genitricis Conceptionem fuisse Immaculatam, ac ab omni prorsus originalis peccati labe immunem; vehementerque optare, ac Sanctitatem Tuam enixo studio deprecari, ut haec piissima sententia verissimaque doctrina tamquam Ecclesiae Catholicae dogma ab Apostolica Sede definiatur ac decernatur.

Haec est profecto Lusitanorum antiquissima et firmissima fides; haec sunt constantissima ac ardentissima vota; quae tot tamque praeclara et ecclesiastica et civilia monumenta testantur; ut non facile sit reperire aliquam aliam gentem, quae singulare Immaculatae Conceptionis privilegium antiquiori, constantiori ac solemniori studio apereret; firmiori fide profiteretur; maioreque devotione ac amore coleret, et hucusque privatim publiceque veneraretur.

Num vero huic optatae definitioni opportunius tempus iam adve-

herit; nec amplius timenda sint, quae Patribus Tridentinis Summisque Pontificibus usque nunc impedimento fuere: numque desiderato postulatoque decreto aliquam moram adferre debeant et turbulentissimus ac omni auctoritati infensissimus multorum populorum status hodiernus, et impia insidiosissimaque Protestantium et omnium Catholicae Ecclesiae hostium molimina, qui non desinunt sugillare tamquam nova dogmata, quae in Ecclesia Catholica decernuntur; eiusdemque Ecclesiae infallibilitatem, divinae traditionis exsistentiam et Apostolicae Sedis auctoritatem totis viribus oppugnare conantur: id Tuo sapientissimo ac prudentissimo iudicio relinquendum esse censeo: firmissima enim spe nitor, ut Tu Divini Spiritus luce perfusus, omniaque perpendens, illud consilium suscepturus sis, quod ad maiorem Divini Nominis gloriam, Beatissimae Virginis laudem et militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere.

Interim Tibi, Beatissime Pater, gratias ago pro facultate mihi omnibusque Antistitibus Tuis iisdem Litteris concessa, ut peculiares horas canonicas de Beatissimae Virginis Conceptione recentissime compositas, typis editas, et a Te Romano Clero concessas, in nostris Dioecesibus recitare facere valeamus, quin eiusmodi veniam a Te, vel a Tua Sacrorum Rituum Congregatione implorare debeamus. Hac quidem facultate grato gaudentique animo utar, ut primum in promptu habeam, quae opus est providere, et universus Clerus eas recitare valeat, et Officium solemnissimum cum proprio cantu et musica, ut moris ac devotionis est, peragere. Sed quoniam mihi nunc compertum est, Te die 3 augusti proximi anni 1849 Apostolico Indulto Fratribus Minoribus strictioris observantiae Discalceatorum Regalium provinciae S. Petri de Alcantara et S. Paschalis Baylon in Regno Neapolitano concessisse vigiliam sine ieiunio cum Missa propria in die 7 decembris: Te etiam, Beatissime Pater, deprecor, ut ad hunc Patriarchatum et omnes Lusitani Regni Ecclesias hoc Indultum extendere digneris: hoc enim et huic solemnissimae in Lusitania festivitati quam maxime congruit; et Lusitanorum eximiae devotioni gratissimum erit. Utinam, sic magis in dies ubique aucto Sanctissimae Dei Genitricis cultu, per eius omnium no-

strum amantissimae Matris potentissimum apud Deum patrocinium assequamur, ut Deus Optimus Maximus humiles fervidasque preces, quas ego Clerusque meus quotidie effundimus, clementer exaudiat; et suam Ecclesiam ab omnium hostium insidiis turbulentissimisque malorum procellis liberet; Tuis maximis laboribus ac acerbissimis angustiis desideratissimum finem imponat; et, destructis sublatisve omnibus adversis, Te salvum atque incolumem Romanae Sedi Solioque quamprimum restituat; ibique securum, tranquillum et ex omni parte felicem per multos annos conservet ad Religionis augmentum, Catholicae Ecclesiae praesidium, omniumque Christianorum aedificationem et consolationem.

Te denique, Sanctissime Pater, humiliter deprecor, ut hoc meae observantiae ac devotionis testimonium indulgenti benignoque animo suscipias; et mihi, ad pedes Tuos reverentissime provoluto, Clero populoque christiano meae curae commisso Apostolicam benedictionem benigne libenterque impertias.

Tuae Sanctitatis

Datum Olisipone, 12 februarii ann. 1850.

Humill., Obseq. et Devot. Servus verus
GUILLELMUS CARD. HENRIQUEZ DE CARVALHO
Patriarcha Olisiponen.

CCCXLVIII.

DE' VESCOVI

DI USULA *IN PARTIBUS*

VIC. APOST. DI COLOMBO *NELL' ISOLA DI CEYLAN*

E DI TIPASA *IN PARTIBUS* COADIUTORE

BEATISSIME PATER

Una cum meo Episcopo Coadiutore, quam ipsomet assentiente, Pastoralem Litteram clero et populo meae curae commisso publicaram ad Beatitudinis Tuae mentem notificandam, ac ad publicas particulares preces ordinandas, nunc ante Beatitudinis thronum provoluti humillime praesentamus [1].

Sit illa nostrae sententiae circa Dei Matris immaculatam Conceptionem indubium, et solemne testimonium necnon illius fervidissimae devotionis, quam huius remotissimae Insulae Christiani erga Sanctissimam Virginem absque macula originali conceptam ab immorabili tempore in corde fovent.

Placeat Sanctitati Tuae circa tam magni momenti negotium (quaeque ipsa sit) nostram persuasionem benigne recipere, ac nostram devotionem, et omnium hic degentium Christifidelium Apostolica Benedictione, quam enixe postulamus, corroborare.

Beatitudinis Tuae

Dabamus Columbi in Insula Ceylonensi die 13 Februarii an. 1850

Humillimi Servi, et Filii Obedientissimi
CAIETANUS ANTONIUS *Ep. Usul. V. Ap. Columbi*
IOSEPH MARIA *Epis. Tipasitanus Coadictor Columbi*

1 Si troverà al suo luogo.

CCCXLIX.

DELL' ARCIVESCOVO

VESCOVO DI RECANATI E LORETO

BEATISSIME PATER

Vix primum Tuas, Beatissime Pater, accepi Litteras anno superiore Caietae datas sub die 2 Februarii, ad me tamen mense Iulio perlatas, quibus exquirere dignabaris « qua devotione meus Clerus « populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem esset « animatus, et quo desiderio flagraret ut eiusmodi res ab Aposto- « lica Sede decerneretur » nec non quid ego sentirem de hoc, quidque exoptarem, omnem adhibui operam, ut quoad citius fieri posset, Tibi responsum darem. Incassum tamen: pauci enim sunt dies ex quibus mihi accipere datum tum litteras tum vota sive Capitulorum, sive Parochorum, tum denique fidelis populi sensa. Quapropter nunc, nulla interposita mora, ad Tuos pedes provolutus ea qua par est humilitate, ac veneratione responsum praebeo.

Et quoad Capitulos spectat, et Parochos utriusque Dioeceseos Lauretanae scilicet, et Recinetensis, ii omnes ad unum asserere non dubitarunt, B. Mariam in sua Conceptione vere immaculatam extitisse. Quam assertionem porro validis rationum momentis comprobare non destiterunt: hinc vehementer optare ut tandem aliquando pia sententia de intemerato Virginis Conceptu ab Apostolica Sede dogmatico decreto finiatur — Quoad populum vero pertinet, sat erit innuere, nullum aliud B. Virginis festum maiori ipsum laetitia celebrare, ac veneratione prosequi, quam hoc de intemerato eiusdem Conceptu; constant enim plurimos, ne dicam omnes, huic festo se praeparare ieiunio, eoque asperrimo, in pane et aqua confecto; ex quo deducitur, fideles de veritate Immaculatae Conceptionis nedum

esse persuasos, verum etiam nihil ipsis iucundius accidere posse, quam huiusce Virginis privilegii definitionem.

Iam vero quid ego sentiam de B. Virginis Conceptione, quidque, posito quod ea immaculata extiterit, circa eius definitionem exoptem, nunc demississime aperiam.

Ac primitus dicam, me in ea esse opinione, ut existimem B. Virginem in *passiva* quam vocant conceptione sua, seu illo ipso instanti quo anima eius corpori indita fuit, originalem labem minime contraxisse. Quod enim magis rationi consonum, quam Illa, cui Christus, ut phrasibus utar Leonis M. non refugit se consubstantialem fieri secundum humanam naturam eo modo, quo est consubstantialis Patri in Divina, ipsi Christo, et proximior, et similior esset? quod magis rationi conveniens, quam Christus qui communem habere cum Maria stirpem non est dedignatus, communem quoque immunitatem ab originali noxa illi tribueret? Equidem similitudo inter generantem, et genitum intercedat oportet. Hinc est quod D. Augustinus tales in Virgine formas agnoverit, ut eam simillimam et expressam Factoris sui imaginem nominaverit. « Si formam Dei te appellem, digna es. » Verum enimvero, quam contra veritatem diceretur Virgo prae forma simillima Deo qui candor est lucis aeternae, qui lucem inhabitat inaccessibilem, si Ipsa peccati tenebris involuta fuisset? Nam peccatum originis est habitualis, et innata dissimilitudo Deum inter, et hominem, Conditoris imaginem, quae in anima est, ita inficiens, et corrumpens, ut primaevas formas penitus deleat. Cuinam igitur credibile erit, Deiparae animam illo instanti quo pulchritudine summa effulgens e Creatoris manu prodibat, et corpori infundebatur, eo ipso temporis puncto non modo omnem decorem venustatemque amisisse, verum gratiae vita defunctam fuisse? Ergo felicior Heva quae nobis exilium intulit, quam Virgo quae nobis salutem peperit? ergo feliciores Angeli qui sunt admnistratorii spiritus, quam Maria quae futura erat eorum regina? Quis hoc dicere audeat?

Et porro, quonam pacto conciliari poterit sublimis illa atque ineffabilis dignitas, qua maior sub Deo nec esse, nec concipi potest, ma-

ternitas scilicet Divina cum originis culpa? Sane si Virgo vel levi peccati actualis labecula se inquinasset, maternitatis honore *positive* indignam se praestitisset, ut communis habet theologorum sententia, duce Angelico « Virgo non fuisset idonea. Mater Dei, si peccasset aliquando » *(3. p. q. 27. art. 1.)* nam in summum Filii dedecus Matris crimen redundasset. Et si res ita se habet, quomodo non etiam indigna maternitatis honore extitisset, et eo amplius, si originalis culpae rea dicenda foret? Nam quis reus magis, qui originis labe sordescit, an qui, ex naturae infirmitate, in levem culpam prolabitur? Ille statim Deo odiosus, habitibus gratiae spoliatus e coelesti Regno excluditur; hic vero non extinxit in se charitatem, iustitiam non amisit, in spe adhuc permanet beatitudinis consequendae. Dicendum itaque originis noxam cum Dei maternitate haud posse componi.

Praeterea, nobilius, ac perfectius Redemptionis genus fuisset Mariam sustentare, ac fulcire ne corrueret, quam iacentem et prostratam erigere, prohibere ne naufragium subiret, quam submersam liberare. Ast, dicendum ne erit Deum id minime praestitisse? Nam quis filius est matris laudum tam negligens qui eius abiectionem potius desideret quam gloriam, qui cum posset habere intactam, et honore fulgentem inhonoratam, et inquinatam velit?

Verum licet haec omnia tanti sint ponderis, ut rem mihi non modo suadeant, sed etiam persuadeant, fateor tamen ea congruentiae fines haudquaquam praetergredi. Ineluctabile igitur argumentum mihi comparo tum ex Verbo Dei scripto, tum, quod in huiusmodi re caput est, ex Verbo Dei tradito; iis scilicet fontibus ex quibus dogmata omnia sive *mediate*, sive *immediate* hauriuntur.

Ex Verbo Dei scripto illud mihi testimonium sumo *cap. III Gen. v. 15.*, quod si rotundis verbis immaculatum Virginis Conceptum non exprimit, nullo tamen negotio, ad eum significandum deducitur. Sic enim in ipso legitur: « *Inimicitias* (ait Deus ad Serpentem) *ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius, ipsa olim conterel caput tuum.* Iam vero, de qua hic muliere sermo instituitur, cuius mentio cum Redemptoris promissione connectitur,

et alteri opponitur mulieri quae humano generi exitio fuit, nisi de Virgine Redemptoris Matre? cuinam alteri foeminae, tum V. tum N. Testamenti convenire ea possunt verba, nisi Mariae, quae per Filium suum mundi extitit salus, quae caput inferno serpenti vere contrivit, ab eius imperio homines, praecipue per originale peccatum ipsi mancipatos, eripiendo, atque in libertate filiorum Dei vindicando? cuinam alteri foeminae, inquiebam, tribui potest haec victoria in daemonem, cuius suasu, primum peccatum patratum est, nisi Mariae Matri illius, per quem ipsa victoriam de hoste maligno reportavit? Quae cum ita sint, quomodo Virgo de diabolo victoriam reportasset, si ipsi aliquando per peccatum fuisset obnoxia, et quidem per peccatum illud quod huic victoriae praenuntiandae occasionem praebuit, quodque paulo ante eam praenuntiatam a protoparentibus commissum, transfundi postea debebat; uno verbo, originale peccatum? Certe hoc non victoria, sed clades, non triumphus, sed exitium Virgini extitisset. Superest igitur, ut dicatur, intemeratum illius Conceptum in scripturis haud obscure significari.

Equidem non diffiteor in hebraeo textu pronomen *ipsa* ancipitis esse significationis, ut hebraicae linguae periti autumant, et aeque ad *semen* referri posse, quod in hebraico idiomate masculini generis est; imo attendendo ad subsequens verbum *conteret tibi*, quod in hebraeo masculini pariter est generis, videri tota sententia potius contrahenda ad mulieris filium seu ad Christum, quam ad mulierem, seu Mariam. Ast lectio Vulgatae in qua habetur *ipsa* non *ipse*, antiquissima est, eamque plures tum Patres, tum Scriptores non infimi subsellii tenuerunt, ut videre est apud Bellarminum *De Verbo Dei lib. 2 c. 12*. Insuper hebraicum pronomen, si absque punctis legatur, utrique favet lectioni; novum item non est ut per *enallagen* verbum masculi generis cum faeminino coniugatur; tandem non multum refert si vel prima, vel altera lectio admittatur; imo si et *ipsum* legatur, nam certum est mulierem seu Virginem, non vi sua, sed seminis, seu Filii meritis, caput inferni serpentis fuisse contrituram.

Hinc est quod et a Lapide scriptum reliquerit: « Cum Deus hic

« opponat, quasi antagonistas, mulierem cum suo semine serpenti « cum suo semine, consequenter vult dicere, mulierem cum suo se- « mine contrituram caput serpentis ; sicut e contrario serpens tam « mulieris, quam seminis eius calcaneo insidiatur. »

Hoc ex Verbo Dei scripto; nunc ex Verbo Dei tradito argumentum depromo. Atque hic primum mentem oculosque converto ad Patres Scriptoresque ecclesiasticos, qui ante exortam haeresim Pelagianam floruerunt, eos docuisse reperio, B. Virginem fuisse *terram immaculatam* ex qua Christi corpus efformatum est, prout *terra immaculata* illa extitit ex qua plasmatus est primus homo (*Epist. nomine presbyter., et Diacon. Achaiae vulgata I Eccl. saecul. apud Gallandium P. P. T. I. Prolog. c. IV.*). Comparari eam similiter video, et passim, a PP. cum prima mulierum Heva. Sicut enim haec adhuc *virgo*, et *incorrupta* sermonem serpentis concepit, sic Maria, inquiunt ipsi, incorrupta prorsus, et nulla adhuc culpa, aut labe infecta, angelicum nuntium mentem excepit (*S. Iustinus M., S. Irenaeus, et Tertullianus inter caeteros Saec. II.*). Item in D. Dionysio Alex. lego Mariam appellari « unam et solam Virginem filiam vitae, eamque servatam incorruptam, et a pedibus usque ad caput benedictam; » — « tabernaculum Spiritu S. firmatum, ab eoque protectum SEMPER, in quod neque alius introivit, nec exivit nisi solus Dominus » (*Epist. adver. Paulum Samosat. Epum Antiochiae Saec. III.*). Verbum Divinum sibi, veluti templum, B. Virginis corpus, et animam, seu totam Mariae personam, ita condidisse ut *Bezeleel Tabernaculum* construxerat, affirmarunt tum S. Ephrem, tum vetus auctor nomine D. Io. Chrysost. imo et *ex lignis corruptioni non obnoxiis*, ut S. Hippolitus M. inquit (*Saec. III. et IV.*). S. Ambrosius scripto exaravit quod B. Virgo fuerit *per gratiam ab omni integra labe peccati* (saec. IV.).

Si vero Patribus mentem adhibeo, qui post exortam Pelagii haeresim vixerunt, idest, postquam doctrina de originalis culpae in omnes omnino homines diffusione clare solideque firmata est, eos nedum a sententia Virgini perhonorifica recessisse video, imo in ea perstitisse comperio. Ne dicam de ea similitudine ab extructione

tabernaculi, aut templi deducta, quam a veteribus Patribus acceptam exornant, et amplificant inter alios S. Maximus Taurinensis S. Proclus (*Saec. V.*), Patres qui a Pelagii exorta haeresi floruerunt, Mariam appellant *innocentem*, *sine macula*, *omni culpa vacantem*, *servatam integram gratia Dei*, et alia huiusmodi proferunt, quae quamlibet labem a Virgine excludunt (*Saec. VI. et seq.*) negant pariter carnem Mariae dici posse carnem peccati, quia nimirum *constat*, *eam ab omni originali peccato immunem fuisse*, uti S. Paschasius Ratbertus habet (*Saec. IX.*). Ioannes cognomento Geometra, Mariam sic alloquitur: *Gaude primaevi libera labe Patris* (*Saec. X.*) Et S. Anselmus eo progressus est, ut confidenter diceret, decuisse, Virginem tali puritati nitere *qua maior sub Deo intelligi nequeat* (*Saec. XI.*); quae verba D. Thomas (*in I. Lib. Senten. dist. 54. q. 1. art. 3.*) *de immunitate a peccato originali, et actuali interpretatus est.*

Traditio haec de omnimoda Virginis sanctitate, et speciatim de intemerato eius Conceptu, magis magisque clarescit ex Ecclesiae Catholicae sensu, cuius non dubia habentur indicia tum ex eius publicis actis, tum ex liturgiis, festis, orationibus, pastorum, ac Fidelium denique in unum conspiratione. Qui sensus quanti in re Theologica faciendus sit, quamque ad traditionem dignoscendam apprime idoneus, nemo est qui ignoret.

Et quoad cultum Conceptionis, ille nec hodiernus est, nec paucis ab hinc annis inductus: nam a Saeculo V., ut minimum, in Ecclesia Orientali obtinuit, et VII. viguit, id testantibus Ecclesiasticae Historiae monumentis; et in occidentali a Saec. X. saltem, vel, ut nunc aperte constat ex Archaeologicis studiis, a Saec. etiam VIII. Nisi repeti velit a primis Ecclesiae temporibus, in quibus, uti ex liturgia S. Iacobi manifestum est, B. Virgo *immaculatae*, *et intemeratae* titulis condecorabatur. Mitto caetera.

Nunc in diluendis oppugnantium obiectis paululum immorari mihi est animus. Quae ex Scripturis obiiciuntur testimonia, ea sunt quae de universali originalis culpae in omnes propagatione, vel de universali omnium, et singulorum redemptione loquuntur.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum etc. — *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei* (Rom. III. 23.). *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita, et in Christo omnes vivificabuntur* (I. ad Cor. XV. 22.) etc. etc. — Verum ad eludendam horum testimoniorum vim, exceptionemque ab iis faciendam, praesto est primum Tridentini declaratio comprehendere nolentis in Decreto de Originali peccato *Beatam*, et *IMMACULATAM Virginem Mariam Dei Genitricem* (Sess. V.). Secundo Pontificum Summorum Constitutiones suppetunt, in quibus sententia de immaculata Conceptione *pia* nuncupatur ; quae certe pia non esset, si apertis Scripturae testimoniis adversaretur. Sed et obiectis alii possunt apponi textus ex Scriptura desumpti, ii nempe qui de maculata omnium hominum nativitate pertractant. — *Nisi quis renatus fuerit....* Quod natum est ex carne, caro est — Nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram (*Iob. XIV. 4.*) etc. ; qui textus licet generalibus verbis exprimantur, minime tamen ipsis fatentibus Theologis, impetunt B. Virginis in utero clausae sanctificationem, vel immunitatem a quavis etiam levissima actuali labecula ; sicque, habita ratione ad Christi Matrem, exceptionem admittunt. Eccur igitur habito respectu ad Ipsam, hanc non patientur generalia Scripturarum oracula, quae de originalis noxae in omnes propagatione loquuntur ? Certe exceptionem hanc fortissime suadent tum positivum Geneseos III. 15 testimonium supra allatum et expositum, tum Ecclesiae Catholicae sensus, tum ipsius agendi ratio in hoc adstruendo dogmate. — Nec minus facile caeterae difficultates ex universa omnium hominum redemptione petitae diluuntur. Praeterquam enim quod, et Maria redempta fuit, licet non eodem modo, quo caeteri homines, liberatione nempe a servitute, sed praeservatione ab ipsa, ad redemptionem perinde est, ac si quis pretium offerat ut servituti mancipatus liberetur, vel pretium exhibeat ne servituti ex conditione naturae addictus, in servitutem adducatur. Cuius rei perspicua habentur in Bibliis testimonia. Exemplo sit illud *Ps. CXLIII. 10. Redemisti David servum tuum de gladio maligno*, (Goliath) idest liberasti.

Quae autem ex PP. deprompta in medium proferuntur, haec sunt.

Patres nonnulli affirmant, si *unum Christum* excipias, homines cunctos primigenia labe fuisse inquinatos. Item Virginis carnem *carnem esse peccati*. Tandem B. Virginem *sanctificatam, mundatam, purgatam* fuisse. Licet haec spernenda non sint, haud difficili tamen negotio refelluntur. Etenim quae primo loco a Patribus dicta apponuntur, commode exponi queunt eo modo quo Biblica testimonia paulo superius explanata sunt: quae secundo loco in medium adducuntur, nempe carnem Virginis *carnem esse peccati*, ea sic intelligenda sunt, ut PP. innuere voluerint, Virginis carnem communi ratione fuisse progenitam; per *concupiscentiam* nempe, quam S. Fulgentius, S. Petrus Damianus, Rupertus Ab. et S. Anselmus improprie peccatum vocant, quaeque a S. Augustino *filia materque peccati* dicitur in *L. de nupt. et concup.* (c. 24 n. 27) non vero originalis labis contagio fuisse inquinatam. Cum enim caro nec humanam constituat personam, nec possit esse subiectum *formalis* quod vocant peccati, D. Thoma inquiente « *peccatum originale nullo modo potest esse in carne, sed solum in anima (1. 2. q. 33, ar. 1)*, hinc sequitur, laudatos Patres de ratione generationis tantum fuisse loquutos. Et hoc sensu caro Mariae vere dici potuit caro peccati, quamvis eius anima peculiari Dei gratia ab originis noxa fuerit servata, uti et caro nostra vere nominatur caro peccati, licet per baptismum in ea peccati sordes fuerit abluta. Quam explanationem nonnulla PP. testimonia necessario exposcunt ne dicantur ipsi cum se ipsis minime consentire. Ut enim de caeteris sileam, S. Paschasius Ratbertus affirmaverat et ipse carnem Virginis *carnem esse peccati* a Spiritu S. *sanctificatam*, et *emundatam*. At si haec de formalis peccati propagatione in Virginem essent accipienda, profecto S. Paschasius sibi contradixisset; namque alibi asseruerat « con« stare eam (B. V.) ab omni originali peccato immunem fuisse, et « ab omni contagione peccati originis alienam ». Nec mirum Patres allatis vocibus usos esse cum de Virginis carne loquuti sunt; nam ii vel ipsam Christi carnem quandoque *carnem peccati* appellarunt (S. Hilarius Pictav. et S. Proclus) imo *et carnem damnatam*, ut S. Gregorius Nazianz. (*orat. 51, n. 18, op. Gall. T. IX.*) certe non ob originalem labem contractam, sed ob propagationem quam a proge-

nitoribus peccatoribus sortitus est: quis ergo dixerit ob easdem loquendi formulas Patres existimasse B. Virginem, vere originali labe fuisse infectam?

At quo sensu Virginem dixerunt *emaculatam, emundatam, purgatam?* nempe ob inditam Ei in sua Conceptione sanctitatem, quae sanctitas cum propria sit animae, suo quodam proprio modo in carnem (carnem peccati) transfusa est; sicque totum Virginis *suppositum* mundum sanctumque effectum. De quo optime Vasquez (*T. II. in 3 p. S. Thom. disp. 117. Cap. 11 et 12*).

Superest nunc aliquid dicendum de Augustino, deque D. Bernardo qui huic Virginis privilegio adversari visi sunt. Ad Augustinum quod spectat, is, si quae ei dicta nimis dura exciderunt quae memoratum Virginis privilegium viderentur impetere, eadem dicta emollitus est. Idque patet tum ex iis verbis quibus professus est se nolle *propter honorem Domini cum de peccato agitur, habere de S. Virgine Maria quaestionem, quia scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum* OMNI EX PARTE *peccatum;* tum ex responsione ad Iuliani expostulationem qua S. Doctori obiiciebatur, ipsum sua de originali peccato doctrina etiam B. Virginem diabolo transcripsisse; negavit enim apertissime Augustinus se transcripsisse diabolo Mariam *conditione nascendi;* nempe cum ea concepta est, quia ipsa conditio sublata est ex eadem Virgine *gratia renascendi,* utpote ob merita Salvatoris gratia praeoccupata. Et hunc sensum subesse Augustini verbis ex eo constat, quod secus Iuliani querimoniam minime propulsasset. — Ad Bernardum quod attinet, a quo disceptatio de immaculato Virginis Conceptu originem duxit, certum primitus est, ipsum dedisse ad Canonicos Lugdunenses epistolam, qua eas redarguebat quod, inconsulta Apostolica Sede, novum de Virginis Conceptione festum agerent; ex quo infert eiusdem Virginis nativitatem sanctam fuisse, quia eius solemnitas in Ecclesia universa celebratur. Certum porro est ipsum impetivisse Conceptionis cultum, eo quod careret obiecto, existimabat enim Mariam in Conceptionis momento non potuisse sanctam esse. Verum si verba S. Doctoris penitus rimentur, ea piae sententiae minime opponuntur; nam D. Bernar-

dus non alia de causa Canonicos Lugdunenses reprehendit, nisi quia Festum Conceptionis recolebant, inconsulta Apostolica Sede, et a Christifidelibus ubique haud celebrabatur. Quid hac dicturus fuisset aetate in qua ubique, ab omnibus Christifidelibus, consulta, imo annuente, et excitante Apostolica Sede recolitur? quod autem postea subdit Mariam in ipso Conceptionis momento sanctam esse non potuisse *quomodo* inquiens, *aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit; aut certe peccatum quomodo non fuit ubi libido non defuit? etc.* id clare ad Conceptionem *activam* refertur non vero *ad passivam*, seu ad animationis momentum, de quo agitur, quodque est, et semper fuit Festi Conceptionis obiectum (Alex. VII. in Constit. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*). Et revera D. Bernardum hoc sensu usurpasse Conceptionis vocabulum demonstrant Alensis, Albertus M., Angelicus, D. Bonaventura, quorum testimonia Mabillonius recenset in notâ *141 ad Ep. 74* S. Bernardi. Quod si, hisce neglectis, aliquis urgere velit, D. Bernardum de Conceptione *passiva* sermonem habuisse. habeat extrema illius Epistolae ad Canonicos Lugdunenses verba. « Quae autem dixi, absque praeiudicio sane dicta sint sanius sapien« tis. Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini to« tum hoc, sicut et caetera, quae eiusmodi sunt, universa reservo: « ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare ».

Respondendum modo esset ad ea quae ex Liturgiis afferri in contrarium solent. Ast non esse operae pretium existimo in iis refellendis immorari, quippe quae cum sint recentiora (post nempe exortam controversiam de Concept. Virg.) et Patrum epocham non attingant, contra iam a PP. traditam de omnimoda Virginis sanctitate, et speciatim de intemerato eiusdem Conceptu doctrinam, haud quidquam facere possunt.

Quapropter obiectionibus hisce relictis, nonnulla de edendo circa immaculatum Virginis Conceptum dogmatico decreto summa item cum animi demissione subiungam.

Et loquendo de hoc, quid obstaculi iam nunc opponi queat, quominus illud edatur, plane non video. Obstaculum enim non exurgit

primo ex Verbo Dei scripto, in quo generalissimae illae sententiae de primigeniae labis in omnes plane homines diffusione, cum de Maria Virgine sermo instituitur, exceptionem, ut supra observatum est, admittunt. Sed nec ex Verbo Dei tradito; generales enim tum PP. tum Conciliorum de primaeva in omnes homines derivata labe enunciationes eamdem quam scripturae exceptionem subeunt.

Et loquendo singillatim de PP. nec non et de ecclesiasticis antiquis Scriptoribus, nullum ex eis testimonium afferri potest quod aperte, ac directe immaculato Virginis Conceptui refragetur, ut eorum scripta expendenti patet; et si aliquando visi sunt huic Virginis privilegio adversari, ii tali usi sunt temperamento, ut facile ad appositam sententiam traduci possint.

Verum nec D. Thomas, nec alii antiquiores DD. qui eum in doctrina de Virginis Conceptione sequuti sunt, dogmaticae definitioni, de qua est sermo, minime officiunt. Nam licet Angelicus huic Virginis privilegio se infensum quodamm odo ostenderit, se paratissimum tamen ad propriam sententiam corrigenda m affirmavit, si aliter R. Ecclesiae visum fuisset *(3. P. q. 27. ar. 2. ad 2.)* ceteri vero cum suo duce, hoc circa argumentum privato rum DD. personam gesserunt, quippe qui ea scripserunt aetate, in qua nondum sententia de immaculato Virginis Conceptu manifeste liquebat, ac potissimo destituerentur fundamento, quod postmodum eidem accessit sententiae versabantur, enim in iis temporum rerumque adiunctis, ut (adnot. cl. Perrone in sua de B. M. immac. Conc. Disquis.) *tum ob veterum ecclesiasticorum monumentorum inopiam, tum ob artis criticae neglectum, tum etiam, ad graecos atque orientales Patres quod attinet, ob linguarum imperitiam, et versionum defectum, germana PP. antiquiorum scripta maximam partem ignorarent.*

Non demum officiunt quae ex Liturgicis monumentis proferuntur, cum et recentiora, et dubiae sint fidei, ut laudatus Perrone aperte demonstrat. E contra tum Scripturae, tum PP. huic definitioni plurimum favent, Scripturae inquam famigerato illo Geneseos testimonio; Patres vero ab Apostolica ferme aetate ad saeculum usque XII continenti serie, alii aliis clarius, nos de Divina circa hoc

Virginis privilegium traditione admonendo. Quam traditionem testatam quoque faciunt cultus immaculatae Virginis Conceptui tributus; qui saltem a V. Ecclesiae saeculo caepit in Oriente, et non ita postmodum in Occidente inolevit, nec non mira festi Conceptionis propagatio, quod, licet non omnibus faventibus, in universam tamen sese extendit Ecclesiam. Hanc traditionem testantur etiam iterata R. Pontificum decreta festum Conceptionis approbantia, simulque eius obiectum declarantia: testatur Ecclesiae consuetudo et praxis, quae principio aliquo *theoretico*, ut inquiunt, innitatur necesse est, ne Ecclesia imprudenter agere dicatur: testatur demum constans atque universalis Christifidelium consensio et persuasio quae de hoc mysterio viguit, et viget. *Et in quaestione fidei*, ait Canus *(de locis theol. l. 5. c. ult.) communis fidelis populi sensus haud levem facit fidem.* Certe ab hoc communi fidelium omnium sensu adductum se fatetur Petavius ad piam sectandam sententiam *(De incarn. lib. 14. c. 2. §. 10.)*. Quo fit, ut de Apostolica traditione pro immaculato Virginis Conceptu dubitari minime queat.

Quid igitur obstaculi, iterum dicam, opponi potest, quominus dogmaticum de intemerato Virginis Conceptu edatur decretum? Potuit Ecclesia dogmatice definire veritatem aliquam traditioni innixa, licet ad rem comprobandam aut Scripturae testimonia deessent, aut viderentur in speciem contraria. Exemplo est decisio Stephani R. Pontificis de valore Baptismi ab haereticis collati, quam Nicaena Synodus postea ratam habuit. Potuit Ecclesia utpote controversiarum iudex a Christo instituta, dogmaticum edere decretum de aliqua veritate, quae licet in Scripturis expresse non haberetur, implicite tamen in alia continebatur, ipsique arctissimo iungebatur vinculo, quamvis eidem veritati nonnulli Patres refragari viderentur. Patet ex alio decreto quoad valorem Baptismi ab infideli collato *(Nicolaus I in responsione ad Bulgaros; Eugenius IV in suo decr. pro Armen.)*.

Potuit Ecclesia, ut *columna*, et *firmamentum veritatis*, veritatem aliquam dogmatico sancire decreto, Patribus et ecclesiasticis scriptoribus minime inter se convenientibus, imo colluctantibus. Constat

id ex sententia de visione beatifica Dei proxime ab obitu consequenda, lata a Benedicto XII post longam discussionem sub Ioanne XXII habitam. Manifestum est etiam ex decisione Innocentii III (*c. 7. Quando de divortiis*) de Coniugii solutione, cum alteruter coniugum Christianam religionem amplectitur, PP. hanc circa rem inter se omnino non consentientibus.

Potiori itaque ratione poterit Ecclesia dogmaticum edere Decretum de Immaculata Virginis Conceptione quam Scripturae suadent, traditio docet, Patres celebrant, Ecclesia praedicat, populus colit. — Eia igitur precor, Pontifex summe, Decretum hoc vel per Te, quod firmiter, vel una cum Episcopis in Concilio congregatis, quod solemnius, edere digneris. Adiunge hoc decus Virgini excelsae. Quid ad laudem praeclarius, vel ad gloriam luculentius, quam ineluctabili decreto sancire Mariam in primo Conceptionis suae instanti intemeratam fuisse? Te non latet quantum id gratum accidet Ipsam colentibus, quantum emolumenti inde capiet Ecclesia. Nam scis Virginem vel minima quaeque obsequia cumulatissime remunerari; et quid est quod Ea non agat, edito illo Decreto Ipsi perhonorifico, in Ecclesiae bonum, et praesidium hisce praesertim temporibus quorum acerbitas tanta est, ut superno aliquo auxilio omnino opus sit? Oh utinam haec dies in ianuis esset; oh utinam mihi brevi datum ferre Decreti nuncium Virgini in ipsa eius Domo, eique de tanto honore gratulari? Quid gratiae, quid muneris est, quod mihi pro nuncio polliceri non debeam? Fateor quidem, quod vel sola cogitatio animum recreat, laetitiaque perfundit.

Sed Tuus, o Beatissime Pater, in Virginem singularissimus amor, praecipue sub Immaculatae Conceptionis titulo honoratam, talis tantusque est, ut nec stimulis urgendus, nec precibus exorandus. Reliquum est igitur ut Decretum hoc iamdiu exoptatum silentio praestoler, dum interim Tuos pedes deosculatus, me omni cum animi demissione, ac veneratione subscribo

Sanctitatis Tuae

Datum Laureti Septimo Kalendas Martii 1850.

Humill. Addict. Obseq. Famulum et Filium

FRANCISCUM *Arch. Ep. Recinneten. et Lauretanum.*

CCCL.

DEL VESCOVO

DI LAMEGO *IN PORTOGALLO*

BEATISSIME PATER

Litteras a Sanctitate Tua Caietae datas die secunda Februarii anni proxime praeteriti (1849) ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos totius Catholici Orbis, gratissime recepi, magis tamen exultarem, si praedictae Litterae datae fuissent Romae, ubi tranquille commoraris, et ab omnibus ibi debita reverentia observantiaque prosecutus esses. Hoc intimo corde desidero, idemque desiderant totus Clerus et populus Dioecesis Lamacensis, et incessanter Deo preces dirigimus ut vota nostra benigne exaudire dignetur.

De gravissimi ponderis negotio in supradictis Litteris agitur, nempe de convenientia et opportunitate decernendi solemni Ecclesiae et Apostolicae Sedis iudicio Beatissimam Dei Genitricem omniumque nostrum amantissimam Matrem Immaculatam Virginem Mariam absque labe originali fuisse conceptam.

Notoria certe est omnium fidelium non solum Dioecesis Lamacensis sed etiam totius Regni Lusitani doctrina, qua credunt et confitentur, tanquam ab Ecclesia Catholica iam definitum Beatissimam Virginem Mariam absque labe originali fuisse conceptam; ideoque, si solemni Ecclesiae et Apostolicae Sedis iudicio definiatur tanquam Dogma Fidei, ego et omnes meae curae commissi magno cordis gaudio talem definitionem suscipiemus; et hoc firmissime assero, Sanctissime Pater.

Sed tamen si in actuali rerum statu sit opportunius quam fuerat tempore aliquorum Summorum Pontificum venerabilis recordationis, et doctissimorum Tridentini Concilii Patrum talem decisionem perferre, non audeo opinionem emittere.

Maxima Tua sapientia, tot virorum doctrina et pietate illustrium, consiliis munita, et Divina Gratia illustrata secure poteris iudicare si et quando definitio, de qua agitur, oportebit.

Facultate in supradictis Litteris concessa munitus, Beatissime Pater, quam primum ordinabo ut Clerus Dioecesis Lamacensis peculiares horas canonicas de Beatissimae Virginis Conceptione recentissime compositas, et Romae typis editas, loco earum quae in communi Breviario continentur, recitare valeat.

Et cum mihi notum sit Sanctitatem Tuam Indulto die tertia mensis Augusti anno proxime finito Fratribus Minoribus strictioris observantiae S. Petri de Alcantara et S. Paschalis Baylon in Regno Neapolitano concessisse vigiliam sine ieiunio cum Missa propria die septima mensis Decembris: Te, Sanctissime Pater, deprecor ut ad Ecclesiam Lamacensem hoc indultum extendere, si Tibi placuerit, digneris.

Deus, omnium Pater et Dominus, Te custodiat, vitamque Tuam ab omnibus adversitatibus servet incolumem ad Sanctae Apostolicae et Catholicae Ecclesiae prosperitatem, et ad Christifidelium solatium.

Ante pedes Sanctitatis Tuae provolutus, Tuam Apostolicam Benedictionem reverenter efflagito

Sanctitatis Tuae

Olisipone 25 Februarii 1850.

Humill. Devot. et Obser. Filius et Servus

IOSEPHUS, *Episcopus Lamacensis.*

CCCLI.

DEL VESCOVO
DI GUADALAXARA

BEATISSIME PATER

Statim ac Vestram Caietae datam Encyclicam, ad universi catholici orbis Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, die secunda Februarii anno proxime elapso missam, accepi (quae quidem pergrata mihi multoque iucuudissima fuit); eam una cum meis ad totius mihi commissae Dioecesis clerum et populum datis Litteris typis mandare aequum duxi, atque inter Missarum solemnia in omnibus et singulis ecclesiis legi, et ubique circumferri. Id quippe fidelium pietas, id sua velut ingenita erga Beatissímam Virginem postulabat devotio intimusque cordis affectus.

Cum vero in tanti momenti negotio, non secus ac quibusvis aliis vel etiam minimis, nihil prorsus absque superni Spiritus adiutorio valeat humana fragilitas; publicas, ut mei erat muneris, preces indixi, atque tam in Cathedrali Ecclesia, quam in Parochialibus, necnon et aliis omnibus peragendas curavi, ut emisso coelitus lucis suae radio, Sanctitatis Vestrae mentem illuminare, ac, iuxta Christi Domini nostri promissa, suum in terris Vicarium edocere veritatem dignetur. Publicis hisce totius meae curae concrediti gregis humillimis precibus, meas quantumvis indignas, adiungere decrevi, Deumque Optimum Maximum, ut Vestram Beatitudinem hac praecipue in re illustret ac dirigat, indesinenter exoro. Faxit clementissimus ille multumque misericors Pater, qui ardentissimum, pro Immaculatae Virginis ab originali peccato immutatis declaratione, in populo suo reviviscere fecit desiderium, ut a Sancta Ecclesia sua Sedeque Apostolica veritas haec, iam satis illustrata et explorata, tam-

quam fidei dogma solemni iudicio tandem aliquando definiatur. Haec mea sunt, B. P., ac velut a teneris fuerunt desideria et vota, hoc universa Guadalaxarensis Dioecesis vehementer exoptat.

Anne vero pientissimum istud huiusce Dioecesis, immo totius mexicanae gentis (quae, ob singularem suam ac veluti innatam erga dignissimam angelorum Reginam devotionem, *Mariana* haud immerito appellari posset) desiderium, tamquam vulgi imperitia parvi erit aut etiam nihili pendendum? Neutiquam profecto, maxime cum hac nostra aetate idem sit omnium fere populorum votum, idem expostulent quamplurimi Episcopi iteratis petitionibus atque ingeminatis studiis, idem apertissime demonstrarint tot diversarum aetatum et regionum sanctissimi et doctissimi viri, qui verae germanaeque theologiae solidam et expressam effigiem tenuerunt, non vanas fugientesque umbras persecuti sunt nec vulgi imperitiam.

Scio equidem numquam Ecclesiam Dei nova fidei dogmata condidisse, ut gratis fingunt catholicae veritatis hostes infensissimi: sed iuxta Christi Domini praeceptum, sacras Litteras scrutatur, divinam consulit et apostolicam traditionem; nihilque aliud praeterquam quod divinitus revelatum est tamquam de fide credendum nobis umquam proposuit. Ipsa, ait doctissimus Cardinalis Bellarminus, *non habet nec scribit novas revelationes, sed tantum declarat, quodnam sit Verbum Dei scriptum, vel traditum, et quomodo intelligi debeat.* (Lib. 2 de *Conciliorum auctoritate* cap. 12) Non tamen opus est veritatem aliquam disertis verbis, *formaliter* et *explicite* in Scripturis aut traditione contineri: alioquin numquam *transubstantiationis* dogma contra impugnatores declaratum fuisset, nec duplex in Christo voluntas adversus Monothelitas, nec plura alia quae longum nimis esset enarrare. Satis ergo est veritatem illam *implicite* et virtualiter in Verbo Dei scripto aut tradito contineri: neque enim minus fide dignum esse potest quod secundo hoc modo revelatur a Deo, quam quod explicite disertisque verbis in sacris paginis legimus.

Quot vero quantaque sint novi et veteris foederis testimonia, quot vel a primis Ecclesiae seculis sanctorum Patrum dicta, Beatissimae Virginis ab originali culpa immunitati faventia; quot etiam

Pontifices summi, Concilia, Theologicae Scholae, Academiae vel celeberrimae, Religiosae Familiae, nequidem inclyto Praedicatorum Ordine excepto; quot demum clarissimi Antistites, quot Populi, quot Principes Immaculatam Mariae Conceptionem iubilando celebrent, firmiter teneant, constantissime praedicent, proximamque huius veritatis definibilitatem palam defendant, adeo compertum est et exploratum, ut ea longa oratione referre supervacaneum existimem, ac, ni fallor, solummodo indicare sufficiat.

Ex adiunctis autem praelo datis libellis, quibus omni argumentorum genere Beatissimae Virginis Conceptio videtur demostrari, notum Sanctitati Vestrae fiet quae sint horum fidelium vota, quis Guadalaxarensis Academiae unanimis sensus, quae demum omnium et singulorum huius Cathedralis Ecclesiae Capitularium sententia.

Iam vero quod ad me attinet, ne in gravissimo hoc negotio imprudenter et temere proferrem iudicium, ex quo Vestrae Beatitudinis Litterae ad me pervenerunt, quotidie in orationibus meis, praecipue dum Deo sacrosanctum Filii dilectionis suae Corpus et Sanguinem offerrem, ipsum ut sua coelitus emissa luce, mentis meae tenebras illuminaret, sine intermissione rogabam: cumque, ut bene advertit sapientissimus Benedictus XIV. in praeclaro opere cui titulus « Synodus Dioecesana » *Canonici Ecclesiae Cathedralis sint consiliarii nati Episcoporum, adeout non liceat Episcopo aliquod gravis momenti negotium aggredi et deliberare inconsulto Capitulo:* ipsorum in gravissima hac re exquisivi consilium et sententiam, cui perlibenter acquiescens, dico *Sanctam Dei Genitricem, angelorum et hominum Reginam dignissimam, singulari Dei immortalique dono, in primo suae Conceptionis instanti a peccato originali praeservatam fuisse:* simulque Vestram Beatitudinem rogo ut hanc veritatem veluti catholicae fidei dogma definire ac declarare digneris. Solemne hoc (quod tantopere exoptat christianus populus) Apostolicae Sedis iudicium, in maiorem, ni fallor, Dei gloriam cedet, Immaculatae ipsius Matris honorem, Ecclesiae Catholicae utilitatem et bonum.

Deus, cuius providentia Beatitudinem Vestram ad sublimem Petri Cathedram evehere dignatus est, coelestis suae gratiae lumine

mentem Vestram in hac gravissimi momenti recollustrare velit, Teque, ut precor, diutius servet incolumen.

Ad Vestrae Sanctitatis pedes humiliter provolutus Vestram expostulo Apostolicam Benedictionem

Beatissime Pater

Dat. Guadalaxar. Kalend. Mart. anno 1850

DIDACUS *Episcopus Guadalaxarensis.*

CCCLII.

DEL VESCOVO

DI SOZOPOLI *IN PARTIBUS*

VIC. APOST. DI KIANGSI E THEKIAG

(Estratto di Lettera comunicata dalla Cong. di Propaganda).

Haud dubio abs re non erat humiliter hic exprimere me cum gaudio vere inenarrabili, nuper accepisse Encyclicam DD. Pii IX D. PP. N. circa propositum declarandi ut dogma Fidei Conceptionem Immaculatam B. Mariae. Ego igitur, cum S. A. M. Ligorio in meae Reginae obsequium sine cunctatione respondebo illius Immaculatam Conceptionem esse hodie luce meridiana clariorem, quod constat ex revelationibus, ex Bullis Summorum Pontificum, ex sanctis Patribus, ex sensu communi fidelium *etiam Kiangsinensium* et *Thekiangnensium*, qui annualiter, occurrente ex praecepto Ec-

clesiae festo Conceptionis B. Mariae, nunquam aliam sententiam audierunt, nec aliam cognoverunt, quam illam, quam Summus Pontifex Benedictus XIV dicebat suo tempore esse moraliter certam, ita ut solummodo desit definitio Ecclesiae ut teneamur Fide divina illam credere. *Chu Ma-li-ya, vu yuen-tsouy che thay, Ouo-teing p'hen eus tày trien, vuey vuo-teinng ki!* O Maria, sine labe originali concepta, ora pro nobis ad te confugientibus! Talis est ab aliquot annis pia invocatio nostrorum suorum bis in die scilicet tempore matutinalium, et vespertinarum precum.

Kiang-si, Linkiang fou die 7 Martii 1850.

Concordat cum originali epistola supradicti Episcopi Vicarii Apostolici. Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 30 Augusti 1850.

AL. BARNANO' *a Secretis.*

CCCLIII.

DEL VESCOVO

DI FOSSANO[1]

Quo sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae IX. mandatis in Encyclica diei secundae februarii superioris anni expressis, ea qua par erat sollicitudine ac fidelitate obtemperaremus, Nosque ac fideles humilitati nostrae concreditos sub ipso Episcopatus initio amantissimae simul et potentissimae Dei hominumque Matri omni devotione et confidentia commendaremus, datis

1 La presente scrittura non è propriamente una lettera, ma un Voto; ed è intitolata: *Votum super Immaculata B. M. V. Conceptione, eiusdemque dogmatica definitione.* Tuttavolta la riportiamo fra le propriamente dette lettere.

ad Parochos Litteris nedum significavimus, novum officium de Beatissimae Virginis Conceptione, quod praelis cudi curavimus, ab universo Dioecesis Clero imposterum recitandum ob facultatem Apostolicam mira dignatione nobis tributam; sed et peculiare sacrum indiximus triduum diebus secunda, tertia et quarta mox elapsi Februarii in qualibet Paraecia peragendum, quo pium ac momentosum enunciatae Encyclicae obiectum brevi et perspicuo sermone populo explicaretur, nec non plurimae fervidaeque preces iuxta mentem Sanctitatis Suae publice privatimque funderentur: Votum insuper eiusdem Cleri efflagitavimus libere et accurate pandentum in apposito Conventu, eo plane modo quod haberi solet ad casus morales resolvendos, ac postea per Delegatum specialem nobis scriptis exhibendum.

Laudabili, solantique alacritate se se nobis adiunxerunt dilectissimi Collaboratores in hac Dominici agri portione excolenda, cunctaque omnia pro votis fauste cesserunt: fideles namque maiori, qua fieri poterat frequentia ac religione ad triduanas functiones accurrentes haud dubium praebuerunt argumentum, se rationabili ferventique devotione esse animatos erga immaculatam B. M. V. Conceptionem, ignitoque flagrare desiderio, ut haec veritas, quam omnes *pie* iam profitentur, quantocius supremo Ecclesiae oraculo tamquam fidei dogma decernatur. Clerus autem fere universus memoratis conventibus gestienti animo interfuit, atque uno pene ore in affirmativam concessit sententiam, iuxta quam sanctissima B. M. V. anima primo ipso, quo condita fuit atque in corpus immissa, temporis puncto supernis adeo benedictionibus fuit praeventa ac comprehensa, ut nullum superfuerit spatium, quo peccato originali accessus ad eam patuerit.

Felices hosce successus eo libentius Pontifici vere Pio et Summo referimus, quo antiquioribus nostri animi sensibus ac desideriis apprime consonant.

Huc autem adducimur, ut paucis enucleemus nostram percelebri hac de re opinionem, pluribus nondum quidem decretoriis, neutiquam tamen levibus rationum momentis.

Et primo quidem nos movent illustria Scripturarum oracula. Callidum alloquens Deus serpentem, cuius sermone circumventa fuerat prima Eva, iamque ex tunc alteram Evam spectans « Inimicitias, inquit, (*Gen. III, 15.*), ponam inter te et mulierem.... ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius », quomodo autem insignis ac plena in daemonem victoria intelligi poterit, si haec ipsa mulier ferreo eiusdem serpentis iugo vel aliquantisper subacta remanserit?

Accedunt et alia testimonia: « Unus est (*Eccl. I. 8. 9.*) Altissi-
« mus Creator omnipotens .... ipse creavit illam in Spiritu San-
« cto — Sanctificavit (*Psal. XLV. 5. 6.*) tabernaculum suum
« Altissimus .... adiuvabit eam Deus mane diluculo — Spon-
« sabo te (*Ose. II. 19. 20.*) mihi .... in miserationibus, et scies
« quia ego Dominus — Sicut lilium (*Cant. II. 2.*) inter spinas,
« sic amica mea inter filias (*IV. 7.*). Tota pulchra es, amica mea, et
« macula non est in te — (*VI. 8.*) Una est columba mea, perfecta
« mea — (*Eccl. XIV. 25.*) In me gratia omnis — (*Psal. LXXXVI.*)
« Fundamenta eius in montibus sanctis — (*Prov. VIII. 22. 23. 24.*)
« Dominus pessedit me in initio viarum suarum, antequam quid-
« quam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex anti-
« quis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego iam
« concepta eram » — quae quidem omnia, licet neque litteraliter B. Virginem respiciant, neque ad dogmatis auctoritatem sufficiant, sunt nihilominus haud exigui ponderis. Eo namque ipso, quod Ecclesia illa Deiparae accomodat, sat manifesto declarat, tam eximiis praeconiis Mariam tuto ac vere extolli posse.

Idipsum nos decent sancti Patres, quorum omnium instar unum et alterum tantum laudamus. Praeterquam quod enim S. Augustinus, quum de peccatis ageret, propter Domini honorem excipiebat Mariam, de qua imo nullam habere volebat quaestionem; S. Maximus Taurinensis Antistes (*hom. 5. ante Nat. D.*) asserebat Mariam idoneum plane fuisse Christo habitaculum non pro habitu corporis sed pro gratia originali; et S. Paschasius Ratbertus *de perpet. Virg. S. M. et Eius parturitione* subdebat, constare Mariam ab omni ori-

ginali peccato immunem fuisse .... et ab omni contagione primae originis alienam.

Hinc Ecclesia Catholica piam sententiam de immaculato Mariae Conceptu a remotissima antiquitate ratam habuit, atque promovit. Nam in Liturgia Iacobi Orientalium omnium antiquissima, Mariam laudat tamquam immaculatam atque intemeratam.

Ex saeculo vero quinto penes Graecos festum instituit, subinde apud Hispanos, Anglos, Gallos aliarum regionum Catholicos constanti progressu propagatum, quo cum iucunditate, solemniterque celebratur Conceptio S. Mariae Virginis, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum.

Nec desunt theologicae rationes ex congruentiae fontibus depromptae. Si summus rerum omnium Artifex quum Angelos ac Protoparentes creabat, erat condens in eis naturam et largiens gratiam, decebat profecto, ut Omnipotens Pater simili saltem sanctitatis beneficio Illam decoraret, quae, augustissima Angelorum hominumque Regina, Primogenita ante omnem creaturam, ex ore Altissimi prodivit ab initio et ante saecula creata.

Si unus mediator Dei et hominum .... Christus Iesus ex mortalibus quemque eo impensius dilexit, ac magnificentius exornavit, quo propiorem habuit in diebus carnis suae, et Ioseph eius Custodem *iusti* cognomento distinxit, et Ioannem Baptistam eius Praecursorem Spiritu Sancto replevit adhuc ex utero matris suae, decebat profecto, ut sapientissimus omnium Redemptor insigni prorsus, nullique adhuc concesso privilegio Illam ditaret, quam coniunctione inter humanas propinquitates arctissima ac suavissima praeparaverat, ut dignum sibi habitaculum effici mereretur.

Si Spiritus Sanctus, a quo bona cuncta procedunt, ea singulis charismata abunde communicat, quae ipsis eorumque officiis sunt necessaria, decebat profecto, ut optimus omnium donorum largitor ab omni prorsus labe Illam praeservaret, quam gratia plenam Archangeli Gabrielis ministerio salutavit paulo ante quam in Eam supervenerit, virtuteque Altissimi obumbraverit ei.

Quis autem putet, quae de peccato originali tradit catholica fides

Sanctae Dei Genitrici attribui posse, ut natura filia ira, Deo invisa, diabolo subdita, peccato mancipata, gehennae periculo obnoxia, ac aeternae mortis comminatione perculsa vel ad modicissimum intervallum extiterit?

Quod si opinionum commenta delet dies, veritatis autem iudicia confirmat, quis non videat quod potissimum argumentum oriatur ex unanimi, crescentique catholici populi consensu circa immaculatae Mariae Conceptionem, dum contraria opinio adeo exolevit, ut non solum propugnari, verum etiam nec efferri iam possit sine gravi christianae plebis offendiculo?

Neque laici tantum aut rudes, sed et Regulares Ordines, ac perillustres Academiae *piam* sententiam studiis augere, officiisque confirmare nullo non tempore sategerunt. Episcopi autem nulli unquam pepercerunt labori, ut sincera gregis erga hoc mysterium veneratio conservaretur, imo augeretur, et recentiori adhuc aetate, haud intermissis pastoralibus prioris aevi sollicitudinibus, novas induxerunt precandi formulas, quibus Maria publicis in supplicationibus sine labe originali concepta invocatur, et in ipso Missae sacrificio immaculata laudatur.

Quum autem ex Ecclesiasticis historiis liquido emergat, Apostolicam Sedem in quibuscumque fidelium calamitatibus, aliquo addito in Mariae honorem ritu, sub eiusdem praesidium prospero semper exitu confugisse, opportunum mehercle videtur, ut in tot, tantisque, quibus nunc premimur angustiis, peculiare Eidem praestetur obsequium, per cuius manus cuncta Coeli munera nos accipere Deus disposuit.

Quapropter singulari in praecellentissima Dei Matrem reverentia, ac in beneficentissimam hominum Patronam fiducia commoti vulgatissimam de immaculato Mariae Conceptu sententiam, utpote non paucis solidioribus rationibus suffultam, nulli sat firmis momentis oppugnatam, Ecclesiae sensui consentaneam, Divinae Maternitatis dignitati convenientem, ac fidelium utilitati accommodatam, supremo Ecclesiae oraculo, per dogmaticam definitionem, saltem indire-

ctam, statui posse humiliter sentimus, quin imo enixe obsecramus, vehementerque exoptamus.

Fossani die 20. Mensis Martii anno 1850.

ALOYSIUS *Episcopus Fossanensis.*

CCCLIV.

DEL VESCOVO

DI SCEPUSIO *IN UNGHERIA*

BEATISSIME PATER

Sanctitatis Vestrae Litteris die 2.ª Februarii anni elapsi 1849 datis ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, summa cum veneratione a me receptis et Clero populoque patefactis, publicas in omnibus Ecclesiis meae Dioecesis preces indixi, quas et ego cum Capitulo, Clero et fidelibus huius civitatis egi in Cathedrali mea. Demum in Congregatione Cleri totius Dioecesis hodie habita iuxta morem in Clericorum Seminario, melius exploravi qua devotione idem Clerus populusque erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut a Sancta Sede solemni iudicio decernatur Sanctissimam Dei Genitricem omniumque nostrum amantissimam Matrem Immaculatam Virginem Mariam absque labe originali fuisse conceptam.

Iam vero ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus etiam nomine eiusdem Cleri obsequentissime et libentissime testor maximam esse devotionem Canonicorum meae Cathedralis, Parochorum, Sacerdotum, universique Cleri saecularis et Regularis ac totius populi erga

Conceptionem *Immaculatam* Beatissimae Virginis Genitricis Dei Mariae, atque ardentissimo desiderio omnes flagrare, ut a Sanctitate Vestra definiatur veluti catholicae Ecclesiae doctrina, eiusdem Sanctae Virginis Conceptum Immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.

Quod vero attinet ad sententiam meam, quam Vestra Sanctitas expostulare dignatur, meumque eo super articulo desiderium, tot tantaque rationum momenta aspicio, quae huiusmodi argumentum, piissimumque iudicium in lucem collocant, ut ferme mirari liceat, quod nondum ab Ecclesia et Sancta Sede hic Beatissimae Virgini decretus honor sit, quem communis devotio ipsi Virgini ex solemni eiusdem Sanctae Sedis declaratione et auctoritate tribui tantopere exoptat.

Supplex imo exoro humiliter Sanctitatem Vestram, ut hanc fidei definitionem edat, qua maior divinae Matris gloria et laus procuretur, cultusque publicus magis promoveatur, eiusque potentissimum patrocinium habeatur in tantis calamitatibus, quae Ecclesiam, Antistites, Sacerdotes et bonos Christifideles premunt.

Haec subiiciens Vestrae Sanctitati obsequentissime illam rogo, ut indigno eius filio scribenti, huic Clero et populo Apostolicam Benedictionem impertiri dignetur, qua muniti Pastor et oves suum respective munus fideliter fortiterque impleant, ac aeternam coronam iustitiae recipere valeant.

Vestrae Sanctitatis

Dat. Secusii die 20 Martii 1850.

Humill. et Indigniss. Filius et Servus
IOANNES ANTONIUS *Ep. Secusinus.*

CCCLV.

DEL VESCOVO

DI GIRONA

Beatissime Pater

Ecce adest ab oris Hispaniae in Regno Catalauniae Episcopus Gerundensis ea qua par est veneratione pedes Beatitudinis Vestrae deosculans, et summa cum animi iucunditate mandatis Tuis obtemperans, Tuis votis obsecundans, responsione, quam hic humillime exhibet, in V. B. Encyclica diei secunda mensis Februarii anni proxime elapsi edita expressis, quam flagranti studio ac corde amoris succenso ad universos catholici orbis Praesules expedire dignatus es, ut quid ipsi, quid Clerus, quid tandem fidelis populus circa immaculatam Beatae Virginis Mariae Dei Genitricis Conceptionem sentiant, et de eiusdem mysterio definiendo a V. B. exoptent, renuntiarent.

Abs dubio me amplissimo illi, quo licet immerito ac prorsus indignus, Dei tamen singulari, et B. V. gratia fungor, catholicae ac solius verae Christi Sponsae Ecclesiae Praesulis muneri, nullatenus satisfacere iudicarem; quinimmo nec verum aliqualem erga Deum eiusque Sanctissimam Matrem me profiteri amorem affirmare auderem, si memorabili praefatae Encyclicae, qua ferventissimo profecto pietatis studio ad maiorem Dei gloriam ac eius Genitricis honorem eximium promovendum, non prout efflagitas et meum iudicium, et cleri, et populi mihi commissi, ut mente et animo teneo congruam responsionem V. B. lubentissime non significarem. Quod autem hoc antea iam non effecerim, id minime aut ulli circa hanc quamvis altissimam materiem dubitationi, vel tepori, sive alteri degeneri causae adscribendum velim; etenim id quod iam longo annorum tractu censeo, potiusve dicam, quod absque ulla haesitatione, nec

errandi formidine firmiter sentio; V. B. iam diu notum facere in votis habui. Id unum ardenter ut perficerem exoptabam, ut Te, Beatissime Pater, quem impiorum nec non immanium virorum ac ingrati cordis post hominum memoriam, divina et humana omnia iura evertere conantium, nefaria scelerum colluvie, multiplici machinatione in Te Patrem beneficentissimum ac mitissimum, ex Urbe, quam ab exordio Ecclesiae catholicae centrum extitit Sedis Apostolicae, exulare lacrymantibus oculis conspeximus; tandem Dei ope et Baatae Virginis Mariae protectione toto in orbe terrarum mundo exultante, ac Roma gaudente, in ipsam Romam salvum ac incolumem regredi duplici gaudio his meis litteris salutarem. Te inquam, B. P. inter tot casus ac periculosa discrimina rerum ex tunc pro se quutus est non segni gressu nec tepido corde spiritus meus. Et quis talia cogitando vel nunc temperet a lacrymis? Ea idcirco animus meminisse horret ac fletu refugit: et si quid veri solatii ac spei firmissimae, ut revera superest, corde fovemus, eo quod ineffabili Dei Optimi Maximi promissis fulcitur, in ipsa etiam memoranda in aevum Encyclica Vestra invenimus. Quis enim in ea mirum ac supernum aliquid non agnoscat sive tempus, sive circumstantiae, quibus eam, B. P., tot ac tantis curis gravatus, et multiplici angustiarum genere oppressus, in lucem edidisti, introspiciantur? Quapropter et profunda mentis submissione, Dei iudicia adorantes, cum in dies spes nostra differatur, quam responsionem circa praefatum Genitricis Dei Immaculatae Conceptionis clarissimum privilegium V. B. exposcit, diutius remorare non licet; ideoque qua possim brevitate conficiam, et qua veri sinceritate valeam V. B. patefaciam.

Dei Genitricem Beatissimam ac semper Virginem Mariam absque labe peccati originalis fuisse conceptam, atque veluti arcam Noë ab aquis Diluvii, illam de communi culpae contagione a divino praeservatore ex morte eiusdem Filii sui praevisa immunem fuisse, firmissime teneo; et hoc ipsum et clerum et fidelem populum huius dioecesis, ubi vera religio cum eximia pietate Dei singulari favore post tot ac tantas, quibus afflicta est bellorum strages, immobili robore firmiter stat ac perseverat, sentire ac profiteri gaudenter ostendimus.

Et quidem luculentissima argumenta, quibus et pietatis officia erga Beatam Virginem Mariam, et in eius immaculatae Conceptionis mysterium evincuntur, non solum huius vel illius gentis terminis concluduntur, verum etiam, quod et maxime veritatem huius mysterii excrescere mirum in modum efficit, generali populorum Hispaniarum ac totius Orbis catholici assensu ac fide roborantur. Et nisi velut importunum et extra limen adscriptum me evadere existimarem, mira et magna cordis effusione, quae Hispaniarum Regnis praesertim de immaculata Conceptione a remotioribus temporibus et semper in dies constanti cultu, invariabili sententia, traditione semper excrescente, ferventissimo ac tenerrimo animorum sensu celebrantur, iucundissime enarrarem. Sed haec omnia, et quae ad huius mysterii speculativam, ut ita loquar, scientiam attinent, praetermitto, cum praecipue a sapientissimis viris ac virtute fulgentibus iam retroactis temporibus, et nunc etiam V. B. speciali cura congregatis, huius materiae copia luculentissime sit absoluta. Quapropter cum interioris assensus veritatem praxis demonstret, nonnulla huius rei exempla transcribere existimo.

Communi et generali plausu utroque Hispaniarum et Indiarum Regno tanquam praecipui patronatus titulo, cuius honore gloriatur, celeberrimum festum cum Missa et officiis propriis Ecclesia veneratur et colit. Sub hoc etiam gloriosissimo immaculatae Conceptionis titulo plurimis in sapientiae Scholis ut Patrona agnoscitur: et in huius Principatus Academia praecipua statuta lege provisum fuit neminem ad publicos scientiae gradus posse conscendere, quin prius iureiurando sese constringeret Virginis Mariae immaculatam Conceptionem defensurum. Collegia etiam pridem erecta cernuntur, quae eiusdem Virginis Mariae tutelae commissa, eamdem ut immaculatam in primo suae Conceptionis momento venerari laetantur. Et quid aliud innuunt et demonstrant nisi hanc piam fidem, piam inquam, ne V. B. iudicium praevenire videar, tot capellae Beatae Virginis Mariae sub eodem titulo dicatae, tot eiusdem sodalitates erectae innumeris privilegiis ac indulgentiis a Summis Pontificibus locupletatae? Numquid non idipsum plane evincit pia admodum con-

suetudo, qua renatis sacro fonte puellis quadam animi teneritudine Mariae Conceptionis nomen frequenter imponitur? Et quid etiam aliud significat generalis supra modum huic mysterio devotio, qua tam in publicis, quam in privatis locis, tum sculptae, tum depictae Conceptionis imagines passim conspiciuntur? Verum quod Hispanorum piissimum ac firmiter animis infixum assensum immaculatae Conceptionis Genitricis Dei penitus evincit, ac veluti singularis honos huius Nationis existit, abs dubio ea est dulcisona salutatio, quae retroacta immemorabili antiquitate ad haec usque tempora a parentibus in filios tanquam peculiari haereditatis iure transmissa, ad ingressum domus sic adhibetur: « Ave Maria purissima: » et a consalutantibus vel pueris, ex quorum ore laus divina et exurgit, et perficitur, ista in modum laudabilis responsio communiter resonat: « Sine peccato concepta. »

Haec omnia B. P. ita se habent in Hispaniae Regnis, quorum pietas et devotio circa immaculatam Virginis Mariae Conceptionem satis exprimi non potest; ei in hac Gerundensi dioecesi, non sine ingenti gaudio profiteor, plurimi Sacerdotes sacrosanctum Missae sacrificium celebrarunt, et plures insigni pietate viri et mulieres sacram Eucharistiam frequentiori more ex illa die sumere coeperunt, qua notum factum est a V. B. preces et vota ordinari, ut si Deo placeret, tanquam de fide catholica credendum immaculatae Conceptionis mysterium tandem definiretur. Nec mirum quod ista devotio sic excreverit, cum iam decimo tertio saeculo in hac Ecclesiae Cathedrali quam plurimis et volventibus annis repetitis capitularibus actis, et festum, et eximius cultus Beatae Virginis Mariae sub titulo Conceptionis immaculatae, Municipio apparatu splendido cooperante, et populo mira exultatione gaudente, fuerunt conclamata.

Nec silentio praetereundum existimo quod ad hanc civitatem speciatim pertinet, quippe ad nostrum assertum roborandum maxime refert: scilicet, a die prima Februarii anni proximi elapsi, pridie nempe quam praeclaram Encyclicam V. B. edidit, quasi proprio et simultaneo motu, solemne triduum fuit stabilitum ad instar societa-

tis scapularis caerulei Apostolicae Sedis auctoritate iam obfirmatae immaculatae Conceptioni Virginis Mariae dicatum in quadam Ecclesia huius Almae Cathedralis suffraganea; in qua usque ad hodiernum diem, non officiente exiguo hanc civitatem inhabitantium numero, mille quingentarum personarum nomen inscriptum apparet, quae praedictum coeleste religiosum signum superinduere.

Dum haec omnia mecum animo B. P. recolo, dum non de unius populi ac regionis, sive aliquarum personarum, atque uno tempore habita opinione, agi considero, sed de communi admodum assensu per plura tempora firmiter admisso usque in praesentiarum, atque amplissimorum hominum, Academiarum testimoniis, et insuper Ecclesiae concessionibus et privilegiis roborato, praeconceptum sermonem cohibere non valeo, ac vivida ex praecordiis affectione non possum non in haec verba profluere. Ergone credibile est Ecclesiam sanctam, catholicam et apostolicam, cui sive congregatae, sive etiam dispersae, in rebus religiosis, quas generaliter tenet, promissio Salvatoris in saeculum infallibilitatis pollicita est; nec ei ea denegandi in his, quae ad festa sanctorum religioso generali assensu observat et pio cultu ac veneratione adimplet, in sola hac suae Sanctissimae Matris, et circa praecipuum Dei Genitricis decus et ornamentum, universali, constanti, et semper in dies excrescente fide, claudicare? Sane vel hoc solum suspicari nefas existimo; etenim divinae bonitati incongruum ac minus dignum videtur sinere aut permittere Sponsam Christi in eiusdem tenerrimae ac amantissimae Virginis Matris, et ab ipso pariter super omnia creata, sive quae in coelis, sive quae in terris existunt aut existere possunt, praedilectae, festo Conceptionis, quam immaculatam iubilo dulci, plausu celeberrimo, fere ubique terrarum celebrat, errore veluti ineluctabili atque invincibili decipi.

Absit a catholicorum mente vel cogitare Ecclesiam, quae non solum est columna ac firmamentum veritatis, verum etiam et Magistra, in tam generali membrorum suorum, et quorum maior et ferventior est pietas, praefato assensu falsitati subesse, et maxime dum quaerit ac expetit nitidissimum decorem ac splendidissimum decus in

illo Virgineo tabernaculo per quod Summa Trinitas honoratur, et ex quo ipsa Divina Trias sacratissimi Domini nostri Iesu Christi corpus efformavit, tenebricosa erroris macula foedatam obnubilari.

His omnibus ita perpensis, nihil amplius, B. P. me posse expetere cogito, nisi ut, quod pio et firmissimo assensu cum clero, et populo fideli huius dioecesis teneo, et profiteri glorior, velut maxime consentaneum divinae voluntati, quam citius Vestro irrefragabili iudicio, tanquam dogma fide catholica tenendum, immaculatae Virginis Mariae Conceptionem definire digneris. Et quis sciat an divinae providentiae inscrutabili dispositione huius definitioni mysterii de immaculatae Virginis Mariae Conceptione, tandiu ardenter optatae, ac precibus expetitae, reservetur, ipsius purissimae Virginis, cuius potestati iam ab origine mundi superne concessum fuit caput serpentis conculcare, et cunctas haereses in tempus profligare, nunc etiam foedas ac multiformes in religionem ac societatem errorum colluvies pede sanctissimo conterere?

Unum tantum post mea, et Cleri, ac huius dioecesis populi fidelis exposita V. B. et sensum et pia desideria mihi superest: ut dum pro Vestra salute, B. P. quae omnium nostrum, etiam non potest non esse, et pace restituta, in Cathedram Romanam protinus revertere possis, Deum Optimum Maximum enixe precor, et incessanter exposco, Vestram denique Apostolicam benedictionem, quam humillime postulo, mihi, et huic Dioecesi Gerundensi meis curis commissae, elargiri digneris.

Beatissime Pater

Gerundae, octavo Kalendas Aprilis anni 1850

FLORENTIUS, *Episcopus Gerundensis*

CCCLVI.

DEL VESCOVO

DI JAEN *NELL' ANDALUSIA*

SANCTISSIME PATER

Debita Ecclesiae Capiti reverentia Tuas Litteras Caietae datas postridie Kal. Februarias anni millesimi octingentesimi quadragesimi noni pietatis plenas ac devotionis erga Immaculatam Mariam Virginem accepi, atque avidissime perlegi. Mirum Tuum desiderium eisdem ostendebas declarationem dogmaticam circa Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Virginis mysterium pronuntiandi, solemne testimonium inde perhibendo *Sanctissimam Dei Genitricem, omniumque nostrum amantissimam Matrem Immaculatam Virginem Mariam absque labe originali fuisse conceptam*, hanc sententiam iudicio Sanctae Apostolicae Sedis ineluctabili confirmando.

Antea verò cognoscere voluisti *qua devotione Clerus populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur*, atque in primis noscere desiderasti, quid de re ipsa sentiant, quidque exoptent Episcopi, qui communioni Apostolicae addicti cum suis fidelibus gregem efficiunt, cuius Tu Pastor universalis es constitutus.

Si tantummodo de Cleri et popoli huius Dioecesis, meique, sine meritis pastoris eorum ageretur, nullam responsioni moram fecissem; meorum quippe pietatem erga Immaculatam Dei Genitricis Conceptionem probe cognosco, menti cordique meo vehementer repugnat aliquando sub diaboli potestate eam fuisse quae illius caput esset contritura: contra vero quam maxima laetitia afficior, cum ingenuam semper, semper pulchram, semperque immaculatam considero, et a culpa originali alienam Dei virtute qui suum tabernaculum sanctificavit.

Cum autem Tu, Sanctissime Pater, Episcopos dignatus fuisses interrogare, quid de hoc mysterio sentirent, ab eis, ni fallor, suffragium dogmaticum petens, vix vehementes animi motus cohibendo, in hanc opinionem veni, me orare, consulere, ac diu meditari debere ut in tanta re sententiam aperirem. Factis igitur publice privatimque rogationibus ad impetrandum Dei auxilium ob Sanctae atque Immaculatae Matris suae intercessionem, optimum factu esse putavi Cathedralium, Collegiatarum et Parrochorum Capitula, litterarum Academias, quosdamque regularis familiae viros audire, ut, quid de Immaculata Virginis Conceptione in iis societatibus credebatur, haud obscure patefacerent.

Hi omnes post examen diligentissimum (quod in quibusdam diutissime fuit meditatum) una voce confitentur, semper se Sanctam Virginem ab originali culpa liberam credidisse, et ideo ex primo suae Conceptionis momento Immaculatam, eosque vehementi desiderio flagrare ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur.

Quamvis autem mentis meae eadem sententia fuisset, atque idem animi mei desiderium, existimavi nihilominus me orare atque amplius meditari oportere, antequam meam sententiam palam ostenderem: non eo quidem quod suffragium argumentorum copia fultum scribere conarer (quid enim dicere possum quod Tuae scientiae, Tuaeque pietati esset ignotum?); sed quia longe continuata meditatio exigua mihi videbatur cum suffragium in tanto negotio essem scripturus.

En igitur, Sanctissime Pater, qua de causa Tuis Litteris tam gratis mihi, tamque attentione dignissimis responsum non statim, imo serius, dedi. Meorum autem maiorum, et praecipue Emi. Cardinalis Pacheco, qui in Sacrosancta Tridentina Synodo pro Immaculata Mariae Dei Genitricis Conceptione optime verba fecit, atque sancti Episcopi ac Martyris Petri Paschasii vestigis insistens, una cum his omnibus huius mysterii veritatem confiteor verba postremi usurpans, cum ex vinculis publicis Illiberiae, ubi comprehensus pro Christi fide tenebatur, ita scribebat: « Oportet igitur intelligere et « credere (et hoc per specialem gratiam) quod haec praefata Virgo « est ea de qua proverbia Salomonis loquuntur, quod ante omnem

« creationem fuit electa, ut Dei Mater esset. Ergo praedicta Virgo « fuit omni tempore in gratia Dei . . . et voluit reservare ab hoc « originali peccato (quod mortale erat) et ab omni alia deturpationis « iniuria. Et hoc per specialem gratiam operatus est Deus, tamquam « qui ab ea carnem assumpturus erat, qui decorus et spetiosus « forma prae filiis hominum futurus erat, sicut iam fuerat praenun- « tiatum. Originale peccatum venit in hominem, et hoc per inobe- « dientiam, propter quam Dei indignationem promeruit, in tantum « ut Deus dixerit: poenitet me fecisse hominem. Si ergo Virgo Maria « labem originalis maculae attraxit, dicendum esset, quod aliquo « tempore fuit in ira Dei; quod nec dici imo nec credi debet; sed « potius quod ante conceptionem eius et postea in gratia sui exi- « stere, et amore [1]. »

Sic Petrus Paschasius perillustris Giennensis Ecclesiae Episcopus et Dei Martyr locutus est, cuius ego sententiae valde ex animo assentior, Te magnopere Sanctissime Pater exorans, ut dogma fidei declarare digneris, quod usque ad diem hodiernam piam opinionem credidimus; ita enim, iudicio Apostolicae Sedis enuntiato, nec minimum quidem dubium ad credendum remanebit, Sanctissimam Dei Genitricem a primo suae naturalis existentiae momento non labe originali sed in gratia fuisse conceptam.

Utinam ita eveniat, Sanctissime Pater, ad honorem Dei et gloriam, eiusque Matris quae amantissimum Filium exorans gratias omnibus consequetur fidelibus Ecclesiam universalem componentibus, pastoribusque qui eos in salutaria ducunt, Tibique maxime qui pastorum Pastor es constitutus, eiusdem Ecclesiae visibile caput, atque Beati dignus Petri Successor, cuius pedes summa is osculatur reverentia, qui hoc suffragium omnino subiectum Apostolicae Cathedrae iudicio suscribit.

Sanctissime Pater

Datum Gienni die 12 Aprilis anno a Nativitate Domini 1850.

R. O. P.

IOSEPH *Episcopus Giennensis.*

[1] S. Petri Paschasii *Opera* edit. Matrit. anno 1676. pag. 365.

CCCLVII.

DEL VESCOVO

DI TIENE *IN PARTIBUS*

VIC. AP. DI XEN-SI

BEATISSIME PATER

Clementissimae Sanctitatis Vestrae Litterae nuper receptae, cum ob maximam regionis longitudinem, post integri unius anni spatium ad me perlatae fuerint, evenit ut tarde responsum dare valeam. Ut Sanctitatis Vestrae votis libentissime obtemperem, nullum dubium habeo, munitus tot auctoritatibus sanctorum Patrum, asserendi Beatam Virginem Mariam absque originali labe conceptam fuisse. Quam ob rem cum Sanctitas Vestra, hoc ut fidei dogma esse credendum, statuerit, et declaraverit, Deo gratissimum, etiamque toti triumphanti Ecclesiae, et militanti erit. Hisce nostris temporibus nullus forte erit, qui hac de re aliter sentire possit.

Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, Apostolicam Benedictionem humiliter exopto, tum huic gregi meae curae commisso, cum mihi. Deus misericordiarum, et totius consolationis, Sanctitatem Vestram ad multos annos pro universalis Ecclesiae utilitate, incolumem sospitet.

Sanctitatis Vestrae

Xen-si in Sinarum Imperio 4 Aprilis 1850.

FR. EPHYSIUS *Ep. Tienensis Vic. Ap. Xen-si.*

CCCLVIII.

DEL VESCOVO

DI ACANDA *IN PARTIBUS*

VIC. APOST. DEL TONKINO OCCIDENTALE

SANCTISSIME PATER

Non multis abhinc diebus, in istum Vicariatum pervenerunt Litterae a Sanctitate Vestra benignissime datae die 2. Februarii an. 1849, de efformando, scilicet, solemni iudicio circa Conceptionem Immaculatam Beatissimae Virginis Mariae agentes; hisce Litteris quam maxima celeritate, ut par est, humiliter respondeo. Iam singulari solatio mihi fuerat ardentissimum meum hac de re desiderium, nec non cunctorum clericorum, universique populi fidelis meae vigilantiae commissorum vota communia ad pedes rec. memoriae Gregorii XVI deferre: quas nunc humillimas preces instantissime iterare ut liceat rogo. Cum iampridem mihi et clero meo ab Apostolica Sede facta fuerit facultas in Praefatione Missae de Bmae Virginis Conceptione vocem illam *Immaculatam* palam publiceque enuntiare et addere, superest ut, pro complendo gaudio nostro, Sanctitas Vestra, veluti catholicae Ecclesiae doctrinam, definire velit Beatissimae Virginis Mariae Conceptum Immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem: quod praecipuo animi studio, et ex intimo cordis affectu efflagitare non desistam. Congruum enim fuit ut Beatissima Virgo Maria, quam Deus sibi Matrem elegerat, tota pulchra et sine macula in ipso Conceptionis primordio permanserit; et quae antiqui serpentis caput virtutis pede contrivit, ne ad modicum quidem ei succumbere decuit. Quonam autem desiderio ego et clerus meus flagremus, ut Immaculata

Beatissimae Virginis Conceptio solemni iudicio ab Apostolica Sede decernatur, satis dicerem enarrando quot et quanta nobis contulerit beneficia, illa clementissima divinae gratiae Mater; quo piissimo amore labores nostros et angustias compescere dignetur illa suavissima consolatrix afflictorum: ideoque quidquid ad maiorem Beatissimae Virginis gloriam pertinet, inprimis solemne iudicium de eius Immaculata Conceptione, studiosissime peroptamus. Populi quoque fidelis enitet par desiderium, cum in dies crescat eius devotio et fiducia in Beatissimam Virginem, certatimque se aggreget Sodalitati in honorem Sanctissimi et Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae, pro conversione peccatorum institutae. His itaque obiter, pro meo officio, Sanctitati Vestrae cum omnimoda veneratione expositis ad genua eius provolutus, pro meis clericis et omni populo fideli meae curae commissis Apostolicam Benedictionem obnixe imploro

Sanctitatis Vestrae

In Tongkino occidentali, die 6. Aprilis anno 1850.

Humillimus Servus et Obsequentissimus Filius
PETRUS A RETORD *Episc. Acanth.*
Vic. Ap. Tongkini Occident.

CCCLIX.

DEL VESCOVO

DI EURIA *IN PARTIBUS*

VIC. AP. DI XAN-SI

BEATISSIMO PADRE

Nel Vicariato di Xan-si si fecero pubbliche preghiere per ottenere a Vostra Santità celeste lume, onde a seconda della divina volontà dichiari articolo di fede essere stata Maria Vergine Santissima concepita senza peccato originale, che anzi per essere Essa stata ab immemorabili appunto sotto questo titolo eletta in Patrona del Vicariato, il Clero ed il popolo già unanimi sono in venerarla come arricchita di sì singolar privilegio. In quanto a me, immeritevole membro dell'Ordine dei Minori Osservanti, da cui Essa sotto questo titolo pure è venerata per singolar Patrona, goderei assai di poter dopo il *decuit*, *potuit*, *ergo fecit* dello Scoto aggiungere *et fecisse de fide est.*

Prostrato a' piedi di Vostra Santità umilmente le bacio i santi piedi con profondo ossequio sottoscrivendomi

Di Vostra Santità

Nel 6 aprile 1830.

L'ultimo dei Vostri Figli
FR. GABRIELE DI MORETTA *Vescovo di Euria*
Vicario Ap di Xan-si in Cina.

CCCLX.

DEL VESCOVO
DI TARAZONA

SANTISIMO PADRE

Luego que se me comunicó por el Excmo é Illmo Señor Nuncio Apostolico en estos Reynos la Enciclica, que leí con gozo y sumo respeto, dada en Gaeta á 2 de Febrero del año pasado, dirigida á todos los Obispos del Orbe catolico á fin de que informasemos á V. S. sobre la devocion y sentimientos de que el pueblo y Clero de nuestra respectiva Diocesi está animado hacia la Inmaculada Concepcion de Maria Santisima, y manifestemos al propio tiempo nuestro parecer y el deseo comun acerca de la definicion dogmatica de dicho articulo; la comunique á este mi Cabildo Catedral como igualmente á todo el Clero de esta Diocesis; mandando así mismo se hiciesen al efecto rogativas publicas en todas las Yglesias de ella.

Estaba ya bien persuadido de los sentimientos, de afecto y devocion que el Clero y fieles de esta Diocesis, así como todos los de la catolica España profesan al misterio de la Concepcion Inmaculada de Nuestra Señora; y por las contestaciones, que de este Cavildo Catedral y de los Parrocos hé recibido, he visto con el mayor placer y puedo asegurar á V. S. que los expresados Clero y fieles de mi Diocesis, han tenido siempre como una verdad de fé el referido misterio, celebrandolo constantemente con la mayor solemnidad, y mas tierna devocion; y que sus deseos son los mas ardientes, y eficaces por que llegue el venturoso dia en que V. S. tenga á bien declararlo definitivamente como dogmatico.

Estos mismos sentimientos y modo de pensar he abrigado en mi corazon, y así lo he predicado al pueblo repetidas veces, establecien-

do la verdad de este misterio con las pruebas y razones que me han parecido mas convincentes y eficaces; y manifestando las antiguas disputas como causa yá concluida.

A. L. P. de V. S. cuya vida guarde Dios muchos años para el bien y felicidad de su Yglesia, y mayor gloria de su Santisima Madre la Virgen Maria; su mas afecto y rendido Hijo, el minimo de los Obispos

Santisimo Padre

Tarazona 7 de Abril de 1850.

Fr. VICENTE *Obispo de Tarazona.*

CCCLXI.

DEL VESCOVO
DI BARBASTRO

BEATISSIME PATER

Quamquam indixi iampridem recolendae memoriae Gregorio XVI Praedecessori Vestro dignissimo, cum in Gallia exularem, quaenam esset Cleri tam saecularis quam regularis, omniumque Christi fidelium mea sub auctoritate degentium erga Beatissimam Genitricem Dei Mariam sine culpae labe conceptam et pietas et opinio, quidque ipse sentirem de augustissimo huiusmodi mysterio; nihilominus revocatus tandem in patriam post longum novem annorum exilium, summa cum mei cordis consolatione reperi, pientissimam hanc et magnopere laudabilem opinionem, non modo non defecisse e populorum animis, ex quo eos relinquere fui coactus, sed novas hausis-

se opes, atque haurire in dies, quin officere hucusque illi potuerint pessimae ac valde perniciosae doctrinae, quas in hanc vineam Domini irruentes non cessarunt perfundere improbi homines et incredulorum colluvies impia quae in maius quotidie abibat.

Ast nuper, Sanctissime Pater, et cum publicae Vestro nutu rogationes per totum terrarum orbem sunt edictae, facile intellexi, eam esse omnium circa mysterium hoc fidem, ut haereseos sese peccatum incurrisse arbitrentur, nisi par cum caeteris quae ab Ecclesia sibi proponuntur, et amplecti extemplo, et habere curent cupidissime. Verum pientissima haec opinio, non recens ac nova in Hispania est, Optime Pastor, nec desiderium, quo nunc ardent hispani populi tamquam felicioris illustrationis fructus est putandum, cum Vestram minime lateat Beatitudinem universos sensisse Hispanos per omnia saecula ab ipsis Ecclesiae incunabulis usque in hodiernam diem. Proclive mihi foret, Sanctissime Pater, innumera proferre huius assertionis testimonia; ast versatiorem in rebus ecclesiastici Te existimo, quam ut mea indigeas recordatione.

Rogavi igitur ut mihi nuper piissime innuisti clementissimum luminum Patrem, quo potui fervore ac studio, ut Te Divini superna sui Spiritus luce perfundat, numine afflare dignetur, ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeas, quod ad maiorem tum sancti sui nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere. Curavi itidem, ut preces in toto quam late patet mei Episcopatus spatio diligentissime peragerentur: et sacro meo muneri deesse me turpiter crederem; nisi Vestrae Beatitudini testarer iterum iterumque, de summa tam Cleri universi, quam populi huius fidelis devotione erga Immaculatae Virginis Conceptionem. Quo autem desiderio hae flagrent gentes pastorali meae curae subiectae, ut tamquam dogma, res eiusmodi ab Apostolica Sede decernatur; vires mihi desunt ut verbis efferre queam.

Quae cum ita se habeant, propera, Sanctissime Pater, ut quamprimum vota adimpleas universi mundi catholici, Episcopatus cuncti, Cleri tam saecularis quam regularis omniumque Christi fide-

lium; et Divino afflatus Spiritu declara iam tandem, « Beatissimam Dei Genitricem Mariam, puram, imo purissimam fuisse in primo suo conceptu ». Nec Te deterreat nunc temporis iniquorum et impietas et furor, qui cum Dei Filium oderint semper, Sanctissimae quoque illius Matri bellum inferre in reprobo suo sensu non dubitarunt.

Forsitan contingat ut praeclari huius mysterii definitio dogmatica calamitosis hisce temporibus, veluti foederis arcus sit, qui et Ecclesiae serenitatem et rebus publicis pacem atque tranquillitatem restituat.

Datum Barbastri die 13 mensis Aprilis anno 1850.

IACOBUS *Episcopus Barbastrensis in Hispania.*

CCCLXII.

DELL' ARCIVESCOVO
DI SARAGOZZA

Beatissime Pater

Venerandas Sanctitatis Vestrae Litteras Caietae postridie Kalendas Februarii datas cum acceperim, Matriti commorans munia Senatoris exercens, in illis praescripta adimplere pro tunc nullo de pacto potui. Sed post duos menses elapsos in meam Sedem reversus, Epistolam Clero et populo scripsi Pastoralem, ubi quamvis de diversis ad Episcopale Ministerium pertinentibus simul agebatur, de Conceptione Immaculata Sanctae Mariae Virginis erat sermo praesertim, sub praecepto de solemni deprecatione Deo fundenda in omnibus Ecclesiis nostrae Dioecesis ad impetrandam Sanctitati Vestrae

lucem de Coelo, ut in tanti momenti re illud consilium, Divino Numine afflante, suscipere sapientia Vestra valeret, quod ad maiorem Dei, suaeque Sanctae Matris gloriam et honorem, Ecclesiaeque militantis utilitatem et decus possit quomodolibet pertinere.

Quoniam vero, quid sentiat hac de re, quid etiam exoptet Episcopus unusquisque, noscere Sanctitas Vestra vel maxime cupiat, sensus meus, votaque mea ferventia in praedicta Pastorali, data Caesaraugustae Idibus Iunii anni proximi praeteriti, non ambigue expressa proculdubio continentur. In secundo etenim paragrafo praedictae Pastoralis ex mente et corde nostra convictio fluit, sicque erat noster ad Clerum et populum sermo textualis:

« Ya comprendereis, amados hijos en el Señor, que és altamente « satisfactorio para nuestro corazon el corresponder á las sublimes « inspiraciones y sagrados votos que se consignan en ese documento « immortal, y con cuanto encarecimiento os exhortamos á que di- « rigiendo á nos la expresion de vuestros deseos, levanteis al Señor « vuestro espiritu, y oreis: oreis con fervor, oreis con confianza, « a fin de que la Sabiduria del Excelso, ilustre á Pio IX, ilumine « su inteligencia, y dirija su voluntad, para que atraviese enérgica « por medio de las contradicciones que pudieran suscitarse á fin tan « alto, y llegue al termino apetecido con la robusta proteccion del « brazo omnipotente. Asi será. Nuestra confianza és ilimitada, y « estriba en muy sólido fundamento. Los oráculos divinos hablaron « de una muger perfecta en que plúgo á la Magestad de Dios hacer « ostension de su poder, y el Arcangel los confirma al tiempo de su « embajada. Los Padres de la Yglesia nos han transmitido en este « punto tradiciones venerandas que se pierden en la noche de los « tiempos. Los Concilios, las decisiones Pontificias, las mas doctas « Academias, los monumentos históricos, las leyes inflexibles de la « razon y de la critica, todo conspira á demostrar como principio « inconcuso, que Maria fué santificada en el primer instante de su « ser. La santas Escrituras al través de bellos tipos dieron á conocer « á la muger por excelencia: mas el verdadero ejemplar de una crea- « tura perfecta no es Rebéca, ni Débora, ni la esposa de los Can-

« tares. Es necesario subir mas alto, llegar á la plenitud de los tiem-
« pos, al cumplimiento de la promesa primitiva. Maria es una cria-
« tura aparte, mas bella que toda la creacion: la tierra no es digna
« de servirle de peana: su brillo excede al explendor de las estrel-
« las: el pecado no manchó su vida: el pecado nopudo manchar su
« concepcion. El hijo de Dios, la santitad per esencia, no pudo al-
« bergarse en el vientre de una muger contaminada por la culpa,
« aun por la culpa del origen. — Los limites y la indole de una
« carta pastoral, Nos impiden dar á estas indicaciones, y al texto
« sagrado, Padres, Tradiciones, Concilios, y fallos Pontificios, la
« immensa latitud de que es susceptible la materia. Asombrosas y
« eruditas producciones de varones eminentes arrojan hoy tal copia
« de luz en el asunto, que sacandole del terreno de la controversia,
« donde se le quiso de tener por la fuerza del paralogismo, y la au-
« daz pertinacia del sofisma, le han elevado á la esfera de una de-
« mostracion, y á un grado proximo á la definibilidad dogmatica.
« Habeis visto ya el apoyo de nuestras tiernas esperanzas; y si omi-
« timos en obsequio à la brevedad otras razones de no escasa valia,
« no dejarémos de consignar un hecho que á los ojos del mundo
« podrá carecer de importancia, pero que la tiene muy alta á los
« ojos de la fé y de la sana filosofia. El intentar nuestro Santisimo
« Padre una decision dogmatica sobre la Inmaculada Concepcion
« precisamente en la crisis aterradora que atraviesa el continente
« europeo, tiene algo de preternatural: lleva el sello de una inspi-
« racion divina. — En el momento mismo en que la Europa pre-
« sentaba un cuadro desgarrador y formidable, y ofrecia un porve-
« nir preñado de conflictos, y aparecia en todos los puntos del ho-
« rizonte el signo percursor de las catástrofes: cuando la ciudad,
« donde siempre imperaron los Héroes, los Cesares, los Pontifices,
« habia trocado el trono de los varones evangelicos por la dinastia
« del crimen: cuando vacilaba la cúpula del Vaticano, y en el
« seno de la Ciudad santa pululaban los elementos de una disolu-
« cion inevitable, y corria la sangre, y el sucesor de san Pedro hu-
« ia de riguroso incognito a una tierra hospitalaria, y en su ausen

« cia el hierro y el fuego se conbinaban para establecer el mas odio-
« so terrorismo : cuando en todos los angulos de la Ciudad se oia
« el lastimoso gemido de las victimas , y la Italia estaba profunda-
« mente commovida , y la Europa entera sufria un trastorno gene-
« ral, y se dejaban sentir los espantosos crugidos del edificio social
« que se desplomaba por momentos : entonces, precisamente enton-
« ces, nuestro Santisimo Padre en vez de acudir por de pronto á las
« combinaciones diplomaticas y ocuparse en organizar fuerzas resi-
« stentes contra fuerzas invasoras, trata solemnemente de definir co-
« mo punto de fé la Concepcion Inmaculada de Maria ; y aplazan-
« do el remedio de los hombres, acude en primer término á Dios y
« á su Santa Madre, cuya concepcion purisima se prepara á definir
« como lo pudiera haber hecho y como parecia natural lo hiciese
« en tiempos mas bonancibles. — Ved , amados hijos , con cuanta
« razon hemos dicho que hay un caracter de inspiracion en el suce-
« so que nos ocupa. Esta circunstancia contribuye á robustecer nue-
« stra esperanza ya cimentada en la superabundancia de poderosos
« argumentos que se aglomeran en prueba de este misterio , en el
« sentir general de los Prelados católicos , en la opinion de los Do-
« ctores , en la insistencia con que de todo el orbe cristiano se ha
« solicitado y solicita la declaracion de que se trata , en la simulta-
« neidad con que de todas partes se levanta una voz solemne que
« hiende las nubes , y penetra en la espansion del firmamento : en
« la devocion universal á este misterio ; y en el desaliento profundo
« de que advertimos sobrecogida á la escasa y agonizante falange de
« los derrotados maculistas. Todo esto para nosotros es un dulce
« presagio de que ha de hacerse la declaracion apetecida : por todos
« los catolicos, y sobre todo por los Españoles que al través de tan-
« tos siglos se han distinguido y se distinguen por la devocion á
« este misterio. — Para que aisi se realice , y el Cielo ilumine en
« asunto de tanta consecuencia al varon justo que preside los desti-
« nos de la Yglesia — Ordenamos : que en nuestra Santa Yglesia
« Metropolitana, Colegiales , Parroquias , y demas Yglesias de nue-
« stro Arzobispado se cante una misa solemne votiva del Espiritu

« Santo en el primer dia festivo de los no exceptuados, despues de « haber recibido y leido á los fieles esta carta pastoral; que nueve « Domingos consecutivos se cante el — *Veni Creator* — despues de « la misa conventual, y la letania de los Santos con las preces aco- « stumbradas, asistiendo el Clero, é invitando á las autoridades: de- « jando á la piedad de los fieles la practica de otros actos religiosos « que les dicte su devocion para conseguir objeto tan laudable: y « que nuestro Clero por el conducto de los respectivos Presidentes « nos manifieste los sentimientos que el estado eclesiastico y pueblo « fiel abrigan en favor de este Misterio, y el deseo que se note de « que recaiga sobre este punto una definicion dogmatica. »

Usque adhuc paragraphus nostrae Pastoralis, ad quam huius scripti initio refero memetipsum.

Litteris vero nostris debita attentione perpensis, Clerus, Metropoliticus atque Collegialis, necnon et Parochi quamplurimi illico rescripserunt, quodque fidelium pietas circa praedictum mysterium universalis sit, simul atque tenerrima, unanimiter asserentes, solemnitatem, qua festa Conceptionis ubique recoluntur, recipiendi in ipsis Ecclesiae Sacramenta consuetudinem longe lateque diffusam, ardentissimum denique populi desiderium ad id quod Mariae Conceptio ab omni labe immunis solemniter decernatur, utpote facta apprime nota stabilire non dubitant.

Supervacaneum existimo, pro tanto mysterio loca scripturarum adducere; ipsa etenim Sedes Apostolica novit, nec non et quid hac de re sentiant interpretes insigniori auctoritate pollentes, et Patres, Ciprianus nempe, Hieronymus, Ambrosius, Sophronius, Bernardus, Bonaventura, et Anselmus.

Neque quamplurima, quae facile poteram, ad huius fidei antiquitatem stabiliendam commendabilia monumenta afferre conabor, nec B. Andream iuxta Diaconos Achaiae hac de re praestantissime loquentem adducere ulla ratione contendo, nec summorum decreta Pontificum, nec Patres Basileenses, Immaculatam Mariae Conceptionem, cultui Ecclesiae, catholicae fidei, rationi et Scripturae omnimode congruentem, solemni decisione proculdubio declarantes; neque Con-

cilium Tridentinum in sessione 5ª ubi declarat; non esse suae intentionis in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Virginem comprehendere Immaculatam, sed observandas esse constitutiones Sixti IV Papae sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovare decernit; quaequidem Pauli V, Clementis VIII, Pii V, Alexandri VII, Clementis XIII, aliorumque Pontificum ordinationibus consonare videntur.

Quoad Peninsulam ibericam attinet, saeculi Potestates semper suam huic Misterio adhesionem et legibus et exemplo exhibere iterato volentes, et insignia decreta Ferdinandi V, Elisabeth I, Philipi II, et Caroli III circa Virginis Conceptionem, necnon et aliorum Regiae Borbonidum stirpis pietatem, qua temporis transcursu undequaque fulxerunt, nemo est qui audacter negare praesumat.

Quoad nostram dioecesim Caesaraugustanam, Clerum populumque fidelem erga Immaculatam Conceptionem ferventi devotione pollere, et decisionis dogmaticae vehementi desiderio flagrare, certum existimo, et indubitanter asserere nulla prorsus ratione, timebo.

Huic denique scripto finem ponam observatione quadam, cuius maius vel minus pondus atque momentum Ecclesiae iudicio submitto reverenter.

Haec autem observatio ad proprietatem praecisionemque dictionis pertinere videtur. Maria ab originali peccato fuit semper immunis animaque ipsius numquam illius fuit labe foedata. Decretum exemptionis ab ipsa aeternitate procedit: quo tamen tempore fuit adimpleta heccine Divina voluntas? Exequuta ne in tempore, in quo fuerit corpus Mariae generatum, an potius in momento, in quo corpori anima fuit infusa sacrosancta? Hoc secundum est proculdubio tenendum: sed hic congruit observatio, quam supra innuere non timui.

Si Zoologia, vel melius, si physiologi, in eo quod hominum anima corporibus infundatur in ipso momento in quo foetus concipitur, concordes invenirentur, tunc, unum atque idem essent *conceptio* et *animatio;* et Immaculatam definire *Conceptionem* vel sine labe *animationem* idem omnino sonaret: idem esset, Mariam in Conceptio-

ne *activa* seu in Conceptione *passiva* Immaculatam decernere; nam haec omnia ad unum eumdemque actum, vel saltem ad actus omnimode simultaneos reducta maneret. Cum vero historiae naturalis investigatores sibi nullo de pacto cohaereant, sed contra in diversas partes circa tempus animationis, abire videantur; et cum de primo vitae intrauterinae initio eiusque diversis periodis acriter decertetur; cum denique ulteriora physiologorum detecta possent fortasse cavillationibus occasionem praebere quammultis, magnopere cavendum existimo, dogmaticam definitionem declarari locutione adeo cauta terminisque ita cunctanter et attenta mente volutis, ut audax et impia critices hodiernae severitas, quae omnia subvertere effrenata iactantia conatur, ostium obiectioni cuilibet clausum reperiat.

Nobis certe, qui causam proximam transfusionis peccati originalis consistere in seminali generatione ab Adamo, in quo, tamquam in capite morali Deus omnium eius posterorum voluntates inclusit in ordine ad observantiam vel transgressionem praecepti de fructu vetito, firma fide tenemus: nobis, qui decisionem Tridentinam, quod homines originale peccatum contrahunt cum in utero concipiuntur, reverenter admittimus: nobis, qui doctrinam Benedicti XIV, conceptionem *activam* inter et *passivam* sapienter distinguentis omnimoda convictione veneramur: nobis, inquam, haeccine explanatio supervacanea foret omnino; et *conceptionem* et *animationem* utpote voces sinonimas haberemus: sed quoniam spiritus controversiae impudensque scepticismus, etiam dogmata inconcussa pro suo libitu in dubia vertere contendant verba decisionis deberent gravi mensura pollere.

Verosimile, imo certum omnino iudicare debemus, Apostolicam Sedem iuxta formam, qua exprimatur exoptata decisio, diem convenientem festo Conceptionis assignare, sapienter curaturam. Si vero die octava Decembris Immaculata Conceptio Mariae, et eius Nativitas in die octava Septembris celebrentur, quaestio physiologica quaedam praeiudicata videretur; quia nempe Ecclesia, idem atque unum esse *formationis* faetus et eius *animationis* momentum, non obscure definiret; *activam* et *passivam* conceptionem eodem omnino

tempore perfici, Mariaeque corpus in toto Annae gestationis tempore sive novem mensium spatio animatum extitisse; quod quidem assertum, in ordine saltem naturali, si Zachiae doctrinae non longo coelo distare videtur, Aristotelis tamen aliorumque opinioni Doctorum, omnino adversari, in dubium venire non potest.

Nobis, inquam, dogmata fidei, hominis superantia sensus, humiliter venerantibus, vox emanata sufficit ex cathedra Petri: sed, ut supra innui, terque quaterque repetam, hodierna et ficta peritia quae abdita naturae se reserare praesumit, quaeque suo videri, superbe, lucifera pelagus lampade lustrat atrum, simplicium contendit evertere mentes, corda magis, et in Ecclesiam sanctam odia fera fovens, saevaque bella vocans, quaelibet in posterum scientiae naturalis inventa circa faetus animationem, contra dogma catholicum audebit explodere, mentis vertigine praestans.

Praedicta a meo catholico zelo emanata, atque ad maiorem Dei suaeque Matris gloriam tendentia, et pro Ecclesiae utilitate atque decore, sincero corde concepta, existimari vellem a Sede Pontificia sacro veritatis oraculo.

Deus denique Op. Max. Vestram Beatitudinem servet incolumem.

Sanctissime Pater

Caesaraugustae dat. Idibus Aprilis anni 1850

A. P. B. V. P.

EMMANUEL Archiepiscopus Caesaraugustanus.

CCCLXIII.

DEL VESCOVO
DI CADICE

BEATISSIME PATER

Ex quo vox Vestra in auribus meis sonuit, ac per Vestras Litteras, pietatis in Deum, amoris in eius Immaculatam ac Beatissimam Matrem, solicitudinis in Ecclesiam, et benevolentiae erga me plenas, die secunda Februarii anni millesimi octigentesimi quadragesimi noni datas, accepi, nihil adeo cordis mei praecordia penetravit, quam ut Vestro desiderio, flagrantissimo erga Deiparam amori, respondere, Vos ipsum pro viribus iuvare, meamque, etiam si tenuem vocem, Vestris votis adiungere. Utinam nostri temporis mala, ubique percrebescentia, gravissima nostrae Ecclesiae negotia, infirmaque, plusquam annis gravata salus, non me in hac via retardassent.

Tametsi nunc mea responsio tarda iret, meum desiderium, omniumque votum, *pientissimum Vestrum desiderium*, Ecclesiae universalis clamorem, votaque tot Pastorum ac illustrium pietate ac doctrina pollentium virorum, extemplo comitabatur. Iam nunc Vestris votis, Vestrae curae ac studio licet libentissime obsequi, et tam meam, quam Cleri populique, ferventissimam, in Mariae Immaculatae Misterium, devotionem explanare.

Qua pietate et affectu, qua fide, ut dicam, noster Clerus populusque fidelis, erga immaculatae Virginis Conceptionem sint animati, quo desiderio flagrent ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur; atque in primis noscere vel maxime, cupitis, quid egomet pro mea qualicumque sapientia, de reipsa sentiam, quidque exoptem.

Exurge gloria mea, exurge Psalterium et Cithara, Petri vocem audiens, inclamavi. Albescit polus, adest optata dies, qua illam, ex

qua, per Dei voluntatem, spes, gratia, salus in nobis redundant, digno cordis affectu, *ab omni labe puram exemptamque* liceat ac debeamus, ut fidei nostrae praestantissimum dogma, proclamare. Nihil novum, Beatissime Pater, in hac tam desiderata declaratione erit, nisi sigillum quo Vos, Caput et infallibile Oraculum totius Catholicae Ecclesiae, Vestra suprema auctoritate, hanc, pro immaculatae Conceptionis Mysterio, veritatem, alte in cordibus, cultu, laudibus, praeconiis, affectuque in illam praeclarissimo, in hoc mihi commisso grege iamdiu infixam, novo splendore, novaque devotione in dies erumpentem, probare, munire, ac consecrare dignemini.

Gaudeo, et non solum gaudeo, sed et gaudebo, adeo piam opinionem in hoc Clero Gadicensi populoque fideli invaluisse, ut inter suas non contemptibiles glorias, primam hanc teneant: se, ab Apostolicis temporibus in hac Cathedrali Ecclesia festum *de immaculata Conceptione*, celebrasse; suos Episcopos ita pro huius veritatis declaratione insudasse, inter quos maxime illustris D. Fr. Franciscus Guerra, *Promotor et Legatus*, in Vestram Sanctam Sedem missus fuerit a praeclarae memoriae Hispaniarum Rege Philippo IV, ut pro Mysterii declaratione totis viribus incumberet. Quo munere functus, velut sui amoris testimonium, duo luculentissima plenaque sacrae eruditionis volumina edidit, quibus titulum apposuit *Maiestas gratiarum B. Virginis Mariae*, ubi nihil desiderare est, si, tam suam piam devotionem, quam locupletissimum eruditionis ac theologiae thesaurum inquiratur, in probationem et munimen *exceptionis Mariae ab omni peccati labe*. Crevit in dies, erga tale Mariae privilegium nulli alteri datum, devotio; et extant et memoriae et testimonia, inter nos, devotissimae atque splendidissimae munificentiae, quibus, omnes civitatis ordines a minimo usque ad maximum, hac in urbe celebrarunt, Sanctaeque Sedis decreta varia, et Vestrorum in ea Praedecessorum, in favorem piae opinionis, tunc nuncupatae, prolata. Valeat pro omnibus, brevitatis gratia, omissis splendidissimis liber, quo Gadicensis et civis et filius, P. Didacus Granado, Societatis Iesu, hanc Mariae gloriam dilucidavit ac defendit, usque nunc magno habitus pretio ab omnibus Marianis. Valeat et ex tunc edi-

ficantissima statio ad Monasterium Monialium Sanctae Mariae de Conceptione, vulgo nuncupatarum, ad quam, hoc meum Cathedrale Capitulum sese cum Civitatis Senatu voto perpetuo obstrinxit anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo, usque nunque complevit, processionaliter adeundi, festivitatemque solemniter ibi celebrandi sequenti die eum in quo, Immaculatae Conceptionis festum, totius hispani Regni sub hoc titulo Patronae, in suo Cathedrali templo celebrat.

Sed quid de recentibus gaudiis, Beatissime Pater, quid de fervore ac amore, in Vestras optatissimas ac laudabilissimas Litteras Encyclicas, anno praecedenti datas, referam? Clerus, qui antea, ut, in sacrae Missae praefatione a Vestra pietate, me postulante, obtinuit, adderetur, et publice palamque enuntiare liceret, vocem illam elogii ac consolationis plenam: *Et Te in immaculata Conceptione*; idem pro invocatione in Sacra Litania Lauretana, petiit, obtinuit, celebravitque, Deo gratias agens, de Mariae hac nova gloria gaudens, ac Vestrae Sanctitati Benedictiones caelestes exoptans, et tam Clerus, quam populus civitatisque ordines, cum ipsis ego lacrimis ac alacritate perfusus; iam antea officium proprium Immaculatae Conceptionis, quod nunc Vestra Benignitas, ut Clerus Romanus uteretur, concessit, a Praedecessoribus Vestris nostro Regno Hispano permissum, Ecclesia Gaditana utebatur: adeoque, non soli Clero, sed et omnibus fidelibus, praefixa erat in tale mysterium et Mariae immunitatem devotio, ut etiam familiaribus salutationibus, veluti proverbium omnibus Hispanis sit commune, sibi mutuo gratulari his vocibus, amore erga immaculatam suam Matrem et patronam, plenis: *Ave Maria Purisima*, ac iisdem statim respondentibus *Sin pecado concebida*: quam etiam Mariae salutationem et elogium fervidissimum, non solum lingua et corde, sed etiam prae foribus inscriptam habeant, atque immaculatam Patronam hoc titulo speciali, Hispani Regni omnibus Ditionibus, gloriose et confidenter veneramur.

Publicas rogationes quas, Vestris Litteris, indicendas ac peragendas inculcastis, meam solicitudinem Episcopalem excitando, qua potui celeritate, frequentia ac solemnitate, peregimus, ac meam vo-

cem, ovibus meis ex sacra Cathedra dirigens, eas excitavi, ut mecum rogent clementissimum luminum Patrem, ut *Vos superna Divini Sui Spiritus lumine perfundere, numine afflare dignetur, ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeatis, quod ad maiorem tum sancti Sui Nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere.*

Nunc iam quid ego de re ipsa sentiam, quidque exoptem, Vestrae Sanctitati, perlucide ac devote exponere satago. A teneris annis ei ordini adscriptus quo Bmae Virginis Matris Dei devotio et amor veluti vita sunt, scilicet sancti Benedicti Monachorum Patris ac Magistri, ut lac Mariae devotionem suxi, constanter eam purissimam et immaculatam et proclamans, et dicens, et profunda mentis et cordis fide concredens. Quid ergo deest nisi, ut Sanctitas Vestra desiderat, Vobiscum eam, qua par est firmitate, ut veritatem certissimam, fidei doctrinam, catholicum dogma, et agnoscamus, et conclamemus?

Hoc sit, et hoc magnopere cupimus, Vobiscum confidentes sperantesque, quod illa quae antiqui serpentis caput virtutis pede contrivit, quaeque inter Christum et Ecclesiam constituta, ac tota suavis et plena gratiarum, Christianum populum a maximis quibusque calamitatibus, omniumque hostium insidiis et impetu semper eripuit atque ab interitu vindicavit, tristissimas quoque ac luctuosissimas Vestras vicissitudines acerbissimasque angustias, labores, necessitates amplissimo, quo solet, materni sui animi miserans affectu, velit praesentissimo aeque ac potentissimo suo apud Deum patrocinio, et divinae iracundiae flagella a Vestra Beatitudine avertere, et turbulentissimas malorum procellas, quibus ubique iactatur Ecclesia, compescere, dissipare et luctum vestrum omniumque nostrum convertere in gaudium.

Haec sunt vota Episcopi Gadicensis, omnium Hispanorum minimi, qui ad Vestrae Sanctitatis pedes provolutus, solatium in tantis animi et corporis angustiis a Vestra Beatitudine exspectat, simulque, non solum sibi, sed etiam huic suo pusillo gregi, Apostolicam Benedictionem.

Beatissime Pater

Datum Gadibus die 15 Aprilis anni 1850.

Fr. DOMINICUS *Epus Gadicensis*

CCCLXIV.

DELL' ARCIVESCOVO
DI TOLEDO

Beatissime Pater

Inter tot gravissima, quibus angustia temporum undique premimur, mala, nihil aptius ad maius fidelibus afferendum solatium fas erat concipere, quam laudabile, piissimum, permagnumque, quod Sanctitas Vestra Spiritu afflante Divino in Encyclica 2. Februarii anni proximi elapsi ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos totius Catholicae Ecclesiae missa, obiectum sumpsit. In ea enim dignanter, tenere, ac fiducialiter Sanctitas Vestra scire cupit, ut ipsi Praesules devotionem, et cogitatus, quibus et clerus, et populus uniuscuiusque gregis erga Virginis Mariae Immaculatam Conceptionem flagrent, clare ac explicite patefaciant; et eorumdem fidelium sensum, et desiderium aperte exhibeant; pie, opportune, ac ferventer instans, et zelum, et pietatem, et pastoralem Praesulum solicitudinem iterato pulsans ad preces et rogationes, quas eis et intima Deiparae Virginis veneratio et aemulatio christiana pro honore et gloria Omnipotentis Dei, decoris et exaltationis suae gloriosissimae Matris zelatoris amantissimi inspirent, assidue atque devote peragendas, ut claritatem, splendoremque Sanctitatis Vestrae corde ipse Deus Optimus Maximus, fons et origo luminis veritatis copiosissime effundere, et consilium quod in tanti momenti re capere expediat, afflare dignetur.

Quam gratum, Beatissime Pater, quamque iucundum mihi fuerit a venerabili ac egregio Fratre Ioanne Brunelli Archiepiscopo Thessalonicensi in his Hispaniarum Regnis Sanctitatis Vestrae Nuntio praefatam Encyclicam habere, perdifficile est utique fari; praeclarum

et eximium iudicium Vestrum, et pietatem, et intimum Beatissimae Virginis Mariae affectum et amorem ipsa Encyclica illico ostendit, adamussimque demonstrat, Sanctitatem Vestram luctuosis hisce diebus in purissimae Angelorum Reginae patrocinio, et praesidio fidentissime sperare.

Cum iam iam ab incunabilis intensum ac tenerrimum Sacratissimae Virgini Sanctitas Vestra consecraret studium, quidquid maiestati, et honori, et cultui tam excelsae Reginae deservire valeat, enixe optat. Magno perfusus gaudio Sanctitati Vestrae asserere non dubito, me, huic sacro Mysterio specialem a primaeva aetate devotionem habuisse: pro eo tuendo quamplurima in longo meae vitae curriculo iuramenta ex animo emisi; desiderio desideravi felicissimum declarationis canonicae tanti mysterii quamprimum lucescere diem: pro his ferventibus implendis votis dum Ecclesiam Cordubensem regebam ab inclyto praedecessore Vestro Gregorio XVI, ut vox *Immaculata* Praefationi Missae Conceptionis adderetur humillime ac vehementer efflagitavi, quod quidem Decreto 19 Iulii 1839 benigne indulsit, ac ex tunc temporis in omnibus eiusdem Dioecesis Ecclesiis universali fidelium recitatur vel canitur plausu.

Maxima ergo qua par est veneratione accepta Encyclica, valde iucundus, et misericordias Domini festinanter et alacriter benedicens ad Sanctae meae Ecclesiae Primatis, Magistralis Complutensis et aliarum insignium Ecclesiarum Capitula, nec non ad Vicarios et Parochos et Clerum et Regulares et cunctos huius perillustris ac latissimae Dioecesis fideles pastorales litteras misi, quarum exemplar honoratus adiungo. In his et preces et orationes et pia atque spiritualia praescripsi exercitia, quae ad Sanctitatis Vestrae implenda vota pro opportunitate credidi, usquequo felix ac desideratum, quod Sanctitas Vestra, utpote Christi in terris Vicarius, supremus Ecclesiae Pastor universalisque Magister, et orthodoxae et catholicae fidei Doctor, in solemni decreverat iudicio Sanctissimam Virginem ab omni labe originalis peccati immunem fuisse conceptam, ad nos pervenisset nuntium.

Insuper praecepi, ut devotionem et sensum Cleri et fidelium mihi

proderent, pariterque quantum pro huius articuli definitione dogmatica adesset desiderium; ut omnibus bene perpensis vota mea Sanctitati Vestrae clare emittere sententiamque enuntiare, et intima cordis mei de tanto mysterio tutius aperire possem.

Laetabundi omnes, Beatissime Pater, Sanctitatis Vestrae propositis libentissime respondere; omnes equidem ut filii amantissimi pro suo Patre et Pastore, et etiam pro re supra modum grata et eorumdem erga Sanctissimam Virginem in hoc mysterio, quod velut divino instinctu tacti magnopere concelebrant, intimae religioni apprime consona, id testari curarunt firmissimis rationibus suas fulcientes sententias, vehementissimum quo ardent desiderium, ut demum optatissima deveniat dies in qua mysterium solemniter definiatur, simul ostendentes; sententias nempe quae iucundissime lacrymari compellunt: attento meo intuendo animo, quomodo in eumdem scopum omnes conspirant; idem ac unum Ecclesiarum est votum; idem ac unum Parochorum; idem ac unum Cleri et fidelium; una eademque est in hoc mysterio omnium fides; et denique una eademque pro ipsius dogmatica definitione aviditas perpetua. Huius devotionis et fidei et desiderii antiquitatem non solum in hac Dioecesi Toletana, sed in omni Hispanica Natione quamplurimis validissimis testimoniis historicisque monumentis multis suis litteris etiam comprobant.

Vellem, Beatissime Pater, omnia Vestrae Sanctitati transmittere responsa, quae quidem radicatae fidei in tanto Mysterio solemnia documenta abs dubio sunt. Verum enim vero pro re iam adeo conspicua Sanctitati Vestrae molestiam inferre absit a me; nihilominus Capituli meae Sanctae Ecclesiae Primatis litteras omnino praeterire haud possum. Inter varias quas affert rationes soliditate ac illustratione refertas plane asserit, quod 1.° Maii 1653 pergratum fecit iuramentum ad constantem, piam et antiquissimam augusto Immaculatae Conceptionis mysterio iucunde testandam devotionem; quod quidem mysterium iam abhinc fere mille annis sub Gothorum Regum imperio, tempore Toletanorum Conciliorum ad imitationem praeclarissimi Archiepiscopi Divi Ildephonsi celebrare consueverat.

Superest adhuc: ipsum Capitulum etiam magni pretii testimonia et peridonea ut tutius adhibeatur iudicium de intenso Hispaniensis Ecclesiae pro dogmatica Conceptionis Immaculatae definitione desiderio, suis litteris pariter adiunxit. Sic se habent octodecim Praesulum et viginti octo Capitulorum supplices libelli, inter quos Granatensis Capituli postulatio subscriptionem meritissimi Antistitis Martini de Ascargorta tum illam regentis Ecclesiam simul continet, eamdem definitionem dogmaticam a commendatissimo, et iure optimo cunctis ubique laudato Praedecessore Vestro Clemente XI. enixe ac humiliter exposcentes. Hae igitur preces in eiusdem Sanctae Ecclesiae Primatis Tabulario accurate servantur; nam ex praecepto 19 Martii 1713 piissimi Regis Philippi V, cui Aragoniae et Castellae generalia Comitia petierunt, ut pro maxima sua Immaculatae Virgini probe cognita devotione a Summo Pontifice mysterii definitionem imploraret; ipsum Capitulum opportunas ad Praesules et Ecclesias mandavit litteras repetens ab eis, ut propriam et uniuscuiusque populi ipsis commissi sententiam detegerent, cunctisque testimoniis receptis et ad Regem missis, idem semitis et vestigiis perillustrium Praedecessorum Philippi II, Philippi III, Philippi IV, et Caroli II, qui pro hac de causa operam indesinenter navarunt, inhaerens, Conceptionis mysterium ad extremum definiri iterato rogaret.

Neutiquam mirandum, Beatissime Pater, hoc Regium mandatum ad Capitulum, non vero ad Praelatum fuisse commissum. Huius Ecclesiae diuturna post ultimi Praesulis amplissimi Cardinalis Ludovici Portocarrero obitum anno 1709, adhuc dolenter ferebatur orbitas. Quanta fuerit angustia et pressura talium dierum infortunate satis nota est. Rationi consonum videbatur, Capitulum Ecclesiae Primatis, Sede Vacante, Dioecesim regens ad Praelatos et Capitula litteras expedire, quidquid de tanto sentiebat mysterio, et ardentia pro eiusdem dogmatica definitione sua desideria in illis necnon patefaciens, laudabilia omnium, qui saeculis anteactis ipsi Capitulo annumerati fuere exempla placide sectans. Sed haesitabit nemo haec testimonia fuisse semperque esse, et Venerabilium Praesulum et

Capitulorum, ac etiam asseverare fas est, totius Ecclesiae Hispanicae, et omnium huius Catholicae Nationis fidelium tanti mysterii mirifice pertinantium intimam enuntiationem.

Istarum apographa litterarum, quae his meis adiungere honori duco [1], Sanctitatem Vestram conspicere laetantique animo legere, res est minime dubia: pietas namque et devotio et vehementissima pro dogmatica definitione vota quam maxime in eis fulgent. At vero notatu admodum dignae caeterisque praelucent, selectae et luculentissimae eximii Episcopi Cartaginiensis Ludovici Antonii de Belluga et Moncada. Vir equidem celsissimus, Hispaniensis Ecclesiae decus, pastorali zelo fulgens, profunda plenus eruditione, ex operibus non paucis quas typis mandavit, pro religione doncnda, pro immunitate ecclesiastica servanda, pro fidei Catholicae et Sanctae Sedis defensione satis cognitus, et ab ipso Clemente XI. amplissimo S. R. E. Cardinalium Collegio postmodum 29 Novembris 1719 invitus ac reluctans his laudibus cooptatus: « Creare intendimus .... Ludo-« vicum Belluga Episcopum Cartaginiensem orthodoxae veritatis « zelatorem maximum, Pontificiae auctoritatis intrepidum defenso-« rem, Ecclesiasticae libertatis assertorem fortissimum, magnum « religiosissimae Hispanicae Nationis lumen et ornamentum. » Quocirca apud eumdem Pontificem, gloriosoque eius successores Innocentium XIII, Benedictum XIII, Clementem XII, et Benedictum XIV, maximo semper in honore habitus.

De caetero autem, Beatissime Pater, quid enim pro sacro immaculatae Conceptionis mysterio proferre valebo? Nihil profecto quod Sanctitati Vestrae reipsa clarius non pateat. Sed delegatum munus obire grato nexu in praesentiarum obstrictus festivitatis Immaculatae Conceptionis, et officii historiam praecipue in Ecclesia Hispanica summatim referam, ita ut, et intima devotio, et pia fides, et ferventissimum pro definitione dogmatica votum plane intelligantur.

Agnitionem veritatis mysterii cum ipsiusmet Ecclesiae exordio

1 Si troveranno al loro luogo.

ortum duxisse, eamque a traditione Apostolica esse repetendam, absque ulla suspicionis umbra potest affirmari, propugnantibus Scriptoribus certe gravissimis, huius assertionis fundamenta variis inveniri Liturgiis, atque etiam in sancti Apostoli Andreae sententia, quam Ecclesia roborat, et plurimam ei auctoritatem conciliat, dum in solemni diei octavae eiusdem mysterii officio illa utitur, sine ulla intermissione ipsam sequentibus saeculis tradens, itaque Deiparam ab omni labe originali fateri, et tueri esse expertem, nunquam defuere fideles.

In ipsa Curia caelesti purissimae Beatae Mariae Virginis festum initium cepisse sanctus Vincentius Ferrerius sermone secundo de Nativitate Mariae affirmat: « Non credatis, inquit, quia fuit in Maria « sicut in nobis qui concipimur in peccatis: sed statim ac anima « eius fuit creata, fuit sanctificata et statim Angeli in coelo cele- « braverunt festum Conceptionis ».

In terris vero Apostolos divinitus illustratos idem festum celebrasse, ab ipsisque, ac eorum discipulis in Ecclesia diffusum fuisse pie credere antiquae erga tantum mysterium devotioni maxime consentaneum est. Primum huius festivitatis inter Graecos reperitur vestigium saeculo V florente Divo Sabba Abbate; nam officium disposuit quo utuntur omnes fideles tam Catholici quam schismatici, necnon etiam haeretici festivitatem unanimiter celebrantes. In Britannia et Gallia et Hungariae Regno hoc festum ex revelationibus nonnullis fidelibus Beatae Mariae Virgini vehementer addictis non semel factis, sub mandato ipsum die 8 Decembris celebrandi iuxta sanctum Anselmum primordium sumpsit.

Verum inter Occidentales Nationes, Hispani prae caeteris festivitatem primo observarunt, fatentibus ipsis alienigenis Hispaniae laudum quam maxime invidis. Certo certius est, Nationem Hispanicam ineunte saeculo VII primam reapse extitisse pro huic mysterio pia devotione inferenda, et fovenda. Ex hoc igitur amplius ac amplius roboratur quod Ecclesia Toletana in praefato iuramento anni 1653 affirmare non dubitat. Tunc convenire facile conspicitur, hanc devotionem iam inolevisse anno 633, quo Concilium Toletanum IV

actum est. In eo enim precum officiique divini Gothici, quo a primis temporibus Hispanica utebatur Ecclesia post Arabum irruptionem ac cum christianis permixtionem, *Muzarabe* nuncupati instauratio Doctori egregio sancto Isidoro Hispalensi Archiepiscopo commendatur, in cuius Rituale Immaculatae Conceptionis extat Sacrum; quod quidem iuxta nonnullorum iudicium ab ipsomet S. Isidoro; secundum alios vero ab eius discipulo inclyto divo Ildephonso Ecclesiam Toletanam, transacto eiusdem saeculi dimidio, moderante, Beatae Virginis supra modum studiosissimo, miro eius cultus amplificatore, fortissimoque puritatis originalis ac ipsius dignitatis vindice, dispositum creditur; quin desint alii, eamdem Sanctam Ecclesiam huic venerando mysterio in primis fuisse sacratam, asseverantes.

Sed in ipsa Conceptionis festum, etiam post Arabum occupationem, prout temporum asperitas patiebatur, perseverasse procul dubio est; etenim Civitate, anno 1085, Alphonso VI imperante, eius victricibus subacta armis, Bernardus primus Archiepiscopus recolendae memoriae Praesul, virtute, doctrina, ac zelo pastorali insignis non solum de laudibus Beatae Mariae Virginis multoties sermonem ad populum habuit, verum etiam, ut Immaculatae Conceptionis piissimus cultor, sancti Ildephonsi imitator mirificus, inter alia festum *devotius* celebrari statim decrevit; quod quidem ipse singulari adimplebat solemnitate.

Tot inter graves, ac contentiosas quaestiones, Beatissime Pater, quas multis retro saeculis de Immaculato Virginis Conceptu laudum et celsitudinis Mariae invidus suscitavit Draco, cuius caput ipsa Virginum Regina contrivit, Deo venerandis suae providentiae consiliis sic permittente, ut satius veritas tanti mysterii fulgeat, et ut amantissima eius Mater maioribus efferatur praeconiis, maximoque colatur obsequio, ipse Deus paulatim velum plicavit, ut interea saeculorum cursu erga purissimam suam Matrem ardentem zelum nitide ostenderent fideles, donec felix ac opportuna perveniat dies hanc gratissimam veritatem exploratam et perspicuam conspiciendi. In Catholica Hispania iucundissima Conceptionis mysterio devotio ra-

pido cursu diffluit; et nunc adeo propagata feliciter reperitur, ut nullus adsit populus, ne dicam fidelis, qui huius devotionis praxi non honoretur; ita ut quotidie fiat talis mysterii crebra ac placida professio; formula namque est consueta nationalis salutationis, nemoque Sacerdos concionem incipit quin Sanctissimum Altaris Sacramentum, et Mariae Immaculatam Conceptionem una cum fidelibus non laudet prius.

Anno 1541 iam dignissimus Praesul Pacensis Vincentius Estebanés Confraternitatem ad singulare Beatae Mariae Virginis privilegium testificandum et custodiendum in sua erexit Ecclesia, necnon ineffabili huic mysterio Altare consecrans. Eodem fere tempore perillustris Ferdinandus de Cabrera Episcopus Cordubensis Immaculatae Conceptionis festum in Cathedrali annuis redditibus sancivit. Sequenti saeculo, Catholicorum Regum aetate Petrus Gonzalez de Mendoza Archiepiscopus Toletanus, magnus Hispaniae Cardinalis merito cognominatus, domus suae Sacellum quod tunc struebat, Conceptionis Immaculatae mysterio quoque sacravit. Celeberrimus aeque ac venerabilis Franciscus Ximenez de Cisneros eius in Sede successor cardinalitia dignitate itidem auctus, vir omni laude semper cumulandus, Virgini Immaculatae impense devotus, primam Confraternitatem Conceptionis titulo honoratam ad eiusdem mysterii perpetuam memoriam anno 1505 suo Archiepiscopali sacello instituit, ac multis decoravit privilegiis, Congregationemque Monialium sub invocatione Beatae Mariae sine labe Conceptae necnon insigniter promovit: cuius primum coenobium Toleti erigendum, iam anno 1489 Summus Pontifex Innocentius VIII Constitutione incipiente: *Inter innumera* piissimae Beatrici de Silva, Dominae Lusitanae, clarissimis ortae natalibus, Elisabeth Castellae Reginae, Ioannis II uxoris, virgini nobili pedisequae, mirandae virtutis ac fortitudinis, enixis precibus supplicanti concesserat; quae quidem Congregatio ab ipsa Beatrice fundata, alacriter ac mirifice statim per Hispanias dilatari coepit. Postmodum vero praesulum zelo, fideliumque pietate tot sunt stabilitae Confraternitates, ut perdifficile esset numerare. Templum ferme nullum est, ubi vel Sacratissima Virginis Imago

sub mysterio Conceptionis non colatur, aut altare aliquod erectum non sit.

Hispanici Reges devotionem, et pios ac religiosos huic mysterio cultus omni tempore extendere curarunt. Chindasvintus, Wamba, atque Ervigius ex Gothorum gente, saeculo VII inclinante, iuvantibus Patribus Toletanis, insignes fuere; postremum ex his mandata Iudaeis dedisse constat, ut in solemnitate et observantia eiusdem festivitatis sese aptarent Christianis. Dein Castellae, Legionis, Aragoniae et Navarrae Reges eumdem exhibuere zelum. Ferdinandus III Castellae et Legionis, pius ac strenuus, cuius virtutes et laudes Ecclesia concelebrat, erga mysterium ita magnopere devotus extitit, ut Conceptionis Imaginem sub ferreo fornice ephippii adhuc in bello gestaret. Iacobus I Aragoniae, Ordinis B. M. de Mercede cum sanctis Petro Nolasco, ac Raymundo de Pegnafort Institutor, purissimae Virginis Conceptionis festum cum octava in ipso ordine solemniter celebrari constituit. Ioannes I etiam Aragoniae anno 1394 maxima in eamdem Purissimam Virginem devotione pulsus legem edidit hac valde grata inscriptione: *Privilegium in favorem Conceptionis Sacrae Virginis*, asserens in ea peculiare esse Hispanicae Regiae Domus Conceptionis festum celebrare, eumque pium morem a suis progenitoribus sedulo fuisse custoditum. De hoc piissimo Rege etiam refertur, orationem perquam venustam, et intimi sui affectus huic mysterio revera propiam composuisse. Martinus I Aragoniae, anno 1408, Maria Alphonsi IV, item Aragoniae coniux 1437 et Ioannes I Navarrae pro eodem Alphonso fratre suo vices gerens 1451 non minus fervidi circa tantum mysterium se praebuere iubentes, festum Conceptionis solemniter celebrari, controversiasque adversus hanc Sanctissimae Virginis excellentiam sub dura expatriationis poena simul prohibentes. Ex tunc temporis unus Hispanicus Rex vix reperietur, qui pro virili ad hunc fovendum cultum non laboraret. A Divina Providentia electos fuisse videtur, ut Beatae Mariae puritas originalis in veneratione, quae ubique in Ecclesia observatur, magis ac magis renidescat.

Catholici Reges Ferdinandus, et Elisabeth numquam absque prae-

coniis nominandi, pietati suae erga Immaculatam Virginem libentissime obtemperantes, officii proprii ipsius Immaculatae Conceptionis a Leonardo de Nogarolis Clerico Veronensi compositi, iamque a Summo Pontifice Sixto IV approbati et commendati concessionem ab ipso enixe postularunt. Praeterea Immaculatae Conceptionis festivitatem in Sancta Ecclesia Toletana solemniter celebrari maxima et pia decrevere voluptate. Hoc amplius; ad expugnandam percelebrem, valdeque munitam Granatensem urbem, robur Agarenorum, ab ipsisque per tot saecula tyrannicum ferentem iugum, animose paratí votum condendi templum in honorem Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis prope eamdem fecere civitatem, dummodo illam suis regalibus subigerent armis. Quod quidem notabile egregiumque eventum anno 1492 feliciter accidit; et pro adimplendo voto magnificum, ac vere regium ibi extat monasterium Ordinis sancti Hieronymi ineffabili Conceptionis mysterio devotissime sacratum. Ipso quoque tempore vir praeclarissimus incognitas in novo mundo detexit terras; in his, venerando mysterio plurimae Ecclesiae dicatae fuere. Hanc Regum satis notam, et in eorumdem cordibus admodum sculptam devotionem ab intima et familiari consuetudine cum iam laudata venerabili Beatrice de Silva, sacri Ordinis Monialium Conceptionis mira atque perillustri Toleti Fundatrice, summopere auctam fuisse manifeste scitur.

Bellicos inter apparatus devotam Conceptionis imaginem Carolus V ferebat, eamque in thoracibus, in vexillis, et clypeis exarare iussit; sic in regia ac fausta ipsius dominatione permulta Monialium Conceptionis extructa fuere Coenobia; fovens etiam institutionem plurium Confraternitatum, quibus Imperator ipse, ut maximum, et pium praeberet exemplum, adnumerari honorabatur.

In augenda tam laudabili devotione non minus studiosus Philippus II adest. Plures enim Ecclesias etiam primarias huic mysterio per Indias Occidentales dicasse, Archipelago etiam Philippino, eo regnante, detecto, sub custodia et praesidio Deiparae Virginis illud constituisse, et Ecclesiam Manilanam Conceptionis advocatione erexisse, omnibus compertum est.

Augusti Patris insectari semitas Philippus III sollicite curavit. Plurima adversus hoc gratissimum mysterium longe contentiosa diebus suis profluere dissidia; ex his deplorandis controversiis scandala nasci necesse erat. Scandala ab ipsius mysterii adversariis ita promota, adeoque gravia, ut in nonnullis populis eripiendi imagines hanc ferentes inscriptionem: *laudata sit Conceptio Dominae nostrae ab omni labe immunis* ad extremum pervenere. Tam horrendum facinus in memorata urbe Granatensi dolenter contigit, ubi pristina erat, atque radicata huic mysterio intima devotio, quae a ferventi zelo venerabilis, ac commendatissimi Archiepiscopi Petri de Castro et Quinones, postea etiam Hispalensis, duorum anniversariorum pro Conceptionis purissimae festo celebrando fundatoris in Ecclesia Metropolitana unum, aliud vero in Collegiali sacri Illipulitani montis extra moenia suis sumptibus nuper anno 1610 erecta, iam praegrande susceperat incrementum. Proinde etiam ad limpidae puritatis Conceptionis Virginis honorem, tantaeque iniuriae compensationem in eiusdem Ecclesiae Collegialis atriis coram sanctis Speluncis, quas Divus Caecilius primus Episcopus, et socii eius suo pretioso consecrarunt sanguine, mirandum ac perpolitum tropheum fuit levatum, et usque nunc manet accurate, et reverenter custoditum. Huius piae ac laudabilis devotionis aemulator erat singularis ac insignis Petrus Gonzalez de Mendoza in Sede suffectus, qui ob imaginum subtractionem causa tumultus sedandi, sancto fervidoque zelo incensus ad supremi Castellae Senatus Praesidem die 21 Octobris anno 1615, gravissimam, ac vividam mandavit epistolam.

Ad talia ergo scandala vitanda, utque radicitus firmarentur et devotio, et amor purissimo Virginis Conceptui, Comitia Rex celebrari iussit, quamplurimasque ad Summum Pontificem, et Cardinales et Episcopos, et Religiones, et Universitates litteras misit, ut Sanctissimo Patri pro tanti mysterii dogmatica definitione suppliciter precarentur.

Hae preces ita gratae ac iucundae optimo Pontifici Paulo V. fuere, ut gravissimis poenis geri in litterariis actibus, sermonibus, et in omni compositione typis mandata, ac ullo modo disceptari con-

tra purissimam Conceptionem interdixit, inquisitoribus nec non auctoritatem omnimodam contulit, ut adversus huius mandati transgressores iure agerent; quod quidem praeceptum maximo fidelium Hispanorum plausu recipitur. Ex hoc enim eruere fas est, Sanctissimam Virginem tanto affectui, ac devotioni huius piissimi Principis respondentem, in omnibus eius conatibus, arduisque facinoribus se praebuisse fautricem, maximumque ei nitidis signis attulisse auxilium, ut videre licet in magnum absolutumque triumphum adversus Hollandos iisdem insulis Philippinis adeptum cum hoc praeliandi signum: *Sine peccato concepta*, suis fidentissime datum est copiis.

Vehementibus ipsius Regis sollicitudinibus decretum anno 1622 expeditum a Summo Pontifice Gregorio XV iure debetur. Neminem audere adversus Immaculatam Conceptionem nec publice, nec privatim, nec prout tum temporis, nec in posterum tractare, aut scribere, in eo vetuit: sciensque adversarios huius mysterii officium de eo festo minime persolvere, sed tantum sanctificationis officium, sub gravibus ac duris poenis unum et idem ab omnibus recitari praecepit.

In fovenda huic mysterio devotione cultuque promovendo suis maioribus Philippus IV longe excelluit, dogmaticam definitionem avide optans ad Summos Pontifices varias misit legationes. Apostolico Decreto 10 Novembris 1664, Conceptionis Deiparae festum in Hispaniarum Regnis celebrari permitti, remoto constitutionis Urbani VIII de observatione festorum obstaculo, ab eius successore Innocentio X ipsius Regis desiderio per Ioannem a Velasco comitem de Sivela suum apud Sanctam Sedem oratorem cognito, libentissime obtinuit. Coetum praeterea constituit virorum certe insignium, ac spectabilium, cui ut Praeses aderat amplissimus ac revera egregius Cardinalis Balthasar de Moscoso et Sandoval Archiepiscopus Toletanus pro re mature ac scite disceptanda, et definitione petenda. Cum maxima surgeret procella ob fictitium generalis inquisitionis decretum per Romam sparsum, in Conceptione Beatae Mariae Virginis vocem « *Immaculata* » vetans, illico piissimus Rex ad eumdem Innocentium X, pro tam magni ponderis re, oratores legavit: eoque vita

functo, proximus Successor Alexander VII huic gravi ac iniucundae quaestioni finem imposuit.

Regis insinuatione, ac cunctis fere Hispaniae Episcopis cum Ecclesiarum Capitulis exposcentibus celeberrimam die 8 Decembris immaculatae Conceptionis festivitati sacrato anno 1661 edidit Bullam incipientem *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* ad suorum gloriosae recordationis Praedecessorum praesertim Sixti IV, Pauli V, et Gregerii XV instauranda et roboranda decreta pro sententia asserente animam Beatae Mariae Virginis in sui creatione, et in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse sub iisdem poenis ac excommunicationibus adimpleri iubens; atque pro fovenda tuendaque hac religiosa sententia quam innumeris cumulans gratiis, Bullam a semetipso Pontifice scriptam, ad Crucifixi pedes per multos dies suppositam et sub privati Sacelli Ara dum sacrum peragebat ad coeleste lumen implorandum diu servatam. Hoc decreto magna exspectato aviditate, se placentem ostendere Rex cupiens perillustrem Ludovicum Crespi de Borja Episcopum Placentinum suum apud Sanctam Sedem oratorem ut grati sui animi Summo Pontifici aperiret testimonia sollicite ordinavit.

Postea enixis eiusdem devotissimi Regis precibus piissimus Alexander Conceptionis B. M. Virginis officium cum octava in omni Hispaniarum Regno saecularem, et regularem Clerum alio decreto, die 7 Iulii anno 1665 de praecepto recitare constituit; et ut ipsius plus enitescat pietas praetereundum minime est, quod magnopere suo commendavit successori, ut assidue perseveraret, ac diligentissime de hac contenderet re donec tantum mysterium dogmatice definiretur ac denique in perpetuum devotionis signum quamplurima Monialium Conceptionis Coenobia etiam erexit.

Haec omnia, Bme Pater, gloriosus Praedecessor Vester Alexander ita decernendo, universali fidelium voto inhaerebat et praecipue Hispanorum qui propter ingratas, et admodum tumultuosas de Conceptionis mysterio exortas controversias, ubique Nationis publice ac solemniter piam eorumdem fidem zelumque ferventem saepe strenue exhibuerunt, iam a Praesulibus, Capitulis Ecclesiarum, Congre-

gationibus Regularium, Senatis locorum, Confraternitatibus, omnique demum sodalitatum genere publico obstringentibus iuramento pro mysterio tuendo, et a multis etiam fundendi sanguinem si opus esset; iam in solemnibus splendidisque festis profundo gaudio, cunctorumque plausu undique ac certatim in purissimae Conceptionis honorem peractis; festa, inquam, maximae quam in praecordiis semper tulere pietati apprime respondentia. Inter tot demonstrationes, et ad memoriam sempiternam sumptuosum equidem in praefata Granatensi Civitate, sub notissimo triumphi titulo, extat monumentum venusta scilicet columna laevigati marmoris 22 pedum altitudine, in cuius capitello pulcherrima Conceptionis imago 7 pedibus superimposita maximo omnium iubilo perpetuo conspicitur, ac veneratur, celebris sculptoris Ildephonsi de Mena opus; coram ipsa 21 phari indesinenti luce noctu perardent, illustrium Nobilium impendiis, qui ad suam exprimendam devotionem hoc votum aequissimo animo praestitere. Mire etiam notabilia singulariterque munificentissima in hac Regia Matritensi Aula tunc temporis, anno 1652, et duobus sequentibus a totius ordinis fidelibus celebrantur festa, quae Antonius de Leon et Pinelo ipsius Philippi IV Chronicorum scriptor in eiusdem Aulae historia singulatim recenset.

Postremo, tametsi coeteras demonstrationes, ne importunus sim atque molestus silentio mittam, quas devotissima Civitas Toletana, ob rem tam valde gratam, incredibili egit voluptate, saltem indicare liceat nobilem virum Paulum de la Pegna et Lezcano, Sancti Mauritii equitem, laudati Cardinalis de Moscoso a secretis singulari opusculo sub titulo *Informatio Historica et Ecclesiastica* ad probandum sanctum Ildephonsum diversis suorum operum locis purissimam Virginem sine labe originali conceptam esse affirmasse, ac sacri huius mysterii festivitatem a primis Ecclesiae temporibus procedere, iam memorato coetui exihibita, eas speciatim maximaque iucunditate referre.

Carolus II post obitum Patris accepto Regno tenerrimum eius amorem erga purissimum Virginis Conceptum etiam accepit; ad altiorem splendoris gradum cultum Sanctissimae Virginis evehere ni-

titur, ac pro definitione dogmatica iterum atque iterum clamat, et Bulla: *Commissi nobis* 6 Decembris 1708, e vivis Rege 1700 iam sublato, ab inclyto Maximoque Pontifice Clemente XI legitime semper laudando expedita, festum immaculatae Conceptionis in universa Ecclesia observari, eiusque officium, et octavam ubique extendi iubens, suis precibus non immerito tribuitur.

Ab Augustis Praedecessoribus in amore et devotione Conceptioni immaculatae Philippus V minime disiungitur: ipsa Coelorum Regina in magnis, ac egregiis ipsius susceptionibus visibile fuit praesidium; huic protectioni insignis victoria intra Conceptionis octavam 1710 iuxta oppidum de Villaviciosa parta, et ingens, ac mira Oran restauratio 1732 utique adscribuntur. Propter eventum adeo placidum ac singulare, ne tanti beneficii immemor umquam existeret, ad Clementem XII Pontificem Maximum hoc retulit, similiterque petiit mysterium Conceptionis dogmatice definire non morari. Pro tam magno assecuto triumpho responsum pergratum accepit Rex, atque ut pro felici Regni statu, et ut Deus benigna semper prosequeretur aura ab intima Virginis devotione et a cultus promotione unquam desistere, simul Pontifex hortans. Quidquid praesulibus et capitulis, ut a piissimo Clemente XI definitionem mysterii efflagitarent, scripsit Rex, in medium iam est prolatum; ad hoc attinent documenta quorum apographa his comitantur litteris. Denique notum est quod deinceps omnes fere Hispaniae praesules, et Academiae, et singulae regularium familiae ad ipsum Clementem XII Virginis Mariae Conceptionem purissimam, et ab omni labe originali immunem fuisse, ex cathedra definiret, ferventissima duxere vota.

Vix Carolus III sceptrum suscepit, ad Reginae Coelorum pedes confestim illud libentissime locavit, utque omnes Hispaniae incolae tanto firmarentur patrocinio, tantoque munirentur praesidio, Sanctissimam Virginem in Conceptionis Immaculatae ineffabili mysterio totius Regni elegit Patronam; huic adimplendo scopo, anno 1760 celebratis Comitiis, et ad Summum Pontificem Clementem XIII evectis precibus, die 8 Novembris ipsiusmet anni Bullam: *Quantum*

ornamenti, impetravit, in qua Virginem sub glorioso Conceptionis mysterio in universo Hispaniensi Regno, eiusque Orientalibus, Occidentalibusque Indiis Patronam venerari decrevit, quin primarius sancti Iacobi Apostoli dignoscatur Patronus, praecipiensque etiam Summus Pontifex ecclesiasticos cunctos tam saeculares, quam Regulares hoc festum cum ritu primae classis diligenter servare, ac plenariam Indulgentiam impertiens omnibus, et singulis, qui conditiones Litteris Apostolicis praescriptas explerent.

Insuper ab ipso Maximo Pontifice ecclesiasticos omnes Missam celebrare posse, et officium divinum persolvere die festi et octavae sicut sancti Francisci Minorum Ordo celebrabat et persolvebat, etiam obtinuit. In Litania Lauretana invocatio *Mater Immaculata*, ipso Rege precante, pariter addita fuit. Porro, anno 1771 in gloriam et honorem Conceptionis immaculatae regalem, ac egregium instituit Ordinem, suum augustum ferentem nomen, eximiam capitis magnique Magistri dignitatem sibi suisque Successoribus relinquens, a Clemente XIV Pontifice Maximo approbatione impetrata. Omnes huic praeclarissimo Ordini cooptati Immaculatam Conceptionem Sanctissimae Virginis Mariae confitendi, semperque tuendi iuramentum praestare tenentur, itidemque pro cultu purissimae Virginis amplius fovendo anno 1779 theologorum coetum, qui in hoc incumbunt officio praefato ordini adiunxit, ut maiorem dignitatem maximumque ei conferret splendorem: et omnes, qui in Universitatibus academicos gradus vel eorumdem incorporationem expostularent, aut reciperent, persancto se obstringi iuramento tuendi purissimam Mariae Conceptionem sicut Salmanticensi, Complutensi et Vallisoletanae mos erat, eodem quoque praecepit anno.

Virgo Deipara teneri amoris intimaeque devotionis Hispaniae Regum purissimo sui Conceptus mysterio numquam obliviscitur, semperque memor cum sit, singulare omni tempore eis contulit munimen, ut quaquaversus et latissime fidem protenderent, et innumeros qui tenebrarum caligine Idolorumque immundo vexabantur cultu, mystico Ecclesiae ovili adunarent. Simulque portenta sunt multiplicia, quibus D. O. M. fastigium huic devotioni addere vide-

tur, infinitaque auxilia et gratias, et beneficia fidelibus cunctis purissimo Conceptionis mysterio ex animo et firmiter adhaerentibus, eiusque gloriam et celsitudinem canentibus quotidie propitius impertitur.

Nemini ergo videatur novum, Beatissime Pater, fideles omnes peculiariter Hispanos Catholicorum Regum hortatu, et exemplo, et impulsu, et Pastorum exquisita sollicitudine pioque zelo susceptos, eximiam huic venerando mysterio devotionem et radicatam fidem, vehementissimum veluti afflatum pro ipsius dogmatica definitione desiderium omni tempore prodidisse.

Re quidem vera ad astra extollantur usque celsissimae dotes quibus haec Sanctissima Virgo ab initio temporum in saecula et ultra fuit decorata; obteruntur omnes et languescunt, si Conceptionis Immaculatae singulare privilegium eis nitorem splendentem non confert. Aliter; si Caelorum Reginam nunc confitemur, potestatis tenebrarum subditam fuisse fateri tenemur; si nunc gratiae Matrem, irae filiam antea; si nunc peccatorum Advocatam, primum peccatorum conservam; si Deiparam nunc, prius eius hostem; si Sancti Spiritus Sponsam, antea Draconis mancipium; si nunc Aeterni Patris praedilectam filiam, antea a Daemone possessam invitis ac reluctantibus confiteri est necessum.

Asseratur viriliter Sanctissimam Virginem a contagio originali minime fuisse maculatam, et Beatam ex omni parte; purissimum ipsius corpus perfectissimae suae animae semper et omnimode extitisse summissum, in gratia fuisse confirmatam, quin unquam hac de causa, hocve singulari privilegio ne venialem culpam commisisse. Asseratur quod omnium virtutum infusis habitibus et ornata, et locupletata semper fuit, et ex hoc pulcherrima coram Altissimo extitit, et plenitudine gratiae ita referta est, ut omnibus Sanctis haec uberrima copia non concipitur; haec praestantiae, et caeterae excellentiae quamplurimis efferantur laudibus, si primaevam contraxit maculam, hoc sufficit ut omnes fulgorem amittant.

His bene perpensis, ipsa etiam ratio ad credendum et confitendum, Mariam ab omni labe immunem in primo Conceptionis in-

stanti, omnes necessario ducit; miram ac felicem Arcam quae sola meruit a communi liberari naufragio; Hortum conclusum, ubi infernalis Draco adire nequivit; Arcam incorruptae trabis purissimo circumamictam auro, in qua nulla extat faex; sicut enim Christus secundus Adam concipitur, ita veneranda Virgo Maria fuit secunda Eva ab omnipotenti manu Dei munditer egressa. Expediebat, iuxta sanctum Anselmum, Mariam ea puritate lucescere, tantummodo Dei essentiali puritati secundam; sic enim decebat fortunatae Virgini ad altissimam Matris Dei erectae dignitatem. Ex Immaculata Virgine oportuit nasci Deum; ita fuisse est confitendum. Ab infinita Dei potentia ac virtute effici valuit; ab infinita Dei sapientia peractum fuit.

E contrario de Virgine Maria haec sancta gratissimaque eloquia praedicari nequirent. Totam pulchram esse atque in ea non fuisse maculam: Dominum eam possedisse initio viarum suarum, quin momento ullo infernali Draconi subiiceretur: in plenitudinem Sanctorum fuisse detentam: Iesum Christum filium eius ex ea veluti florem a radice nullatenus infecta nasci: fundamenta ipsius in Montibus Sanctis, non vero in Monte esse iniquitatis: Civitatem sanctam et novam descendentem de Caelo a Deo, paratam, ut sponsam ornatam viro suo; puram et mundam nulla labe foedatam fuisse, quae eiusdem coruscationem offunderet: sicut Auroram consurgi in tenebrarum caligine minime properantem: Principis filiam esse cuius gressus sunt pulchri valde, quatenus gratia ab initio magnifice illam excoluit: pedis calcaneo Serpentis contrivisse caput, cuius morsus unquam ei vulneravit: Lunam sub pedibus eius non advesperasci: sed illam sub ipsa conspexisse, quoniam peccati nox ei obscuritatem non attulit. Haec aliaque permulta testimonia ex Sacris Scripturis deprompta, quae de Beata Maria Virgine certe dicuntur ipsius puritatem originalem a primo suae animationis aut existentiae momento sine labe nec umbra peccati evidenter demonstrant et concludunt.

Verum quidem est, Beatissime Pater, Ecclesiam caelesti quo fruitur in omnibus expediendis rebus afflatu, propter observantiam

quibusdam viris adversam opinionem tuentibus, eam hucusque damnare noluit; sed tamen ipsa Ecclesia magnopere gratam sibi esse sententiam puritatis originalis Mariae propugnantem aperte semper exhibuit, iam tunc praesertim cum Immaculatae Conceptionis festum instituit, et saepenumero firmavit, et officium divinum, et huius mysterii Sacrum concessit, cum caeteris aliis indulgentiis, et gratiis a Summis Pontificibus uberrime ac iucundissime elargitis.

Et non solum Ecclesia tanti mysterii fidem placidissimam sibi esse monstravit, imo etiam pro certa conferre voluit: sic enim adversa ruit opinio, utpote omnimodo destituta probabilitate. Quippe cum Ecclesiam in morum regulis designandis nec fallere nec falli posse perspicuum sit, cum etiam extra dubium positum extet cultum Sanctis debitum tribuere, et superstitiosum aut indebitum avertere et damnare, de regulis morum esse, umquam nec celebrare festum, nec officium, et Sacrum concedere Ecclesia decrevisset, si de piissimae huius sententiae, et fidei certitudine, et securitate recte non iudicasset; aliter cultum superstitiosum fovendi et mandatis et privilegiis et concessionibus periculum adiret.

Post explicitum patensque munimen quod huic sententiae semper Ecclesia contulit, nemini latent, Beatissime Pater, perpetua desideria ardentissimaque ipsius Ecclesiae vota pro mysterii Conceptionis Immaculatae solemni et dogmatico iudicio, opportunum tantae declarationis diem, in venerandis divinae Providentiae consiliis diu absconditum omnibus fidentissime spectantibus. Basileense Concilium *Ses. 26.* hanc sententiam Immaculatae Conceptionis ut piam et cultui ecclesiastico, et sacrae Scripturae, et fidei catholicae, et rectae rationi apprime consonam approbari, et tueri ab omnibus catholicis debere; quin pro opposita sententia propaganda quidpiam docere aut enuntiare ullo modo auderet nemo, solemniter declaravit.

Summi ac devotissimi Pontificis Sixti IV celeberrimae Constitutiones: *Cum praecelsa*, et *Grave nimis*, omnibus sunt notissimae; quidquid, teste veridico ac doctissimo Cardinali Sfortia Pallavicino in Sancto Tridentino Concilio accidit, scitur quoque: in decre-

to de peccato originali *Sessione 5.* declarant Patres, non esse Sanctae Synodi intentionis comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed longe secus Constitutiones eiusdem Pontificis Sixti IV sub gravissimis poenis in ipsis impositis esse servandas. Et ita hoc decrevere post controversias et contentiones adductas sub egregio et perillustri viro hispano, Cardinali Francisco Pacheco, Giennensi Episcopo, flagrantissima sua erga B. Virginem devotione vehementer impulso, et a meritissimis Theologis, etiam Hispanis, e Societate Iesu Didaco Lainez, et Alphonso Salmeron, quos Paulus III. Pontifex Maximus ad Concilium miserat, summe fulcito et roborato. Primus ex his praefatis Theologis multoties eleganti forma, doctrinae supellectile, maximaque eruditione ipsiusmet propria suscepit verbum, vocemque emisit. De ipso fertur, fatiscentem propter intensam et malignam febrim, et cum munus obire et loqui tenebatur, Immaculatae Conceptionis praesidio se committere et illico tanto patrocinio suffultum mederi, et de mysterio ita diserte fari longo trium horarum spatio, ut omnium Patrum iustas arripuit laudes; unde eorum maxima pars iuxta ipsius Decreti tenorem citra dubium de limpida et immaculata Virginis puritate plene convicta remansit. Si enim Sancta Synodus Beatam Virginem in peccato originali minime comprehensam fuisse decrevit, hinc invictissime conficitur a labe primaeva fuisse omnino expertem.

Summorum Pontificum tuentium et foventium, et huius mysterii fidem propugnantium iteratas hactenus declarationes conspicimus. Eruditas, disertas, et innumeris et validissimis rationibus plenas praeclarissimae Virginis excellentiae in medium afferre tractationes, ab Scriptura Sacra et traditione, ab Ecclesia et Conciliis, a Patribus et Theologis amplissimum tutamentum et robur suscipientes, facillimum quoque esset.

Notabile profecto extat Syracusani Benedicti Plazza, e Societate Iesu, opus vere aureum, Panormi 1747 sub titulo: *Causa Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Matris Dei Mariae, sacris testimoniis ordine chronologico utrimque allegatis, et ad examen Theologico-*

criticum revocatis agitata et conclusa ; in qua, causam, et piam de Immaculata Conceptione Deiparae Virginis sententiam securam adeo esse, ut ad certitudinis Theologicae Moralis gradum, ad minimum pervenisse recte concluditur.

Post longum centum annorum spatium hisce nostris diebus *Polemica Dissertatio* de Immaculata Conceptione a sapientissimo et piissimo Cardinali Aloysio Lambruschino soliditate ac expolitione permaxima in lucem prodita est. Novissime *Disquisitio Theologica de Immaculato Virginis Mariae Conceptu, an dogmatico decreto definiri possit* a Ioanne Perrone Societatis Iesu nuper scripta, intentissime revera laborata, et perpolita, et adeo gravibus innixa auctoritatibus et rationibus, ut in re tanti momenti ad Immaculatae Conceptionis mysterium scilicet definiendum nihil superest desiderandum; praesertim vero, si quamplurimis et Cardinalium et Archiepiscoporum, et Episcoporum, et Ecclesiarum, et Ordinum Regularium precibus, postulationibusve quae in eiusdem operis Indice primo diligenter copulantur, ut in praefatione Missae de Conceptione Beatae Mariae Virginis, vox *Immaculata* addatur, et in Litania Lauretana singulare praeconium : *sine labe originali concepta*, attentius animadvertitur. Tam piissimi, universalisque clamoris fons aut origo, solummodo a profunda et radicata omnium de Immaculato Virginis Conceptu convictione repeti debet.

Posteaquam ad hoc pervenimus extremum, perspicua et luce meridiana clarior mysterii Conceptionis Immaculatae existit certitudo, iamque nullus adest ambigendi locus. In eo disserendo, ac enucleando, sociatis viribus incubuerunt simulque conspirarunt Scriptura sacra, et veneranda traditio, oecumenica, nationaliaque Concilia, et Sancti Patres, et Summi Pontifices, et tot praeclari Scriptores pietate illustres, virtute insignes, eruditione commendati; tot percelebrium Universitatum gravissimae sententiae, tot Praesulum et Capitulorum ingeminati clamores, tot validae ac strenuae Ordinum Regularium, etiam Fratrum Praedicatorum, propugnationes, tot supplices Regum petitiones, tot revelationes atque miracula pro hac firmanda devotione patrata, ipsamet Ecclesiae generalis praxis ac

devotio, singularis alacritas, summumque gaudium quibus afficiuntur fideles dum Conceptionis festum celebratur, in Hispania praecipue, ubi piissimus erga Virginis affectus ex intimis praecordiis nascitur, ita ut nihil praeter fidei symbolum tam certius creditur et profitetur. Haec omnia, quin alia validissima exponam momenta, pro mysterii dogmatica definitione una voce conclamant.

Asseri valet, Beatissime Pater, Deum controversias et disquisitiones exoriri permisisse, ut veritas mysterii Conceptionis Immaculatae ipsiusmet Matris fulgida appareat, veluti Sol vividos emittens radios ad nubes quae ei nitorem adimunt caliginemque offundunt, dissipandos et dissolvendos. Si enim iam laudatus Cardinalis de Belluga suis Litteris vehementer urgebat, et pro definitione solemni dogmatica tanti Mysterii clarissimo ac devotissimo Clementi XI enixe deprecabatur, ut fide divina credi inciperetur quod plusquam humana pie credebatur; si inter alias, quas pro suo muniendo voto tunc exhibuit causas, miserrimum Ecclesiae statum comparavit, ut devotione crescente una pariter cum fidelium votis, potentissimum Virginis iuvamen omnes sentirent, quanto magis nunc huius mysterii declaratio optari et fieri debet? Quot haereses postmodum exortae! quot calamitates! quot conflictus! quot perturbationes, quotque mala ex omni genere non sustulit Ecclesia, et hodie non perpetitur! Tantae declarationis necessitas gravior nunc redditur, ut inter aerumnas et infortunia, quae undique ambiunt ac premunt, praevalidum Dei Genitricis munimen sit potentius Ecclesiae, sit propitius fidelibus quibus, et honor, et dignitas, et amplitudo, et puritas Beatae Mariae Virginis tantum interest.

Sanctitati Vestrae, Beatissime Pater, optatissimam hanc efficiendi declarationem singulari tot perillustrium Praedecessorum qui pro hoc venturo die Orbi Catholico quam maxime placido suspiria ab imo pectore laxarunt, erat custodita gloria. Pro tanta, tamque gratissima re humillimas quoque meas ad Sanctitatem Vestram preces fidentissime eveho; benigne eas cooptari spero; iisdem verbis quibus piissimus Cardinalis ad suas finiendas Litteras utitur, utar etiam et ego; haec enim geminatio est mihi longe honorifica apprimeque

iucunda. Possibile utique minime est alia aptiora inveniri verba magnum ac intimum, quo flagro de solemni Immaculatae Conceptionis iudicio, desiderium certe quidem exprimentia.

« Eia igitur, Beatissime Pater, Celsitudinem tuam prae aliis Summis Pastoribus procul dubio Dominus singulariter elegit, ut puritatis, immunitatisque a macula Conceptionis Sponsae suae, et Matris sis proclamator, et vindex. Manum admove, coelestem Reginam hoc singulari obsequio honora, ut debitricem illam habeas, cui Deus ipse, et nos omnes debitores fatemur, a Te enim, ut penderet voluit, honos, nobilitas, puritatisque eius origo, ex qua omnes pendemus, quaque tantum habes honorem, quo in fastigio tuae Celsitudinis frueris. Speciali providentia hoc trophaeum Vestrae Sanctitati meritis tuis, et votis erga Beatam Virginem satis debitum servavit Altissimus. Te unum haec fortunata sors, ac beatitudo manebat.

« Exurge ergo, Beatissime Pater, et iudica causam tuam; causam, inquam, Mariae Dominae Nostrae, et tuae; causam Matris eius cuius vices geris; causam totius Ecclesiae, immo ipsius Dei. Aprehende non iam arma, et scutum, sed victricem manum tuam, manum, inquam, potestatis Clavium a Deo Tibi concessae: Tu enim claudis, et nemo aperit; aperis et nemo claudit. Sedens igitur inter Seniores scientia, doctrina, et dignitate praestantes, velut alter Salomon, Sacratissimam Dei, tuam, et omnium Matrem in debitum honoris fastigium colloca; innocentissimam Illius puritatem usque ad fidei Thronum eleva; haud enim fas est, ut a facie tua confusionem patiatur; *et addetur corona Capiti* Beatitudinis tuae, *et torques collo tuo*. Nihil profecto desideramus, quod prius, et ardentiori studio Sanctitas Vestra non idipsum desideret; nihil suademus, ac petimus, quod pietas Vestrae Sanctitatis non prius sibimet suadeat, et urgeat; ut sic inter tot Ecclesiae perturbationes, dissidia, angustias, hic lucifer elucescat, pax affluat, concordia exundet. Vere enim iam pridem haec Sacratissima Virgo in omnibus Ecclesiae perturbationibus Iris extitit pacis. Sic Septima Synodus his verbis testata est: *Quia intercessione Sanctissimae Vir-*

« *ginis olim quae fuerant membra divisa ad unitatem et charitatem* « *perfecte sunt redacta*. Hoc ergo obsequio Maria quasi religata ma- « nebit, ac velut Palma exaltata cum aliis suavissimis fructibus pa- « cem nobis donabit. »

Quondam Ephesi, Beatissime Pater, ad magnae Ecclesiae Dei Genitricis sacratae ostium, ubi venerabiles Episcopi in Concilio erant congregati, et per ipsius circuitum quamplurimi aderant fideles, pulcherrimam Virginem Mariam esse Deiparam definiri, impatienter praestolantes, et cum exeuntibus Patribus, sic decretum fuisse scierunt; O mirum certe ac tenerrimum spectaculum! protinus omnes maximo transvecti iubilo, ad eorum pedes provoluti, innumeros amplexus et oscula gaudii lachrymis permixta, ob praestantem Virginis dignitatem ac excellentiam, quam in definitione servarunt et conclamarunt, ipsis porrexere gratissimi.

Nunc Catholicae Ecclesiae fideles omnes in circuitu Vestrae Sanctitatis conspicere mihi videtur, impatienter quoque vocem supremam et errori minime obnoxiam audire expectantes; vocem, inquam, Immaculatae Conceptionis mysterium solemniter definientem et articulum fidei dogmatice declarantem. Iam enim a permultis hoc de fide creditur definitum, aliique suae devotionis ardore perciti nondum esse declaratum non parum mirantur. Diutissime ergo admodum desideratam Sanctitas Vestra proferat vocem, vocem in virtute, vocem in magnificentia, vocem iustitiae, solaminis, praeconii, exultationis; fideles cuncti, ferventissimi velut Ephesini, et tanquam ipsi ad sacros pedes Vestros procumbentes atque prae gaudio collacrymantes, Supremum Ecclesiae Pastorem qui sua piissima cumulavit vota incessanter laudabunt ac benedicent, et gratitudinem conceptu difficillimam, attamen iucundissimam, patefacient. Unusquisque inceptum opus feliciter conclusum cum videat, Iacobi ad filium Ioseph iterabit verba: *iam laetus moriar quia vidi faciem tuam et superstitem te relinquo*. Quoniam purissimae ac Beatissimae Virginis Mariae Immaculatae Conceptionis mysterium ab Optimo, Maximo, fortunato ac devotissimo Pio IX fidei articulum, ut vehementissime cupiebam, declaratum aspexi et derelinquo, singuli dicent, et ego in primis: *iam laetus moriar*.

Iesus Christus Deus ac Dominus noster, cui honor et gloria et dignitas et splendor amantissimae Matris suae tantum intersunt, ipsiusmet Sacratissimae Virginis intercessione adductus, Vestrae Sanctitati lucem afferre dignetur, ut ita hoc quamprimum decernat. Haec sunt, Beatissime Pater, ardentia vota mea, haec tot insignium praeclarissimae ac celeberrimae Ecclesiae Toletanae Antistitum, gloriosi Praedecessoris sancti Ildephonsi erga Beatam Virginem sine labe originali conceptam devotionis haeredum; haec perillustris eiusdem Sanctae Ecclesiae Capituli pro tanti mysterii cultu omni aetate studiosissimi; haec religiosissimi Cleri puritatis Virginis Mariae acerrimi propugnatoris; haec denique Catholicorum totius Dioecesis, mihi licet indigno, Vestra tamen benignitate concreditae, fidelium, qui semper mysterio addictissimi Immaculatae Conceptionis festum sancta hilaritate concelebrant. Humiliter, reverenter ac fiducialiter ea Sanctitati Vestrae libentissime offero; et dum ad sacros pedes Vestros supplex procido, paternam et Apostolicam implorans benedictionem, ad coelum levare manus non praetermittam contendens precibus benignissimum Deum, ut spiritualia et temporalia Vestrae Sanctitati semper bona conciliet pretiosamque vitam diuturne incolumem servet ad Ecclesiae solatium, Religionis prosperitatem, gaudium et laetitiam universi Dominici gregis, cuius Magister et Pastor et Custos ordinatione divina extat constitutus.

Sanctitatis Vestrae, Beatissime Pater,

Matriti, 26 aprilis 1850.

Humillimus ac Obsequentissimus Filius,
IOANNES IOSEPH *Archiep. Toletanus.*

CCCLXV.

DEL VESCOVO
DI SAVONA E NOLI

BEATISSIME PATER

Pergratae, acceptissimaeque mihi fuere Litterae, quibus Sanctitas Tua, Beatissime Pater, suffragium meum expostulare, populique utriusque Dioecesis Savonensis et Naulensis, meae curae concrediti lignata est circa desiderium, quo flagramus, ut ab Apostolica Sede immaculatam fuisse et ab omni prorsus labe originali immunem, vel ab ipso primo instanti, Beatissimae Virginis Mariae Conceptionem, solemni iudicio decernatur.

Quapropter, ut qua par est solliciudine, post diligens examen, pientissimis votis Tuis faciam satis, iucundissimum mihi est Sanctitatem Tuam certiorem facere, Clerum et fideles omnes utriusque meae Dioecesis, ne dum maximam venerationem, et specialissimam devotionem erga Deiparam Virginem profiteri; sed ita vivacem penes nos extare gratiam pro tot tantisque beneficiis eius intercessione acceptis, ut omnes singulari titulo filios esse Mariae palam profiteri gloriemur. Hinc est quod omnes peroptamus, idque a Te maximi beneficii loco enixe humiliterque petimus, ut, qua polles auctoritate, utaris, et immaculatum Beatae Virginis Conceptum, prorsusque quovis tempore ab omni labe originali immunem esse definias. Verum licet id in communi voto sit, adhibitis tamen in consilium Theologis, aliisque viris pietate et doctrina eximiis, ipsis videtur, propter temporum luctuosissimas vicissitudines, paulisper Dogmaticam definitionem differendam esse, ne male sentientibus de Religione obtrectandi, obloquendique Virginem occasio praebeatur.

Sed quidquid sit de hac nonnullorum opinandi ratione propter eximium amorem, quo Sanctissimam Virginem prosequor, et ardens

quo flagro desiderium, ut quantocius de Immaculata Eius Conceptione definitio habeatur, quoad temporis opportunitatem, enixis precibus invocato luminum Patre, meum suffragium prudentiae Tuae humiliter perfecteque submitto, et quidquid declaraturus eris, ratum firmumque habebo. Interim cum nihil mihi magis cordi sit, quam venerationem Beatissimae Virginis Mariae, cui ab infantia me totum devovi in omnibus promovere, libentissime utens facultate in Encyclicis Litteris Tuis, Beatissime Pater, diei 2 Feb. 1849 mihi attributa, ut in Litaniis Lauretanis, quemadmodum ab immemorabili iam penes aliquas Ecclesias usus invaluerit, vers. *Regina sine labe originali Concepta*, in Missae autem Praefatione *Et te in Immaculata Conceptione*, in omnibus adderetur, mandavi. Per Decretum vero datum Savonae die 5 Feb. 1850, peculiares horas Canonicas de eiusdem Virginis Conceptione nuper concessas toto cordis affectu acceptavi, easque typis edi, et ab omnibus qui ad horas recitandas tenentur, imposterum in festo Conceptionis, et consequente Octava recitari mandavi. Faxit Deus a quo bona cuncta procedunt, ut in dies magis magisque pietas et devotio erga Deiparam Virginem augeatur.

Ne dedigneris, Beatissime Pater, mihi, gregique meo, Apostolicam Benedictionem, quam humillime peto impertiri.

Beatitudinis Tuae

Datum Savonae K. Maii 1850.

Humus, Admus et Obmus Filius
ALEXANDER OCTAVIANUS *Episcopus.*

CCCLXVI.

DEL VESCOVO
DI MONDOVI'

BEATISSIME PATER

De immaculato Beatae Mariae semper Virginis Conceptu, de quo in Apostolicis Literis sub die 2 februarii elapsi anni 1849, animum aperiturus, hoc primum Sanctitati Tuae aegre fatebor, quod scilicet sat diuturna interposita mora id muneris in praesens tantummodo implere potuerim. Quam equidem moram, absit ut, instante Sanctitatis Tuae praecepto, unquam probaverim; ipsam tamen ob politicarum maxime rerum vicissitudines, in dies protrahere necesse erat: quibus nempe factum est ut dioeceseos gubernationi etiam penes nos, ob temporum angustias, plus aequo difficiliori effectae animo sedulo incumbenti sat non daretur quietis, ut votum de re gravissima cito perpendere ac tuta conscientia prodere liceret.

Nunc autem ad rem statim accedenti periucundum est Sanctitatem Tuam certiorem facere de universali, ut ita dicam, in hac dioecesi consensu in pia sententia qua B. Virgo Maria ab omni prorsus originalis peccati laesione immunis tenetur. Datis siquidem ad omnes, per singulas Paroecias, Sacerdotes, numero fere septingentos, literis, ac in primis ad hoc perillustre cathedralis Ecclesiae capitulum, hoc mihi relatum est, non hunc tantummodo praecellentem dioeceseos ordinem, sed universum ibidem Clerum, extra perpaucos, praedictae sententiae plane adhaerere, quam sponte sequitur pium dogmaticae definitionis studium; ut quod a multis nunc creditur, ab omnibus pariter in maiorem B. Virginis honorem in posterum credatur.

De populo autem mihi demandato quid attinet dicere? — In hac

enim auspicatissima dioecesi ubi inter centum septuaginta fere hominum millia Sancta Dei Genitrix maiestatis pietatisque suae sedem, ut ita loquar, a tercentis propemodum annis constituit in celeberrimo atque augustissimo templo prope Vicum illi dicato; ubi a fidelibus praeclaris miraculis omnigenisque donis cumulatis, ceu a fidelissimis subditis filiisque amantissimis, suavissimo *Reginae Montis Regalis* nomine invocatur; talis tantaque erga illam fervet devotio, ut minime dubitandum sit quin omnibus chara ac iucundissima foret dogmatica definitio de immaculato Conceptu qui etiamnum singulari animi veneratione colitur ac celebratur.

Nunc vero de me liberius dicam, qui velut ab incunabulis Beatissimam Virginem amantissimae Matris instar diligere atque observare doctus, quati ac studiosissimi animi erga illam sensus in dies augeri experiebar; ita ut de dato quoquam optimo donoque perfecto quo saepissime a Patre luminum per Christum donatus sum, illi, ceu penes Filium mediatrici potentissimae, gratias quoque persolverem, illudque firmiter prae animo haberem, ut quomodolibet illius cultus magis magisque promoveri posset, hoc mei muneris esse putarem.

In quo equidem, sive illius laudes saepius populis texendo, sive nova templa a solo excitando ipsique dicando, sive pia sodalitia in ipsius honorem instituta ac illud praecipue SS. Rosarii summopere adiuvando, sive tandem ipsius memoriam innumeris sculptis, incisis, pictisve imaginibus distributis recolendo, perpetuo adlaborasse vehementer gratulari iuvat.

Neque illud praetereundum est me illo ipso tempore ad episcopale munus electum fuisse quo quadragesimali praedicationi, spiritualibusque exercitiis operam dabam in insigni illa Basilica in quo sanctissima veneratur domus ubi Verbum caro factum est, Lauretana nempe. Et quoniam haec me contigit electa dioecesis ubi, ut innuebam, Beatissima Virgo tot tantisque obsequiis frequentata specialissimum cultum inter fideles obtinet, ardentiori studio antiqua illa mea devotio in Augustissimam Reginam atque advocatam meam matremque amantissimam efferbuit. — Hinc ante annum elapsum ab adventu in Episcopalem hanc Sedem, dioecesim perlustrans, ad tan-

tae Virginis patrocinium sollicite confugiendum praedicans, piissimam SS. Rosarii societatem in unaquaque Paroecia vel erigendam vel restaurandam curavi. Quod porro summo omnium animi gaudio receptum est, receptumque item perutile exercitium *de Mense Mariano* dictum, quod servandum proposui: postquam iamdudum et solemnissimo B. Mariae Virginis Nativitatis festo quo multitudo populi maxima huc ex omni pedemontana regione quotannis confluere solet novendialem praedicationem praemitti statueram.

Ex quo autem pervulgatum est sanctissimum fel. record. Gregorium XVI nonnullis Episcopis facultatem concessisse ut in eorundem dioecesibus Beatissima Dei Genitrix in Litaniis Regina sine labe originali concepta, eiusque pariter conceptio immaculata in Missae praefatione celebraretur, hoc et ipse statim expetivi et obtinui. Quemadmodum elapso anno facta a Sanctitate Tua de Missa ac officio proprio *de immaculato Conceptu* recitandis facultate, utrumque statim admisi, editoque decreto universo Clero servandum demandavi.

Supererat ut isthaec B. Mariae cultus epocha speciali aliquo monumento designaretur, qua scilicet placuit Sanctitati Tuae immaculati eiusdem Conceptus venerationem tantopere promovere. Huic tamen meo desiderio fiet satis si supplici libello benigne assentiatur quo nuper a praefata Sanct. Tua expostulavi ut in hoc B. Virginis prope Vicum sanctuario, atque in singulis dioecesis paroeciis mihi liceat piam societatem immaculati cordis pro remissione peccatorum erigere.

Ex quibus omnibus sat patebit me defixum altissime in animo habuisse ut in Sanctissimae Virginis sanctitate privilegiisque extollendis nemini secundus iudicarer. Atque exinde dum Sanctitati Tuae haec de mea in eandem devotione refero, hoc mihi pariter iucundum accidit profiteri me piae sententiae plenissime ac sine aliqua haesitatione adhaerere, qua SS. Maria ab omni peccati labe immunis praedicatur, et illo quidem primo instanti quo ipsius anima corpori suo a Deo tum sanctificato coniuncta fuit.

Utrum vero quae sive ex Scriptura sive ex traditione, et fere uni-

versali praesentis temporis Ecclesiae studio ab hodiernis huius piae sententiae patronis eruuntur argumenta ut probent eam esse in fidei dogma traducendam sufficiant, si iis omnibus comparentur quae Conciliorum, Florentini praesertim, Lateranensis et Tridentini Patres hac de re edisseruerunt, summique theologi diisputarunt, profecto affirmare metuerem. Neque effusis iam ad Deum per totam dioecesim precibus hoc mihi datur ut audeam. Qua pariter dubietate teneri confiteor quum de opportunitate praedictae definitionis recogito; quae quum non sit de necessitate salutis, felicioribus forte Ecclesiae temporibus uberiori utilitate promoveri posse nonnullis videtur — Quarum tamen difficultatum nulla forsitan exoriretur ubi hoc tantummmodo definiretur « recte Ecclesiam immaculati Mariae Conceptus cultum promovere, quin adversa sententia ut haeretica unquam haberi possit. »

Ast Sanctitati Tuae cui profecto hac de re decernendi a veritatis Cathedra ius competit superna a Patre luminum aderunt praesidia, quibus omnis prorsus difficultas dirimatur. Quapropter quaecumque post tot effusas preces, post gravissimum perpensum votum S. Ecclesiae Cardinalium et Episcoporum omnium nec non et summorum theologorum, a Sanctitate Tua proditura sit definitio, illam ego tamquam a Deo ipso proditam laetabundus excipiam et venerabor.

Nunc iam piissima Virgo quae supremis in angustiis uti immortalibus decessoribus tuis V ac VII Pio benigne adfuit, Tibi, Bme Pater, non deerit, qui eorum pietatem aemulatus Tui grati animi sensus erga dulcissimam Patronam Orbi universo patefacere gestis. Ipse interea a D. N. I. C. adprecaturus ut quod magis gloriosae Matris suae exaltationi expedit fideliumque bono, Tibi suo in terris Vicario inspiret, Apostolicam benedictionem super totam dioecesim meam enixe expostulo.

Montereg. die 5 Maii 1850

Humillimus Obseq. Addict. Filius
FR. IOAN. THOMAS *Epus Monregalensis Ord. Praed.*

CCCLXVII.

DEL VESCOVO

DI SEGORVE

Beatisimo Padre

Bendito sea el Dios y Padre de nuestro Señor Jesu Christo, Padre de las misericordias, y Dios de toda consolacion, el cual nos consuela en todas nuestras tribulaciones. Estas palabras que nos han servido de escúdo de la Verdad de Dios durante los dias prolongados de las tribulaciones de Vuestra Beatitud, porque solo en ellas encontrabamos un verdadero consuelo, las repetimos hoi, y las repetirémos sin interrupcion por toda la vida, porque la infalible promesa de Dios en favor de su Yglesia acaba de cumplirse en la sagrada Persona de Vuestra Beatitud á la faz y con admiracion de los Monarcas, Gobiernos y Pueblos todos del globo. Vuestra Beatitud há corrido imperterrito un periodo mui notable de tiempo bajo las alas siempre de la proteccion especial y estraordinaria, del que fundó la Yglesia, y la robusteció con su Sangre Divina; y bajo esas mismas alas há marchado victorioso á sentarse en su firme silla Romana: misterio ininteligible á los sabios y poderosos del siglo, á la vez que verdad practica y en cierto modo evidente para los humildes seguidores de la Religion unica verdadera del Hombre Dios Crucificado.

Beatisimo Padre: el dolor cuando es vehemente, pone un tal sello en los labios, que imposibilita la discusion y el tratado principalmente de aquellas materias, que ni aun pensar se pueden, sin poseerse de la alegria mas intensa. Con esta sola espresion querémos significar á Vuestra Beatitud el motivo del silencio, que hemos guardado acerca de lo que se dignó preguntarnos por su Encíclica del dos de Febrero del año anterior en orden á manifestar, cuanta fuese la

devocion y decision de nuestros Diocesanos acia el misterio de la Concepcion Inmaculada de la Santisima Virgen Maria, cual su deseo de que esta proposicion piadosa sea elevada á dogmatica, y cuales fuesen nuestros sentimientos y convencimientos en favor de esta declaracion solemne y canonica. Por fortuna respirámos hoi en el regreso triunfal de Vuestra Beatitud á su Corte de aquella moderada alegria, que ensancha el corazon y desencadéna los labios, beneficio que Dios por la intercesion de su amadisima Madre Maria nos hace disfrutar de vez en cuando en este valle de lagrimas, y nos sentimos con animo para contestar clara y sencillamente.

El Clero y pueblo de nuestra Diocesis viene animado desde antigüedad remota y de principios desconocidos de un fervor y devocion preferente acia la Inmaculada Concepcion de la Santisima Virgen Maria, con la particularidad de echarse de menos en toda ella ciertos vestigios que en algunas otras de las de la Peninsula se encuentran aun de aquellos tiempos, en que la proposicion favorable al misterio fué controvertida, acaso con poca prudencia de una y de otra parte. Entre nosotros, Beatisimo Padre, se encuentra la Concepcion Inmaculada de la Virgen Maria tan bien recibida, tan hondamente asentada como las demas verdades, acerca de las que los verdaderos creyentes jamas admitieron sombra alguna de duda. Confirma en parte esta idea la eleccion, que esta Santa Yglesia Catedral hizo desde su ereccion para sello en todos sus documentos del busto de Maria, representada en su pura Concepcion, titulandose de ella su templo, y ademas nueve Yglesias Parroquiales en otros tantos pueblos de la Diocesis. Tambien es Patrona principal y especial bajo este dulcissimo titulo de nuestra Ciudad Episcopal.

Cuando hicimos circular la orden para la rogativa publica y solemne, que Vuestra Beatitud nos mandó practicar, para el mayor acierto en la declaracion del misterio por punto de Fé, entendieron nuestros Feligreses en su generalidad, que el Soberano Pontifice Vicario de Jesu Christo ordenaba se hiciesen fiestas en toda la Yglesia catolica en honor de la Gracia en que fue concebida la Madre de Dios, y las celebraron en efecto con grande devocion y jubilo, sin tratar

de averiguar la diferencia que importaba el que la proposicion estuviese ó no estuviese declarada de Fé por la suprema autoridad de la Yglesia. Esto es cuanto podémos decir de la creencia y piadosos afectos de nuestros Diocesanos acerca de la Purisima Concepcion de la Criatura Privilegiada entre todas, de la inefable Maria, que se dignó ser tambien nuestra Madre; y de aqui bien se puede inferir el deseo vehemente, que animará á los hijos, que la Divina Señora tiene en este Pais, por que Vuestra Beatitud inspirado del Espiritu Santo, que no puede dejar de asistirle, la otorgue esta honra.

Por nuestra parte, Padre Santisimo y Maestro universal de todos los Fieles, recordámos con pena y con rubor y con grandes temores (hablando con Vuestra Beatitud nada nos debe quedar en el pecho, nuestro riachuelo de aguas turbadas y amargas integro lo depositamos en ese inmenso Occeano) recordamos tiempos, que ignorámos en nuestro rincon si estarán ya pasados, en los que personas del primer prestigio en todos sentidos activaban en la Corte de Roma, que la Santisima Virgen Maria fuese declarada pura y sin mancha, y estos mismos en los mismos dias demolian sin darse treguas la Compañia de Jesus , el primer antemural de la Ciudad de Dios que milíta, la Yglesia Catolica Apostolica Romana. Pocos dias hace resonaban hasta el fastidio elogios mil á aquellos devotos de Maria, á aquellos politicos sublimes: sus discipulos que se jactan de serlo ocupaban hasta de ayer todos los grandes destinos..... Santisimo Padre, confiamos en la Providencia Divina, y creemos que Vuestra Beatitud es en la Yglesia catolica un Argos sagrado. Acaso nuestro corazon es mui chico, y de seguro nuestro entendimiento es limitadisimo: al Vice Dios en la tierra acudimos por consuelo por luz y por indulgencia á nuestras faltas.

Concluimos suplicando cuan cordial y rendidamente podémos á Vuestra Beatitud prosiga y termine el espediente de declarar dogma de Fé, que Maria Santisima Madre de Dios y Señora nuestra fue concebida sin mancha de pecado original! Con cuanto gozo clamará la Yglesia hasta la consumacion de los siglos de su Pontifice Sum-

mo Pio IX. *Invenit Mariam, invenit vitam, et hausit salutem a Domino.*

B. L. PP. de V. B.

Segorbe 10 de Mayo de 1850.

Humildisimo Siervo
Fr. DOMINGO *Obispo de Segorbe.*

CCCLXVIII.

DEL VESCOVO

DI COCHABAMBA *NELL' AMERICA MERID.*

SANCTISSIME PATER

Inexplicabili cordis nostri laetitia, ob plausu dignam rem quam continent, postremis hisce diebus Apostolicas Litteras Caietae die 2 Februarii anni 1849 datas, et a Reverendissima Nuntiatura Brasiliensi ad Archiepiscopum Platensem missas, accepi, per quas, post descriptum statum quaestionis Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, nobis consulendo imponit Sanctitas Vestra, primo, quod statim ac pervenerint ad Nos praedictae Litterae publicas in tota nostra Dioecesi preces Deo fundantur, ut divino afflante Spiritu super decisione dogmatica, quae breviter est facienda, de Conceptione Immaculata Virginis Dei Genitricis Mariae, quod magis Dei Omnipotentis gloriae, eiusdemque Dei Genitricis cultui convenire possit, per Sedem Apostolicam tandem resolvatur. Secundo, rogat Sanctitas Vestra, ut illam supremam Sedem certiorem faciamus de devotionis gradu, quo istius nostrae Dioecesis Christi fideles

hoc tam pium Beatissimae Virginis Mariae mysterium prosequantur. Tertio, exoptat Sanctitas Vestra quod etiam cordis nostri vota, ac desideria patefaciamus, quidve faciendum sit super hac re liquido exponamus. Quarto tandem nobis conceditur per dictas Litteras, ut horarum Canonicarum oneri satisfacere possint Ecclesiastici omnes, recitando, si nobis bene visum fuerit, modernum Immaculatae Virginis Mariae officium nuper ordinatum, et Clero Romano Apostolica autoritate concessum, et ut in Missae Praefatione per totam Octavam recitandae addi a nobis possit haec particula: *Et te in Conceptione Immaculata*. Quae omnia peramanter legi, et ut meum adimpleam munus respondeo ad singula ut sequitur.

Ad primum dico, quod vix Tuas accepi Litteras per Encyclicam Epistolam ad omnes Parochos,aliarumque Ecclesiarum rectores directam praecepi, ut publicas ubique quo latet haec Dioecesis per triduum Deo funderentur preces, eo fine, ut ipsemet Deus Pater misericordiarum, et totius consolationis auctor dignaretur iam sponsam suam Ecclesiam consolari, addendo fidei Catholicae symbolo hunc novum articulum, nempe quod Beata Virgo Maria absque ulla peccati originalis labe fuerit absolute concepta, quemadmodum pluribus ab hinc saeculis usque nunc a viris probis, et erga Dei Genitricem bene affectis pie, et absque ulla animi haesitatione ubique creditum est.

Ad secundum dico, Sanctitatem Vestram certam facere posse, Christi fidelium devotionem erga mysterium Immaculatae Conceptionis Dei Genitricis Mariae in hac Dioecesi, sicut et in tota America culta ad summum gradum pervenisse, ita ut nihil amplius desiderari possit, asseverando insuper solum ab his qui Christum spernunt hoc Virginis Mariae mysterium in dubium verti: nam omnes veri Catholici pie, et indubitanter credunt ipsam Mariam semper Virginem ab omni peccati originalis labe singulari Dei privilegio fuisse praeservatam, et hoc ipsum de fide definiri omnes exoptant.

Ad tertium dico, quod nostrum desiderium ac votum plane idem est quod Ecclesiae Catholicae, nempe quod a Sede Apostolica definiri possit ac debeat ut fidei articulus, quod Beata Dei Genitrix

Maria a primo suae Conceptionis momento a quacumque peccati originalis macula praeservata fuerit: nam pro certo habemus illam Virginem plane singularem, quae ab aeterno in Sanctissimae Trinitatis Consistorio electa fuit, ut digna Dei Genitrix evaderet, ullo umquam tempore esse potuisse sub daemonis potestate, qui est totius sanctitatis offensissimus hostis.

Ad quartum tandem dico quod gratissimum mihi, totique Clero fuisset moderni Immaculatae Virginis Conceptionis officii nuper a Sede Apostolica Clero Romano concessi, recitationem suscipere, nisi illud ipsum esse intelligerem officium quod hic iam ab anno 1765 recitatur ab omnibus ex concessione Clementis XIII, ideoque ut Sanctitatis Tuae desiderium impleatur solum nobis superest addere in Missae Praefatione per totam Octavam, et quandocumque officium votivum de Conceptione fiet haec particula: *Et te in Conceptione Immaculata*; quod quidem a nobis ex nunc et in perpetuum perficietur cum multa Deo gratiarum actione. Interim res Christiana universa Sanctitati Vestrae summopere gratulatur, quod iam advenerit illud tempus a Deo praeordinatum, et a Sancta Birgitta praevisum, in quo haec magna veritas, tantopere Dei Genitrici decora, clarescat, cum iam modis omnibus veri Dei, eiusque matris amici tot decursis saeculis zelum suum ostenderint.

Sanctissime Pater

Datum Cochabambae sexto Idus Maii anni 1850.

IOSEPHUS MARIA *Episcopus Cochabambensis.*

De Mandato Ill. et Revmi Domini
ANGELUS AEGIDIUS REBOLLO *Secretarius.*

CCCLXIX.

DEL VESCOVO

DI FILOMELIA *IN PARTIBUS*

VIC. AP. DI YUN NAN *NELLA CINA*

TRÈS-SAINT ET BIENHEUREUX PÈRE

C'est en avril de cette année 1850, que j'ai eu l'honneur de recevoir, avec autant de vénération que de joie, une copie de la Lettre, que V. B. a adressée à tous les Patriarches, Primats, Archevêques et Evêques du monde catholique. Il y a déja plusieurs années, T. S. et B. P., que le Clergé et les fidèles de nostre Vicariat, d'après une permission du S. Siège, honorent spécialement l'Immaculée Conception de la très-Sainte et très-glorieuse Mère de Dieu, toujours Vierge, en ajoutant à la fin de ses litanies, *Regina sine labe concepta, ora pro nobis;* en langue chinoise: *Ou yuen Tsoui tche heou, Ouei Go Ten ky.* Je suis moi même très-heureux, Bienheureux Père, d'avoir une occasion si opportune de pouvoir vous exprimer combien je desire aussi que le dogme de l'Immaculée Conception de la très-glorieuse Mère de Jésus, qui, selon un grand et St. Docteur: *nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce*, soit irrévocablement défini.

Nul doute, T. S. P., que cette déclaration solennelle, émanée de Votre Trône et de Votre autorité Apostolique, ne soit reçue avec transport par tous les fidéles du Christ. On peut dire maintenant, B. P., que c'est le voeu de toute l'Eglise Catholique. Alors, T.S.P., le saint Nom de Dieu sera béni et glorifié, les SS. Noms de Jésus et de Marie seront éxaltés, l'Eglise triumphante sera dans la joie,

l'Eglise militante, surtout dans ces temps difficiles, sera protégée et délivrée de ses ennemis, et l'Eglise souffrante sera consolée et soulagée.

Avant de terminer cette lettre, T. S. P., qu'il me soit aussi permi de Vous exprimer combien mes missiomnaires et moi avons été tous affligés des peines que Vous ont causées tant d'enfants ingrats, aveugles et égares; puissent-ils, B. P., par une prompte et sincère conversion, autant réjouir et consoler Votre coeur paternel, qu'ils l'ont contristé par leur désobéissance et leur malice? C'est notre voeu le plus ardent.

Je prie le Seigneur, dont Vous êtes le Vicaire sur terre, qu'en Vous accordant l'accomplissement de tous Vos desirs, T. S. et B. P.; il conserve long temps à son Eglise Vos précieux jours. Humblement prosterné aux pieds de V. S., j'ose aussi implorer le secours de Vos prières pour moi et toutes les ames qui me sont confiées, ainsi que Votre bénédiction Apostolique.

De V. S. toujours

Le 10 mai 1850.

Le très-humble et très-obéissant Fils en N. S.
IOSEPH *Evêque de Philomélie,*
Vicaire Apostolique du Yun nan, en Chine.

CCCLXX.

DEL VESCOVO

DI DURANGO *NELL' AMERICA SETTENT.*

BEATISSIME PATER

Quas universi catholici orbis Episcopis a secunda Februarii anni proxime elapsi Caietae conscripserat Sanctitas Tua, venerabilibus Encyclicis Litteris suprema quidem animi alacritate, maximaque spiritus exultatione paret modo et obsequitur Episcopus Durangensis. Easdem iam inde a vigesima quarta mensis Octobris pastoralibus meis typis admandatas, deprecatas insimul et indictas preces ut Deus O. M. Paterque luminum, ea quibus Tibi in tanto exercendo munere opus est perfundat, duodecima anteacti Decembris die, reverenter scripsi, ac certum Te feci: pastoralem autem recensam epistolam simul cum Venerabilis istius Cathedralis Capituli pro immaculata Deiparae Virginis, nostraeque etiam Matris ac Dominae Conceptione, quae Tuarum Litterarum principium insigne, ac gloriosismus finis, iudicio, et votis duplici utrumque exemplari adiiciendum, et mittendum iudicavi.

Age vero, ut iucundissimae obedientiae debitum plene et absolute persolvam, mihi dicendum est, ac declarandum, quae aut qualis tam populo, quam istius Durangensis Dioecesis clero erga immaculatae Mariae Conceptionis mysterium religio et cultus, meamque etiam in hac re sententiam, et episcopale suffragium pro coronide aperiendum. Faxit Deus immortalis, ut illud iudicium in Dei ipsius O. M. gloriam, in eiusdem purissimae Matris laudem et honorem, in totius Ecclesiae bonum, et utilitatem, in Tui denique nomen, Beatissime Pater, qui supremum eius caput dignissime exstas cuique sua Deus copiosissime praestet auxilia, in Tuam memoriam sempi-

ternam, ad optatam mysterii dogmaticam definitionem conferat, debitamque sibi in ea vel minimam partem assumat.

Ac primo quidem, cum peramplae Durangensis dioecesis viae earum descriptoribus barbararum gentium telis mortem undequaque minitentur, cumque etiam permultae parochiales Ecclesiae ita sint ab antiquis constitutae, ut nullae in earumdem ditionibus litteris excipiendis simul ac redeundis (*sic*) inveniantur officinae, nec mirum, quod nullum adhuc a plurimis sane populis supradicta pastoralis epistola demandatum, ac spectatum frustra responsum acceperit. Cuncta autem ea, quae in scriptis desunt placita, ac expressa desideria et vota his, quae modo exstant, quaeque undevis omnia pro illa piissima quidem sententia, ab omni prorsus originis labe Deiparam immunem praedicante, proque huiusmodi sententiae apostolica definitione spirant, similia sane, ac veluti missa et accepta, merito erunt, ac proculdubio existimanda. Nec eisdem namque opus erat testimoniis, Beatissime Pater, ut de vero cleri universaeque dioeceseos populorum sensu, iudicio, ac votis certiorem te facerem, ubi nulla dissensio, nulla unquam vel minima contentio, sed universalis semper extitit, et placita viguit persuasio, piaque fides erga singularem illam, et ineffabilem gratiam, quae Dei electam sibi creaturam, ante coeteras omnes primogenitam Mariam Virginem, Deiparamque dignissimam prae filiis hominum a communi originali peccato praeservavit. In tota quippe, qua late patet haec Tua dioecesis, meis curis concredita, quam non semel pene integram invisendo peragravi, nullum inveni populum, nullum oppidum, nullum vel infelicissimum pagum, in quo Beatae Mariae Virginis ob purissimae, et immaculatae Conceptionis privilegium non ubiqué laudes extollantur: et ita quidem, ut gratia haec originalis prae cunctis suis aliis quamvis altissimis charismatibus, primarium sibi religionis cultum erga Virginem Matrem nostrates apud vindicare videatur. Atque illud pergrate mihi modo venit asserendum, quod in tanta opinionum, animorum, ac rerum omnium contentione, his deplorandis dubii temporibus, nec ullam unquam, vel in intimo conscientiae foro, poenitentiae tribunali aperto, huiusce piae fidei haesitationem, aut pro ipsamet levissimam invenerim ancipitis spiritus anxietatem.

In his autem, quae ingenue, ac fideliter hucusque exposui, nequidem venit in mentem, Sanctissime Pater, istius Durangensis dioecesis erga Matrem dulcissimam, quae spes nostra ac peccatorum omnium refugium, amorem, atque ipsius erga Conceptionis mysterium devotionem, et cultum extollere adeo, et magnificare, ut coeteras Mexicanae provinciae dioeceses huiusmodi sermonibus contemni, atque immerito deprimi videantur.

Praeterquam etenim inter cunctos mexicanae gentis populos unam facile fidem, unamque mentem, eademque undecumque pia esse desideria, ac vota ut communis hominum Mater, coelorumque Regina in conceptionis purissimae gratia magis, magisque laudibus decoretur, in dubium nefas sit revocare; in plurimis etiam mexicanae ditionis ecclesiis praeeminens earumdem erectionis antiquitas, gentium etiam, et populorum plenitudo, uberiores idquecirco proventus Deiparae Conceptionis cultui dignitatem, amplitudinem, ac praestantiam, sive altaribus aut sacris aris, sumptibusque insignibus dicatis templis, sive religiosis fidelium congregationibus, et confraternitatibus, sive denique in solemnitatibus quamplurimis, ecclesiasticisque concionibus possunt offerre, adeoque, ni fallor, ipsae Duragensis dioecesis tenuitati merito praestant. Pro facultatibus unaquaeque dedit, atque humilis haec Durangensis nec minima aut ultima reputanda.

Permulta itaque, ac varia pietatis monumenta, fundationes, annuique reditus, solemnia etiam, aut constanti periodo instituta, aut temporis eventu succedentia, atque devotae consuetudinis hinc inde praxis, quae in amplissimo dioecesis territorio amantes filii in purissime conceptae Matris honorem, et cultum statuerint, vel plus minusve, nec facile recensenda. Nec desunt quidem Durangensis ditionis populi, longo ab eadem intervallo dissiti, ac remoti, qui, ubi fas esset, in his quae ad B. Virginis immaculatae cultum attinent cum civitate eorum Capite sanctissima aemulatione contenderent. In hac itaque Cathedrali ecclesia, quae ab erectionis suae exordio Augustissimam Dei Matrem in ipsomet purissimae Conceptionis mysterio inclytam sibi, ac singularem agnoverit Patronam, semperque iam

inde tanto patrocinio sese iactari licuerit, hic, inquam, Beatissime Pater, ampliora simul ac perfectiora, uti par erat, erga purissimam Virginem amoris, ac religionis signa explicantur. Verum nihil est, quo denuo cuncta illa referam, quae in adiuncto Cathedralis Capituli iudicio, et expositione copiose tradita sunt; illud attamen dicendum, in eoque facile incumbendum existimo, scilicet quod universa haec Durangensis dioecesis nulla exceptione, sive in Clero sive in communi fidelium ordine, nulla mihi hucusque limitatione nota, in spiritu, et corde immaculatam Virginis Conceptionem habet ac veneratur.

Cum vero iam de me ipso sermonem fieri oporteat, Beatissime Pater, ad maiorem quidem Dei omnipotentis gloriam, eiusque meritissimae Parentis laudem dictum esto, quod antiqua illa persuasio, qua singularis praeservativae gratiae ob Filii praevisa merita, Deiparae proculdubio, (pie credam) concessae, mens ita firmiter adhaeret fidei, ut Mariam Virginem in ipsomet primo primo conceptionis momento ab omni labe de Creatoris manu longe purissimam evasisse ad ultimum usque vitae extremum, ad usque sanguinis effusionem, Domino adiuvante, sustinere paratus sim, illa, inquam, persuasio aut fides, meique intimi cordis affectus ac desideria, ut huiusmodi Deiparae gratia Ecclesiae catholicae Oraculo, amplissimaque definitione fulciatur, in animo quidem aemulantur, atque, ut ita dicam, vires suas, disceptando, ostendere videntur. Ubi namque illud piae fidei obiectum Catholicorum dogmatum Catalogo apostolica auctoritate adscribatur, atque in universa Christi Ecclesia nulla quidem haesitationis formidine ob eiusdem Christi honorem ipsius Mater ab animationis exordio semper sancta, et intemerata, semper immaculata, et innocens maxima fiducia exaltetur, nihil dubium, Beatissime Pater, quin Deus O. M. qui glorificantes se glorificat, fidelium omnium corda ineffabili gratia, et gaudio perfundat. Benedictus Dominus Deus, semperque laus eius in ore meo, quod tanto desiderio mihi humili servo suo iam diu vota illa facere dederit: plusquam etenim triginta abhinc annis, ecce coram Domino, quia non mentior, quotquot sabbata pluribus quam triginta anteactis annis

fuerunt hucusque elapsa, quotquequot devenerunt Mariae celebranda festa, tot sacra celebravi, tot sancta Missae obtuli sacrificia, ea praefixa intentione, eoque fine, ut immaculata eiusdem Deiparae Virginis Conceptio, solemni Ecclesiae decerneretur iudicio.

Quamvis vero ita sim ab antiquis institutus, amplissimoque illo, ac pene Divino honore abs dubio prosequi mereatur quae Digna Digni, quae unius una, quae pulchri pulchra, columba, et immaculata, quae Domini perfecta est, atque in divitiarum thesauris filias supergressa fuerit universas, mea quidem lingua meis haereret faucibus, Beatissime Pater, calamusque ipse de manu illico dilaberetur, ubi dissertantis et Oratoris partes mihi opus esset absolvere, atque sapientum commitatem (*sic*), et assensum meis trahere imperitis sermonibus oporteret; verum non ita quidem: ultra quod etenim insignium Praelatorum placita ad usque Pontificiae Maiestatis solium accedent innumera, eisdem nihilominus nullatenus indiget Sanctitas Tua. Beatissimus siquidem Pius IX. Pontifex Max. quidquid ad rem illam conferat, in semetipso complectitur, bibitque aquam de cisterna sua et fluenta putei sui. Ast ubi Sanctissimorum Praedecessorum suorum insequendo vestigia, huiusmodi controversiam dilucidatam penitus omnibusque numeris absolutam sibi exhiberi contenderit, illud iam antea paratum et constitutum cernimus in clarissimorum virorum sapientia, et eruditione, qui tali, tantoque ipsis concredito muneri omnino satisfaciant.

Illo itaque onere meis tenuissimis viribus impari prorsus immunis, quae mecum ipso saepe cogitavi summatim brevique oratione complecti aggredior, ut ardentissima, quibus pro immaculatae conceptionis Dei Genitricis, nostraeque tenerrimae Parentis coelorum atque Dominae gloria iam diu flagro desideria, magis, magisque confirmem, atque ea etiam quibus meum innitatur iudicium fundamenta pandantur. De innumeris igitur, Beatissime Pater, quae me in eum adduxere sententiam, aliqua, licet pauca nimis, commemorare patieris.

Atque dum mullis (sic) adhuc Ecclesiae catholicae sanctionibus in contrarium adstringimur: dum multiplicibus eisque insignibus eiusdem

veritatis magistrae omni saeculorum aevo, atque universo catholico Orbi exhibitis exemplis, vehementer excitemur, ut nihil nisi grande, nihil nisi magnificentissimum de singulari illa proferamus creatura, quam, ut divinis cumularet charismatibus, Omnipotens ipse Deus, cuius unius dictu universa condita sunt, fecit potentiam in brachio suo, largissimamque illam suam, qua aperta omnia implebuntur bonitate, munificentissime manum extendit: dum eiusdem Ecclesiae catholicae consuetudine et doctrina omnem praeeminentem honorem, omnem praerogativam excelsam, omne denique quodcumque donum perfectum, dummodo fidei consonum, Beatissimae Deiparae Virgini tribuendum edocemur, fasne erit unquam, Sanctissime Pater, de immaculata Virginis Mariae Conceptione aliter iudicare? in adversum ne fas esset devenire iudicium, duo inter illa extrema constituti, altissimum et impervium alterum, minime vero incommutabili veritati contrarium; tristissimum alterum valdeque deplorandum, Mariaeque ineffabili dignitati nullatenus consentaneum? Fas essetne Deiparae Virginis perpetuitatem in gratia non agnoscere, cum Ecclesia Sancta columna et firmamentum veritatis, nondum licet eam dogmaticam veluti veritatem tenendam, solemni decreverit iudicio, non possit quin amplissimis testimoniis ostendat, eamdem ipsam semper in animo habuisse ab omnibus eius filiis charissimam Virginem Matrem ab animationis suae incunabulis intemeratam et sanctam honorandam et praedicandam? Quis aut qualis namque sensus, et spiritus, quo Sixtus IV, Pius V, Paulus V, Gregorius XV, Leo X aliique quamplurimi sanctissimae recordationis Pontifices Maximi ad eum usque, qui modo universalem feliciter regit, gubernat, ac moderatur Ecclesiam, Litteras suas et Apostolicas Constitutiones mandare curaverint, in quibus, adstruenti Deiparae omnimodam puritatem sententiae, ita sese propitios et cultores ostenderent, ut doctrina illa hodie pene veluti divinitus inspirata, per omnes, quo late patet Catholicus orbis ambitus elucescat?

Altissimis enimvero et inscrutabilibus fuit aliquando in Consiliis, ut pia illa et sancta sententia non uti sol refulgens appareret in medio coeli, sed inter opinionum nubila fulgoris sui olim ita radios

absconderet, ut virorum vel etiam litteris et sanctitate insignium gravissimam subiret contradictionem. Opinionum verumtamen conflictu almae veritati semel aperta via, Sanctissimae Virginis incolumitati adversa sententia, pene oblivioni tradita ad usque interni fori tenebras, si aliquis fuerit ipsi locus, constitutionibus apostolicis, gradu quidem presso, tandem redacta est.

Verum ab his etiam arctissimis sane limitibus, nonne Conceptionis intemeratae Virginis amatorum plausibus iam temporis decursu penitus depulsa videtur? Atque illud ipsa Ecclesia Sancta non solum indirecte, antiquae et obsoletae contrariae sententiae angustissimis praestitutis mensuris, sed satius etiam atque abundantius, vel cumulatissimis gratiis Immaculatae Conceptionis cultoribus benigna quidem manu perfusis, vel mysterii publicum cultum foventibus elargitis concessionibus, Apostolicae etiam Sedis mandato roboratis, vel innumeris denique sacrarum Litterarum sententiis ipsius Ecclesiae auctoritate intemeratae Virgini honorificentissime applicatis, proculdubio praestitit atque fidelium animos ita comparavit, ut dum Vaticanum intonuerit oraculum, ab omnique labe purissimam Mariae Conceptionem solemni statuerit iudicio, omnes quidem ore uno unaque mente, qua par est animi demissione et reverentia, quod iam antea pie credimus, altero tantum, ac omnium firmissimo fidei motivo, velut catholicum dogma, tandem aliquando profitebimur.

Adlaborantes quidem indefessi sancti, et antiqui Ecclesiae Patres, quorum luculentissimis scriptis, perennibusque Beatae Virginis praeconiis piae fidei aperta via, quique magnae, et optatae diei, si tandem elucescat, auroram praevenerunt, quandoquidem eisdem in terris minime datum est, quam viventes speramus veritatis videre lucem, nobiscum coelorum ineffabili, et indeficienti gaudio collaetabuntur. O utinam ingenium tempusque esset, ut selecta aliqua de innumeris, quae in sanctorum Patrum scriptis in Mariae purissimae laudem reperiuntur testimonia truderem! Ast non est quod illa repetam, quae in recensa huius Cathedralis Capituli disquisitione conspicua electione, et methodo congesta sunt et ordinata. Sacra-

rum vero litterarum eloquia, nonnulla aperienda hic sunt, mearum que iuxta virium tenuitatem explananda.

Atque eidem mei ingenui tenuitati tribuendum existimo, ut incredibile mihi penitus videatur, mirarique dignum, quod peremnentis sapientiae viri inimicam Virginis sectarentur aliquando sententiam, atque ipsi gratiae Matri, per quam Lux mundi venit, et introivit in mundum, serio graviter, et ultro primaevam gratiam denegaverint. Ita quidem clare, ac distincte in sacrarum Scripturarum Litteris veluti expressam, earumque spiritu, et sensu comprobatam Mariae Matris purissimae originalem innocentiam iudico. Contagium, contaminatio, delictum, peccati mors, sub Daemone vel ictu oculi servitudo, ira Dei, cum de alma sanctitatis et iustitiae Matre, agatur? Absit, et quam longissime absit a nobis! Quid etenim deest nisi sacratissimum eius nomen quinto decimo capitis tertii Geneseos versiculo, ut de ipsa Maria Virgine prophetia illa directe dicta, eidemque expresse applicata conspiciatur? *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te et mulierem . . . . ipsa conteret caput tuum.* Verum quae aut qualis illa fortunatissima mulier, quae antiqui serpentis sustineat inimicitias, eius fortiter devincens vires, atque illius infensissimi draconis feliciter caput conterens, nisi inter omnes mulieres benedicta, et super choros Angelorum exaltata puella? indignane futurae, et dilectissimae suae Matris restrictione et limitatione locutus est Dominus, aut quae locutus est non implevit ac perfecit in tempore? Omnimoda enimvero supremi, et infallibilis sacrarum Scripturarum sensus iudicis Ecclesiae Sanctae auctoritate mihi opus esset, Beatissime Pater, ut in illa Genesis muliere felicissima excelsam et inclytam Virginem Deiparam ab ipso Angelo inter mulieres benedictam ultro non agnoscerem. Ast ubi illa ipsa fuerit tanta spiritus plenitudine illius prophetici sermonis praenuntiata mulier suamne cum serpente inimicitiam, praestansque bellum prostrata ac devicta inciperet? Quae draconis erat, iuxta Dei promissa, contritura caput, vel turpe inferorum mancipium ipsius incunabulis moesta planget, et eiulabit?

Quod vero honorificentissima illa sententia, quae prima inter Testamenti Veteris prophetias adnumeratur, in Dei Matris honorem proculdubio continet, in primordiis etiam Novi Testamenti ab angelo confirmatur, dum Virginem ipsam salutans ait: *Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus* Quamvis etenim nihil in allatis demirandi angelici sermonis, neque in subsequentibus verbis aliquid cuius sensus ad usque primam Beatae Virginis originem clare, expresse, et ineluctabiliter tendat, invenire fas esse, fatendum non diffitear; neque quid attamen in earum contextu aspicere licet eidem sensui reluctans, eademque quinimo ipsa et tam singularis, atque extraordinaria missionis natura, eadem perexcelsa et altissima Regis aeterni maiestas, decor ipse ac divinae maternitatis dignitas, quam Dei legatus, et minister coram Maria Virgine sistens ipsi futuram prae omnibus charissimis gratiae filiabus denuntiat, merito sibi reposcunt. Cuncta illa namque a nobis exigere videntur, ut omni quacumque deposita formidine, omnibusque indecoris limitationibus depulsis, nobili, ac liberali animo procedamus, dum illam, cuius ab Angelo Maria praenuntiatur plena, gratiam definire contendimus.

Atque Ecclesiae mariani scriptores, universa sibi ipsamet plaudente Ecclesia in purissimis Mariae Virginis labiis reponunt illa Isaiae: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis . . . . quasi sponsam ornatam monilibus suis*, et ea etiam Ps. XL: *Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum*, atque insuper illa, quae in eodem psalmo praecedunt, scilicet: *In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me*. Iure attamen ac merito super Dei veram et Augustissimam Matrem gauderet inimicus, ubi ad usque primum conceptionis eius tempusculum non sese illa extenderet gratiae plenitudo, de qua nuntius Angelus congratulatur inquiens « Ave gratia plena. »

Quanta praeterea largitate, et munificentia, quanta diligentia, et industria sapientissimus olim Salomon omnes praeparavit impensas, omnesque, in sacris uni Deo vero aedibus conficiendis, regulas sta-

tuit adhibendas, legesque, et constitutiones servandas, quippe qui non hominibus domum aedificare, sed ei quem coeli capere non poterant, templum erigere satagebat: quanta vero antea, cum in deserto tabernaculum testamenti struendum erat, sedulitate, et studio, quanta cura, et ordine, quanta rerum omnium copia, in perficiendo supellectili, in Arca praesertim foederis elaboranda, cuncta iussit, et indidit Deus, ut undequaque rerum omnium pretiositas, atque materiae incorruptibilitas undequaque vigeret, omnibus sane, vel mediocriter litteris sacris versatis, manifestum est. Quid vero illud Salomonicum templum, quid illud foederis tabernaculum, quid illa denique licet venerabilis Arca, ubi cum Maria ab eisdem significata symbolis conferantur? illuc ne nihil quod non purum, et sanctum, nihil quod non pretiosum valde, et incorruptibile, huc vero corruptio, et peccatum, originalis macies, ac deformitas, Deique denique ira, atque odium? Suffocetur hic spiritus, Bme Pater, antequam per Virginis dedecus in haec Numinis erumpat opprobria! *Gloria, siquidem filiorum Patres eorum.*

Ad ea vero iam tandem deveniamus, quae tenerrima Parens, piissima Domina, Regina et advocata nostra, Dei vivi templum, Spiritus Sancti sacrarium de semetipsa loquuta fuerit, quaeque ad omnimodam gratiam, ad immaculatam immo ipsius Conceptionem referri videntur. Et statim quidem suapte quasi natura veniunt recolenda, quae ab inclyta Sanctissimi Redemptoris Ordinis fundatrice ipsius Mariae Virginis accepimus dicta, nempe: *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali*; atque alibi: *Aurea hora fuit conceptio mea, nam tunc incepit principium salutis hominum... Deus namque singulare quoddam, et a saeculo absconditum facere voluit in opere suo.* Quamvis itaque testimonia illa grandia nimis, et attentione dignissima merito sint reputanda utpote quae in B. Birgittae, eximiae sanctitatis Virginis revelationibus magna semper aestimatione habitis atque a sanctissimi Benedicti XIV auctoritate roboratis innitantur, minime vero diffitendum est nulla alia testimonia illa, nisi privatae revelationis firmitate pollere. Alterius idcirco generis pro rei ipsius magnitudine, ac praestantia argumenta inquiramus.

Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius. En iuxta evangelicam lectionem sancta simul et pulcherrima verba ab humillima inter humiliores creatura, et quidem eo tempore, quo Unigenitus Dei Filius, Gloria et Splendor Patris Virginali suo gestabatur claustro, atque Spiritus Sancti gratia idcirco ipsa erat undequaque circumfusa prolata; ex quibus praecipuum, mihique fortissimum pro Conceptione Immaculata desumitur argumentum: *Beatam*, inquit, *me dicent omnes generationes.* O si datum mihi esset aliquando, illud omne, quod in his duntaxat aureis, venerandisque verbis contentum reperio, satius exprimere, atque, ea qua par erat dignitate, evolvere! Ast cum virium mearum exiguitati tantam navare operam minime liceat, quae secum ipsis coniunctim supradicta omnia Deiparae verba deferunt, tantisper contemplanda, atque, ea qua polleo intelligentia, aperienda sunt.

Ergone, mihimetipsi alloquor, ergone Mater veraque Genitrix Filii Dei Altissimi, qui caro ibi in castissimo Matris utero factus, ergone, inquam, creatura illa perfectissima, quae filia aeque atque Dei Mater et Sponsa, omnia simul, Augustissimae Trinitatis Templum augustissimum, donorum et gratiarum insignis Epitome, in Domino gloriatur, et exultat, quod ei magna fecerit qui potens est, et sanctum nomen eius? In iustitia ergo et originali gratia concepta fuit. Sed, quomodo eidem ita secumipsa iactari licet quod Omnipotens *magna* fecerit, ubi Omnipotens ipse, cui, ut omnia fiant, satis est si velit, eamdem originis sorde foedatam relinqueret? Quae, aut qualia in tam sordida atque coinquinata origine firmaret ipse Deus dona et charismata, quae ab eadem divinitus illustrata Virgine, veluti *magna* virtute facta conclamantur ita, ut ad Dei ipsius Omnipotentiam referenda sint et sanctitatem? Quae, et qualia in ore Virginis veluti *magna* personant dum sese, quod Dei sui Creatoris, et Magnificatoris semper ipsa fuisset, iactari non liceat? Quae, et qualia tam grandia nimis, quibus non ipsa Dei Genitrix Virgo ultro ac libentissime renuntiasset, ut originalem tandem aliquando gratiam obtineret? Vel etiam excelsum Dei Maternitatis fastigium,

si evangelicam attendamus lectionem, Purissima Virgo sponte reiiceret, ubi cum alma ipsius virginali integritate dignitatem illam modum non habere dignosceret. Illo autem quamvis aestimatione dignissimo virginitatis dono absque peccato exui quemque posse manifestum est. Quid vero, si non tam divina Maternitas, verum etiam et puritas virginalis cum originali iustitia in animo Virginis dimicaret? Illis enim vero reiectis, hanc sustinuisse gratiam existimandum est. Sciebat igitur Magnificator Deus, Omnipotens Filius optime noverat, quanti honoris et aestimationis apud praedilectam ipsius et augustissimam Matrem originalis ab omni labe immunitas futura: atque ubi *magna* idcirco in altissimis conciliis eidem elargiri decreverat, a primaeva et originali gratia incipiendum conspiciebat.

Inde igitur ultro atque strenue iudicandum existimo, Beatissime Pater, quod felicissima illa Creatura, quae Gabrielis ab ore audire meruit, *invenisti gratiam apud Dominum*, quae a Deo opifice ita diligitur, ut ad operis gratiae suae dignissimam exaltationem vel firmiores naturae leges contemptae et interruptae aspiciantur: quod illa, inquam, propter charismatum gratiaeque singularitatem iure ante omnem creaturam primogenita nec a Creatoris manu accepta munera appellaret sibi *magna* nisi a iustitia originali inciperent, talique solido ac firmissimo sisterent fundamento.

Veritati ergo praebeamus testimonium, ita mecum ipso cogito Beatissime Pater, ut illud meum iudicium et antiqua sententia novo adhuc robore firmetur, quae aut qualia Domino, ac supremo rerum omnium Dominatori obstare potuissent repagula, ut Mariam Matrem a peccati sorde non ultro liberaret? quae aut qualia essent sempiternae iustitiae argumenta, ut veluti gratiae charismata ad extremum resecando, Omnipotens Deus supernaturalibus donis cumulandam Creaturam, prima et originali iustitia orbatam relinqueret? Necessumne omnimoda, et absoluta necessitate existimabimus, quod, nec ipsa Deipara exempta, omnes omnino homines illa gentium Apostoli funestissima sententia: *Eramus filii irae, sicut et coeteri*, complecteretur? Tantine Redemptoris Christi merita nec tenerrimae, et charissimae Parenti Virgini illius formidandae legis privilegium

obtineret? infandone semel decreto sancito, ab universali hominum ruina quemque eripi, ac salvum fieri non posse, existimabimus?

A sacrarum quidem Scripturarum paginis huiusmodi quaestionis venit reddenda solutio. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Olim patientissimus, Deum alloquens, aiebat Iobus? « Nonne tu qui solus es? » Ergo divinis aperte edocemur litteris, Omnipotentem in sua habere potestate, quemquam a peccati originalis sorde liberare. De illa namque excelsa potestate, qua homo, non quidem ab accepta actualis peccati macula, sed ab ipsa infecti seminis contagione eriperetur, Iobum agere nemo ibit inficias, cum potestas illa, si litteram, et ipsius spiritum contemplemur, supereminens sit, et extraordinaria, in suoque ordine suprema potestas, atque natura sua demum, ut ita dicam, controvertibilis.

Ad huiusmodi sermonis sensum accedit praeterea septuaginta interpretum lectio. *Nemo*, inquit, *mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram*; infans siquidem, cuius unius diei vita, ab actuali peccati sorde, et inquinamento incapax, semper, et ubique iudicandus est.

Verumtamen, tam longe abest, forsitan respondet aliquis, tam longe abest, quod supradictus Iobi textus Immaculatam Mariae Virginis Conceptionem confirmet; ut eumdem quinimmo, ad contrariam sententiam firmandam, proferant aliquando adversarii, in eiusdem nimirum sacri sermonis universalitatis forma *Nemo mundus a sorde* abs dubio rati: eodem sane rationis specimine, quo illa Pauli: Omnes quidem *peccaverunt, et egent gloria Dei* vel etiam *In quo omnes peccaverunt* aliaque ipsius Apostoli similia, antequam veritas elusceret, in contrariam olim protulerant sententiam.

Ut vero laudata haec rationum momenta penitus evanescant, illud tantummodo, uti credo, afferendum est, nempe: universales illas propositiones, quae quidem verae sunt, atque omnimoda firmitate firmissimae, ut pote divina auctoritate fultae, singulari alicui, velut Beatae Virginis, privilegio non obsistere. Si contradicentes namque, et adversantes sibi propositiones veras simul esse non posse, ratio demonstrat, cum generali aliquo decreto singularem

eiusdem legis exemptionem gratuitam aliquando stare, cum illoque idoneo (?) hanc minime secum ferre contradictionem, altius, et superius lumen supernaturale confirmat. Haec quippe *Non pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est* divinae etiam revelationis sigillo obsignata atque providentiali aliqua ad propositum relationis, propter exceptae ab lege etiam mortifera illius mulieris adiuncta fortasse reperimus: illa siquidem laudata mulier non alia est, quam clarissima, et fortissima Esther regina, Beatissimae Dei Genitricis Mariae, terrarum ac coelorum Reginae insigne symbolum. Nulla itaque vera et realis oppositio habetur illam inter mortis legem, qua omnes adstringimur, atque hoc singulare et penitus gratuitum privilegium, quo absque labe peccati omnium creaturarum felicissima concepta fuit. Alioquin Tridentinum generale concilium semel contradictione, uti par erat, aperta, dum circa peccatum originale dogmatica conderet decreta, B. Virginem in eisdem complectendi animum non habere, minime indidisset ac praenotasset.

Iam vero munera omnia quibus venerabiles Tuae litterae referuntur, Beatissime Pater, hucusque explevi. Postea quam etenim antea typis admandatas universae Dioecesi publicas effeci, demandatasque inibi preces indixi, in praesenti humili expositione quae, qualiaque fuerint semper iudicia, quique omnium ordinum circa immaculatam B. Mariae Virginis Conceptionem sensus exposui: meaque flagrantissima cordis desideria, meamque mentem ingenue, ac fideliter aperui: quae meam sententiam fundamina firment, Ecclesiae scilicet Catholicae propensiones, et consuetudinem, atque ipsius veluti auctoritatem, splendentia Sanctorum Patrum placita, quibus sensum refero, sacratissima denique divinarum Scripturarum eloquia summatim brevique oratione complevi. Nihil aliud itaque superest, nisi ut orem Teque obsecrem, Beatissime Pater, qui singulari Dei Providentia Petri Successor ades, totiusque Ecclesiae gubernacula nactus, ut ad maiorem Dei Omnipotentis gloriam, eiusque Purissimae Genitricis laudem, et honorem, ad communique fidelium omnium bonum, et utilitatem, felicem hunc diem, quo apostolica definitione immaculatae Conceptionis mysterium signatur, quampri-

mum elucescere facias. Atque ut Durangensis Episcopi suffragium, supremo Tuo, et irreformabili submissum iudicio, aliquid vel exigui imponat ponderis *Sanctissimam Deiparam Mariam Virginem in iustitia et gratia absque originalis peccati macula fuisse conceptam, iudico, affirmo, et pronuntio.*

Sacros interea Tuos demisse deosculatur pedes, Apostolicamque Tuam expectat benedictionem

Beatissime Pater

Durangi in Republica Mexicana pridie Iduum Maii anni D. 1850.

Humillimus, ac Deditissimus Filius
IOSEPH ANTONIUS *Episcopus Durangensis.*

CCCLXXI.

DEL VESCOVO

DI IVIZA *IN ISPAGNA*

BEATISSIME PATER

Acceptis humillima ac obsequentissima qua par est reverentia Litteris quas de Immaculatae Virginis Mariae Conceptionis mysterio de illiusque dogmatica definitione tractantes universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis totius Catholici Orbis Caietae die secunda Februarii anni proxime elapsi V. B. dedit, earum responsa quamprimum ad Vestrum in hoc Regno Apostolicum Nuncium per Metropolitanum Tarraconensem misimus. Sed cum ad illius manus, nescimus qua de causa ea non pervenerint, eidem repetere operae pretium duximus.

Et ante omnia congratulamur in Domino eo quod ex praedictis V. B. Litteris proximam iam videamus diem in qua singulare de Immaculata Virginis Mariae Conceptione privilegium fidei dogma tandem aliquando ab Apostolica Sede solemni iudicio decernatur.

Hanc gratissimam spem excitat vehementer, fortiterque confirmat in Nobis litterarum Vestrarum textus in quibus de ardentissimo in toto Orbe Catholico super hoc desiderio per quamplurimas tum ad V. B. dignissimum Praedecessorem Gregorium XVI. tum ad V. B. postulationes, et a praeclarissimis Antistitibus, Canonicorum collegiis, Religiosisque Familiis missas manifestato honorifica et aestimabilis fit commemoratio. Excitant etiam hanc eamdem spem tot virorum ingenio, virtute, pietate, doctrina praestantium scripta, quibus et haec pientissima sententia illustratur eiusdemque in dogma fidei erectionis convenientia et opportunitas convincitur, sed et praesertim singularis Vestra vel a teneris annis erga Virginem Mariam pietas et devotio et necessitas eiusdem potentissimum auxilium in praesentibus diebus vere malis implorandi et suo apud Deum patrocinio turbulentissimas malorum procellas quibus ubique iactatur Ecclesia compescere velit et dissipare quod libentius nobis concedet, si hic tam desideratus ac debitus honor a V. B. decernatur, et in posterum Immaculata Virginis Mariae Conceptio ab omnibus fidelibus non pie tantum sed fide supernaturali et infallibili credatur.

Verum enim vero in re tanti momenti sufferenda patienter est aliqua dilatio et laudanda V. B. prudentia cum ad maiorem circa dogmaticam definitionem securitatem perillustrium Decessorum Vestrorum vestigiis inhaerens censuit: Primum, consulere aliquos Ecclesiasticos viros pietate spectatos ac Theologicis disciplinis apprime excultos, qui cum nonnullis venerabilibus S. R. E. Cardinalibus selectis gravissimum hoc argumentum omni ex parte accuratissime examinandum curarent et subinde eorum sententiam ad V. B. diligentissime deferrent. Secundum. Nobis etiam atque etiam omnibus inculcat ut quisque pro suo arbitrio in propria Dioecesi publicas preces indicat et peragendas curet, ut clementissimus luminum Pater superna Divini sui Spiritus luce V. B. perfundere velit ad illud

in re consilium suscipiendum, tum quod ad maiorem sancti sui nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem pertineat. Tertium. Optat et quidem vehementer V. B. ut significare velimus qua devotione noster Clerus populusque fidelis erga immaculatam Virginis Mariae Conceptionem sit animatus et quo desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur, atque in primis noscere vel maxime cupit quid nos ipsimet de eadem re sentiamus, quidquid exoptemus.

Quoad primum prudentissima dispositio de congregandis consulendisque prius Theologis quibusdam sapientia insignibus, et venerabilibus Cardinalibus ut suam super hoc gravissimo argumento diligentissime discusso ac ex omni parte perpenso sententiam ad V. B. deferant, nos de adducendis pro praedicto Beatae Mariae Virginis privilegio probando fundamentis excusat, ideoque in hoc non immoramur. Quoad secundum statim ac Vestras accepimus Litteras preces publicas eo fine, quem V. B. designabat, libentissime indiximus, et in tota nostra dioecesi a Clero et populo cum magna solemnitate, summa devotione et fervore peractae fuerunt.

Quod vero ad nostri Cleri populique fidelis devotionem erga immaculatam Beatae Virginis Conceptionem et utriusque desiderium, ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur attinet, fidem facimus, et illam esse ab omni retro antiquitate fervidissimam, et hoc in omnibus Cleri nostri membris huiusce dioecesis fidelibus flagrantissimum. Nec mirum B. P. nam inter Hispanos haec circa praedictum Beatae Mariae Virginis mysterium, sub cuius invocatione eam Patronam habemus, devotio est veluti innata, ut in litteris supplicibus pro eiusdem patronatus approbatione ad Clementem XIII Rex noster Carolus III asserebat et ab huius Regni catholici theologis sapientissimis et Episcopis et Regibus haec fidei definitio nedum exoptata, sed in ipso Concilio Tridentino, et apud Sedem Apostolicam scriptis doctissimis, et precibus enixis tribus ab hinc saeculis fuit promota ac postulata.

Nos demum, quoad nostram propriam spectat sententiam et voluntatem quam scire V. B. exoptat verum esse Sanctissimam Domini

nostri Iesu Christi Matrem a peccati originalis labe fuisse in ipsa eius Conceptione praeservatam et rationibus et Sanctorum Patrum ac theologorum auctoritate et universalis totius Orbis Catholici circa hoc mysterium publico ac solemni cultu in dies crescente, quem Sedes Apostolica nedum probavit, sed et innumeris spiritualibus gratiarum concessionibus promovit et fulsit, ac coelum ipsum etiam innumeris miraculis confirmavit, fundati ex intima convictione affirmamus, et ut a V. B. haec veritas in fidei dogma erigatur ardenter desideramus.

Hoc igitur solemne Sedis Apostolicae iudicium censemus urgentissimum, ut in praesentibus quibus affligitur Ecclesia calamitatibus ad Beatam Mariam Virginem hac nova firmiorique fidei nostrae confessione honorificatam maiori cum fiducia potentissimum suum patrocinium exposcentes confugiamus; immo ut et Vestrae in Deum et in ipsam gratitudinis ob felicem in Romam regressum testimonium a V. B. ante omnem orbem Catholicum praebeatur. Haec est nostra sententia, haec sunt nostra vota; utinam et illa a V. B. probetur et ista a D. O. M. exaudiantur. Quem et supplex intercedente ipsamet Beatissima et Immaculata Virgine Maria etiam pro Vestra vita et salute et libero utriusque supremae potestatis spiritualis et temporalis exercitio, et pro universalis Ecclesiae pace et tranquillitate exorat humillimus, et ad pedes Vestros provolutus servus Vester

Beatissime Pater

Datum Ebussi die 16 Maii anni 1850.

BASILIUS ANTONIUS *Episcopus Ebusi*

CCCLXXII.

DEL VESCOVO

DI TRICOMIA *IN PARTIBUS*

VIC. AP. DEL TONCHINO CENTRALE.

BEATISSIME PATER

Vestrae Beatitudinis affectuosissimas Litteras sub 12 novembris anni proxime elapsi pro me ac meo Coadiutore datas, debito cum veneratione accepimus ac verba, quibus ad susceptum pastorale onus cum alacritate portandum nos hortatur, in ima cordis reposuimus, tanto magis nobis caniora, quanto novimus inter acerbissimas tribulationes fuisse exaratas. Faxit D. O. M. ut de isto dolio tam ferventis olei vegetion V. B. velut alter Ioannes exiens ad regendam S. Ecclesiam suam etiam usque ad longaevam illius Apostoli aetatem in pace servetur.

Litteras etiam Encyclicas die 2 februarii eiusdem anni a V. B. Antistitibus orbis catholici directas, ad manus usque meas iam ab aliquot mensibus pervenere, sed ob defectum cursorum impossibile mihi fuit citius respondere. Quaerit V. B. qua devotione noster Clerus populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus et quo desiderio flagret, ut huiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur?

Respondeo: Devotio Cleri populique Annamitici est valde simplex et uniformis, prorsusque ignorant illam opinionum discordantiam ac rixosas disputationes in Europa notissimas, unde nihil de huiusmodi Encyclica illis patefeci, nec illorum preces pro illius quaestionis recta definitione expedit postulare, nam ob suam ignorantiam ac intellectus imbecillitatem plus scandali quam aedificationis acci-

perent. Fides enim horum neophytorum, licet satis simplex ac sincera, in iis quae sunt erga Deum et B. Virginem videatur; erga mores tamen et in iis quae adversus suas depravatas consuetudines docet, non item; et perfacile tentantur contra auctoritatem Ecclesiae in iis, quae docet de monogamia, indissolubilitate matrimonii, usuris et aliquibus superstitiosis. Ac non solum in praxi a multis illa summa auctoritas contemnitur, sed quod deterius est a nonnullis etiam blasphematur. Hi profecto si scirent quod B. V. sciscitatur quid de B. V. Conceptione Annamitae sentiant illorumque preces pro definitione causae desiderare, multo magis auctoritatem V. B. parvipenderent.

Quoad Europeos Missionarios vero tamquam magis in Fide instructos ac solidatos bene sciunt pro definitione exquirendam prius esse veritatem implorando divinum ac speciale auxilium; et non dubito quod et praestabunt pro sua erga Immaculatam Virginis Conceptionem devotione.

Iam vero quoad meam peculiarem sententiam, quam V. B. dignatur exquirere, illam omni cum sinceritate, prout coram Domino ac in conscientia mea extat, patefaciam. Et quidem ab incunabulis in pia pro Immaculata Virginis Conceptione enutritus sententia, licet multa in Theologis adversae sententiae in adulta postmodum aetate legissem, numquam tanti ponderis mihi visa sunt, ut sententiam mutarem. Sed an expediat piam illam opinionem inter articulos fidei definiendo collocare, non audeo affirmare nec negare; quia multa requisita a Theologis ad hoc tam grande opus enumerantur: ast nunc vix libris ad sacrum ministerium necessariis munitus, impossibile mihi foret hanc gravissimam quaestionem investigare; etiam si vires meas non superexcederet. Sed hoc pro certo V. B. sciat quod firmissime credam et fideliter praedicabo quidquid V. B. circa hanc quaestionem definierit; nam ut summum Christi Vicarium ac Successorem S. Petri loquendo ex cathedra infallibilem V. B. credo.

Et haec sunt, B. P., quae ad quaestionem Vestrae venerandae Encyclicae respondere valeo, ipsam Immaculatam Virginem ex corde precando ut dignetur in tam gravi negotio V. B. assistere nec non

in omnibus periculis huius tam procellosae tempestatis misericorditer opitulari.

Ad pedes V. S. provolutus postulat tam pro se quam pro commisso sibi grege Apostolicam benedictionem

Beatissime Pater,

Bui Chu in Tunkino centrali, 28 maii 1850.

Humillimus atque Obsequentissimus Filius
Fr. DOMINICUS *Ep.* Tricomien. Ord. Praed.
Vic. Ap. Tunkini Centralis.

CCCLXXIII.

DEL VESCOVO

DI ARATA *IN PARTIBUS*

VIC. AP. DELLE ISOLE SANDWICH

BEATISSIME PATER

Sero quidem sed summo cum gaudio hodie accepi, legi et reverenter osculatus sum Litteras Sanctitatis Vestrae datas Caietae (utinam Romae!) die 2.ª Februarii 1849.

Ardentissimo Orbis catholici desiderio ut ab Apostolica Sede solemni iudicio decernatur Sanctissimam Dei Genitricem absque labe originali fuisse conceptam toto corde participamus, nam et nos quoque, Sanctissime Pater, credimus et confitemur totam pulchram esse hanc Virginem gloriosissimam non in parte sed in toto, et illam ab omni macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive origi-

nalis omni tempore fuisse immunem; quod Scriptura sacra, quod Sancti Patres, quod Bullae Summorum Pontificum, quod Concilia, quod sensus communis fidelium, quod etiam revelationes satis superque probant, ut videre est apud innumeros auctores theologos et praesertim apud Sanctum Alphonsum de Ligorio *(lib. 7. n. 244 et seq.)* qui merito dicit praesentem sententiam esse hodie luce meridiana clariorem.

Omnes sacerdotes et caeteri clerici qui in hac parte vineae Domini mecum laborant, circa illud punctum sunt unanimes, et idem dicere possum de neophytis nostris quibus, licet in fide adhuc rudibus, haec eadem sententia semel enunciata credibilis facta est nimis. Archisodalitati in honorem Sanctissimi et Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis pro conversione peccatorum in variis huius Archipelagi insulis institutae plura millia nomen dederunt. Haec brevis oratio: *Maria sine labe concepta, ora pro nobis ad te recurrentibus*, ubique privatim et publice pluries in die ab illis recitatur. Medalia Immaculatae Conceptionis quae miraculosa dicitur secum ferunt et ferre gloriantur.

Iuxta intentionem Sanctitatis Vestrae publicas preces indicendas ac peragendas quamprimum curabo; nam desideriis Vestris omni cura et studio, in hoc sicut et in omnibus, obsequi volo.

Sanctitatis Vestrae

Honolulu die 6 Iunii 1850.

Humillimus Servus et Filius
LUDOVICUS *Ep. Arath. Vic. Ap. Ins. Sandwich.*

CCCLXXIV.

DEL VESCOVO

DI PATARA *IN PARTIBUS*

All' Emo Sig. Card. Fransoni Prefetto della S. C. di Propaganda Fide.

Eminentiss. e Reverendiss. Principe

Ricevetti la Lettera del Santo Padre dei 2 Febbraio 1849 relativa al dolcissimo Mistero dell' Immacolata Concezione della Gran Madre di Dio. Trovandomi distante da Hun-Kou, dove è la posta, quasi un mese di viaggio, e domani mattina dovendo spedire a quella Città un Cursore, il quale non ritornerà qua se non dopo 2, o 3 altri mesi, io non posso trattare l'argomento dell' Immacolata Concezione, conforme vorrei. Perciò in queste mie angustie umilmente supplico l'Eminenza vostra Reverendissima a degnarsi di far porgere a mio nome una supplica al Santo Padre, esprimente la mia persuasione, che Maria Santissima sia realmente stata concetta senza colpa originale; ed il mio desiderio, che questa verità, fondata sulla Divina Scrittura, sulla Tradizione, e sulla ormai universale credenza della Chiesa (specialmente *Romana*, che è infallibile), sia quanto prima definita di fede alla maggior gloria di Dio, onore della Beatissima Vergine, ed utilità della Chiesa Militante. Circa il Clero, e Cristiani di questo Vicariato ne scriverà, penso, Monsig. Rizzolati. Per quanto ne so io, questi Padri credono, e desiderano, in questa parte, come io, benchè non ne li possa interrogare nella gran distanza, in cui qui ci troviamo separati; i Cristiani poi recitano da più anni in qua, un'orazione cotidiana a Maria Santissima sotto il titolo *d'Immacolata*, o *concetta senza peccato originale*; ma eglino sono in queste cose ma-

terialissimi, e la loro credenza, le loro pratiche spirituali, e divozioni hanno, pare a me, lo stesso peso, cui hanno le divozioni ecc. de' più teneri fanciulli Cattolici Europei, nè più, nè meno.

Questo è quanto posso per ora dire in risposta all' accennata lettera del Santo Padre. Se ciò non bastasse, prego l'Eminenza Vostra Reverendissima a degnarsi di dirmelo; chè in allora cercherò di provare il Mistero dell' Immacolata Concezione con argomenti Teologici, per quanto potrò fare in queste parti, dove manchiamo di tutto.

Ricevetti con riconoscenza il Rescritto della S. C. de' Riti, e la savia istruzione di codesta S. Congregazione circa il caso matrimoniale da me proposto l' anno scorso.

Mi dimenticava di dire, che ordinai pubbliche preci pel fine inteso dal Papa. Ai sacerdoti scrissi chiaro; ma ai Cristiani temetti di significare, che il Papa vuole definire di Fede il suddetto Mistero, poichè non pochi potrebbero facilmente dubitare di altri punti di Religione, che sono già di Fede Divina. Mi limitai perciò a dire agli stessi Cristiani, che dicano le preci NN, affinchè lo Spirito S. e Maria Santissima diano lume al Papa per *definire un grandissimo affare della Chiesa.*

Ricevo pure alcune buone notizie circa gli affari d' Italia, di Roma, e del Santo Padre, e ben di cuore ne ringrazio il Signore.

Sono con il più profondo rispetto

Di Vostra Eminenza Reverendissima

Hu-guang. 11 Giugno 1850.

Umo, Osseqmo., ed Obbmo Servo
Fr. GIUSEPPE NOVELLA M. R. *Vescovo di Patara*

CCCLXXV.

DEL PATRIARCA

DI BABILONIA

SOPRA LA NAZIONE CALDEA

All' Emo Sig. Card. Fransoni Prefetto della S. C. di Propaganda Fide.

(*Traduzione letterale*)

Eminenza Reverendissima

Con sommo giubilo ed estrema allegrezza abbiamo ricevuto e letto la circolare del Santissimo nostro Sommo Pontefice Papa Pio IX. del 2 Febraro 1849 in cui Sua Santità, primo domanda noi e tutti gli altri Venerabili nostri fratelli Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi di tutta la Cattolica Chiesa di dispiegare chiaramente e dichiarare apertamente a Sua Beatitudine come e qual è il nostro parere, la nostra volontà, il nostro culto e la nostra venerazione, e di quale desiderio arde il nostro cuore intorno al Concepimento della Madre di Dio la Beatissima e purissima Vergin Maria nostra Signora nel seno di sua madre. 2.° Chiede S. S. che ciascheduno di noi ordini alle pubbliche preci, affinchè il misericordiosissimo Dio illumini colla luce del suo Divino Spirito e muova Sua Beatitudine a prendere in un affare di somma importanza quella determinazione che sarà più convenevole alla gloria del suo S. Nome e all'onore della purissima Vergine e vantaggio della S. Chiesa. 3.° Conosciuta da noi la mente di S. S. e il desiderio del suo cuore, immantinente e senza dare indugio abbiamo spedito delle lettere ai Venerabili nostri fratelli Metro-

politani ed a tutti i fedeli che sono nel nostro Patriarcato e nella nostra nazione Caldea e significato ad essi il disegno di Sua Beatitudine, ed ordinato quelle preci ed orazioni adattate al fine proposto, le quali sono state da tutti universalmente ed in tempo opportuno recitate ed adempiute, siccome ci vien assicurato dalle lettere che abbiamo ricevute da tutti. 4.° In quanto al nostro sentimento ed a quello di tutti i Metropolitani nostri fratelli e de' Monaci e Sacerdoti e di tutti quanti i fedeli della nostra nazione Caldea intorno al Concepimento della Beatissima Vergine Maria nel seno di sua Madre S. Anna, diciamo, questo non differisce punto del parere e sentimento di tutti li Cattolici di costì, e di qualunque luogo che ricevono ed affermano costantemente essere il Concepimento della purissima Vergine nel seno di sua Madre immune da ogni macchia di originale peccato, e dalla colpa del genere umano. Questa è la credenza di noi tutti, ed a questo parere costantemente aderiamo: primieramente perchè non è affatto convenevole, nè è per ogni conto da quel Dio Onnipotente, mondissimo ed amatore di mondi di scegliere madre per l'unico suo Figliuolo una donna che in un tempo fu macchiata di peccato e si trovò sotto il dominio del demonio, mentre niuna cosa gli levava la cagione di custodirla e difenderla da simil colpa. Dunque non può essere altrimenti che non l'abbia custodita e conservata da questa macchia. Secondariamente perchè non abbiamo mai sentito nè letto nei libri che sono presso di noi che alcuno dei primi Padri e Dottori, ovvero di quei presenti abbia impugnata questa opinione; ma al contrario abbiam sentito e sentiamo, ed abbiamo trovato e troviamo che tutti quanti gl'individui della nostra nazione, superiori e sudditi, dotti ed ignoranti concorrono unanimemente e senza eccezione in questa opinione. Che se gli antichi non ragionarono su questo punto in particolare ciò fu perchè non ebbero occasione, nè tale questione fu mossa ai loro tempi; ciò non ostante dai loro inni ed elogi della illibata Vergine si raccoglie chiaramente, siccome può osservare ogni intendente ed amante della verità, avere essi opinato al pari di noi intorno al Concepimento immacolato della Vergine. Alcuni poi in diversi luoghi dei loro

scritti confermano questa sentenza con parole bene espresse. Imperocchè disse S. Efrem Siro, che Maria è immune di macchia ed esente di contaminazione e scevra da ogni colpa di peccato. Ed in modo assai più chiaro ne parla Giorgio Uard uno dei dottori Caldei, e in più luoghi dei suoi canti ed inni scritti in onore della Vergine; poichè dice egli: Chi può mai concepire colla mente o narrare colla bocca e ragionare di quella illibata ed immacolata e di quella Santa e Santificata che fu santificata fin dal suo concepimento e dal ventre destinata ad essere arca, albergo, tempio, palagio, e sede del vivente Signore dei secoli? E dopo poco disse: quel frutto che Eva non vide e lo trovò in mezzo di essa custodito e sigillato? Disse ancora in questo medesimo canto: non la vide l'avoltoio, nè vi ficcò i suoi artigli, nè lo spirito volante s'imbattè in essa. Parimente in un canto sul Concepimento della Vergine disse: Portò Anna nel suo seno la Santa e santificata; ed in un altro la rassomiglia al vello di Gedeone dicendo: Maria non fu inumidita dal peccato; essa sola fu salva dall'universal diluvio del peccato, restando arida a guisa del vello di Gedeone. Molti altri argomenti di simil natura esistono presso di noi e presso gl'infedeli che sono in queste nostre contrade, che tralasciamo per brevità. Ne alleghiamo una sola testimonianza del Dottor Musulmano Nuai che disse: Non v'è creatura fra gli uomini che non sia punta dal diavolo fuorchè Maria ed il suo Figlio. Moltissime altre autorità trovansi presso i Padri e Dottori occidentali e sono chiarissime e dimostrano ad evidenza e confermano a sufficienza questa questione, essendo derivate dal fonte delle divine Scritture, e ad esse come ad un fermo ed immobile fondamento sono appoggiate. Nè v'è bisogno di produrle, avendone V. E. maggior copia e sono assai più note a loro che a noi. Concludiamo dunque che questa voce è universale nella Chiesa di Dio, la quale grida sempre, essere il Concepimento della Vergine immune dal peccato di Adamo ed esente da ogni colpa; ed il fatto che è un argomento validissimo maggiormente la conferma, imperocchè non sono pochi, ma bensì moltissimi i servi di Maria che da per tutto e in diverse maniere

venerano la di lei immacolata Concezione, come presso di noi parecchi sono gli ascritti alla Confraternità di questa immacolata Concezione e moltissimi ancora desiderano ardentemente di ascriversi nel numero di queste Confraternità, perciò abbiamo proposto di confermare quest'anno la detta Confraternità nella nostra nazione Caldea e di solennizzare la festa dell'immacolata Concezione, di cui abbiamo nel nostro rito da molti secoli una speciale commemorazione, e per cui abbiamo già da cinque anni compilato un officio conforme al nostro rito, ma per le vicende del tempo non si è potuto ancora mandarlo in opera. Intanto desideriamo noi e tutta la nostra nazione che questa opinione venga confermata dal Capo di tutta la Chiesa, la Santità di N. S. Papa Pio IX a maggior gloria di Dio ed onore della Beatissima ed Immacolata Vergine Maria e vantaggio della S. Chiesa. Finalmente dobbiamo render grazie all'Altissimo per aver dileguato ogni caligine di duolo intorno ai tristi nostri cuori e agli afflitti nostri amici condensate col glorioso trionfo ed illustre vittoria concessa al Capo della sua Chiesa il nostro Sommo Pontefice Pio IX avendo distrutto i nemici e sbandito e disperso la brigata dei malvagi, adunato i perseguitati, e raccolto i dispersi e riunito insieme il Capo della Chiesa ed i suoi figli con vittoria ammirabile e dovuto onore. Questo annuncio che ci fu dato colmò i nostri cuori di allegrezza e convertì il nostro duolo e la nostra tristezza in giubilo e gaudio, e subito abbiamo spedito delle lettere ai Vescovi nostri fratelli, ai Sacerdoti, ed a tutto il popolo della nostra nazione, affinchè rendessero grazie speciali a Dio per la visita fatta alla sua Chiesa. E quando abbiamo letto l'allocuzione di S. S. in data del 20. Maggio 1850 in cui loda lo zelo e la sollecitudine di tutti i Sovrani fedeli e dei superiori Ecclesiastici e tutti gli altri che procurarono secondo le loro forze il bene della Chiesa durante questa persecuzione, fu mosso il nostro cuore a ringraziarli e pregare Iddio a voler renderli vittoriosi, ricompensare le loro fatiche e solidare vieppiù nei loro cuori lo zelo della fede, ed innalzare ancora mediante la sua misericordia la dignità della sua S. Chiesa, per cui

non cessiamo di porgere ferventi preghiere alla sua divina clemenza, perchè ogni cosa in sua mano: a lui sia gloria in eterno.

Mosul 10 luglio 1850.

GIUSEPPE AUDO *Per la grazia di Dio Patriarca di Babilonia sopra la nazione Caldea.*

Concordat versioni litterarum Syriacarum quae extant apud S. C. de Prop. Fide.

Al. Barnabò *a Secretis.*

CCCLXXVI.

DEL VESCOVO

DI PADERBONA *NELLA WESTFALIA*

Sanctissime Pater

Sanctitatis Tuae Literas venerandas, datas Caietae die 2ª Februarii anni elapsi, quibus, quae circa Beatissimae Mariae Virginis immaculatam Conceptionem paterno volvis animo, totius catholici orbis Episcopis cum opportunis mandatis significare Tibi placuit, rite accepi, et praeprimis ut ob responsionem hanc meam hucusque et iusto longius dilatam Sanctitatis Tuae benignissimam veniam petam, obligatum me sentio. Permagnum rei, de qua agitur, momentum expostulavit, ut non solum pro me ipse probe matureque eam perpenderem, sed etiam alios viros divina scientia et pietate insignitos in consilium adhiberem, nec non cum Fratribus et Episcopis meis comprovincialibus consultarem, ut, communicatis consiliis et iuvante Deo securius ea cognoscamus, quae, attentis dioecesium no-

strarum circumstantiis et temporis huius conditione, honori divino, Ecclesiae utilitati et Sanctitatis Tuae intentioni magis proficiant.

Iam nunc vero ad Sanctitatem Tuam maxima, qua par est, observantia et devotione, quae sequuntur, referre festino.

Mandato Sanctitatis Tuae lubentissime obtemperando, die 29 Maii a. c. publicas preces per totam dioecesin meam indixi, quo Pater misericordiarum et Deus totius consolationis Divini sui Spiritus luce Sanctitatem Tuam perfundere dignetur, ut in tanti momenti re illud consilium capere valeas, quod ad maiorem tum sancti sui Nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere. Omnibus dioecesis meae Sacerdotibus praeterea inculcavi, ut quivis eorum ad praescriptam intentionem Missam de Spiritu Sancto Deo O. M. semel offerat. Dictae preces publicae, in festo Visitationis B. Mariae V. nuper elapso in omnibus dioecesis meae Ecclesiis sunt peractae, fidelesque alacri illa promptitudine et devotione iisdem interfuere, prout pro eximia eorum obedientia erga Ecclesiae praescripta, et pro permagna qua erga Te, Sanctissime Pater, affecti sunt fidelitate et caritate, merito fuit expectandum.

Inter signa pergrata fidei adhuc vigentis, quinnimo increscentis quibus Deus Optimus Maximus in hisce temporibus caeteroquin tristissimis fidelium suorum animos laetificat atque confortat, illud quoque maximo nobis est solatio, quod ex ultimo decennio et ultra cultus et devotio erga Sanctissimam Dei Genitricem per diocesin quoque meam incrementa haud exigua ceperit. In pluribus dioecesis meae Ecclesiis recentiori tempore Fraternitates Archifraternitatis Parisiensis de Sanctissimo et Immaculato Corde Beatissimae Mariae Virginis pro conversione peccatorum ex enixis votis ad me delatis, cum consensu meo sunt erectae, et ex diversis aliis quoque argumentis lucide patet, Beatissimam Coeli Reginam et Ecclesiae universae decus nostro tempore ferventiori ac prius devotione, a Clero et populo christiano coli et invocari. Haud exigua proin laetitia spirituali Sacerdotes et fideles probi huius dioecesis affecti sunt, quum Sanctissimus Pater Gregorius XVI rec. mem. obsecundando humilli-

mo petito ab Antecessore meo Richardo p. m. ipsi proposito, duobus Brevibus die 12 Ian. 1844 datis, in hac dioecesi Paderbornensi indulgeret observandum, ut praefationi Missae Conceptionis Beatae Mariae Virginis addatur verbum: *Immaculata*, et ut in Litaniis Lauretanis post versum: *Regina Sanctorum omnium*, subiungatur hoc Deiparae encomium: *Regina sine labe originali concepta.*

Iuxta omnia igitur, quae ad meam pervenere notitiam, merito possum asserere, Clerum aeque ac populum meae dioecesis omnimodae illi sententiae inhaerere et ex corde esse addictum, quam S. Ecclesia Dei tantopere hucusque suffulsit, et favore suo multimode prosecuta est, scilicet, B. Mariam Virginem ab omni prorsus labe originalis peccati fuisse immunem. Itaque non est dubitandum, fore, ut si dictam hucusque piam sententiam, veluti catholicae Ecclesiae doctrinam definire Sanctitati Tuae placuerit, Sacerdotes et illi dioecesani mei, qui S. religionem sincero corde colunt, hanc declarationem dogmaticam Immaculatae Conceptionis, omni qua par est promptitudine et alacritate amplectantur.

Quum Sanctitas Tua exponere quoque mihi demandaverit, quid egomet ipse de re supra laudata sentiam atque exoptem, Sanctitati Tuae omni asservatione atque libenter affirmo, quod piam hucusque de immaculato Beatissimae Virginis Conceptu Ecclesiae sententiam nunquam non ac inhaesitanter adoptaverim, et tempore quo tradendis disciplinis theologicis in hoc Seminario nostro operam navabam, ad amplectendam dictam sententiam alumnos instruere haud omiserim. Nunquam quoque dubitavi, de Conceptione B. Mariae V. ab Ecclesia et S. Sede Apostolica declarationem dogmaticam, huius tenoris: « Sanctissimam Dei Genitricem, immaculatam Virginem Mariam absque labe originali fuisse conceptam; » constitui et manifestari posse.

Ut rationes multifarias, hanc sententiam fulcientes, et in doctissimorum virorum scriptis fuse ac luculenter explanatas, de novo in hisce literis meis humillimis asseram, ni erro, non est de mandato, et non foret in votis Sanctitatis Tuae.

Sed si etiam persuasum mihi sit, definitionem dogmaticam imma-

culatae Conceptionis firmo veritatis fundamento niti, circa alteram quaestionem, num nostrum hoc tempus pro emanatione dictae declarationis dogmaticae sit opportunum et accommodatum, omne dubium vix tollere possum. Attentis saltem circumstantiis meae diecesis, per regiones omnino fere protestanticas multimode extensae, et pensata praeprimis temporis huius irrequieti ad dissensiones et disputationes non solum politicas sed etiam religiosas valde proclivis, timendum est, ne adversarii Ecclesiae ex dogmatica illa definitione disceptationum et conviciorum in S. religionem nostram ansam expectatam capesserent; et nè fidelibus, in rebus divinis iusto minus eruditis, vel S. Matri Ecclesiae tepide tantum adhaerentibus, scandala inde orirentur, et pericula discordiarum et abalienationis ab orthodoxa fide. Haec si perpendam, simulque animo volvam, maximam fidelis populi partem piae sententiae immaculatae Conceptionis Beatissimae Mariae V. ex corde iam nunc esse addictam, ideoque urgentem indigentiam dogmaticae eiusdem declarationis non adesse, postquam diu multumque gravissimae huius rei momenta animo ponderavi, Ecclesiae utilitati et amantissimae Matris nostrae Mariae laudi magis expedire mihi videtur, si definitio illa dogmatica « non omnino relinquatur » sed ad tempus, et tamdiu differatur, donec Germaniae nostrae tempora magis quieta et tranquilla restituta sint, et donec Ecclesia libertatum novissimis temporibus a Regibus et Principibus ipsi concessarum firmiore et consolidata gaudeat fructione.

Hanc meam sententiam, cui omnes cathedralis huius Ecclesiae capitulares nec non alii docti probique Sacerdotes consentiunt, Sanctitati Tuae maxima devotione, et omni qua par est confidentia exponens totam rem prudentiae et sapientiae Tuae, Sanctissime Pater! relinquo, et quodcunque sub divini Numinis afflatu hac de re statuere vel definire, ad Dei honorem conducere Tibi visum fuerit, hoc lubentissimo animo, debitaque submissione tanquam Dei effatum accipiam, ratihabebo, verboque et opere per dioecesin pastorali meae curae concreditam profitebor.

Hisce literis sincerissimae fidelitatis erga Sanctitatem Tuam itera-

tam assertionem subiungens, et misericordiarum Patrem precans, ut Ecclesiae Gubernatorem et Christi Vicarium salvum et sospitem pro totius catholici orbis felicitate diu conservet, apostolicamque Benedictionem mihi et dioecesi meae efflagitans, maxima devotione emorior

Sanctitatis Tuae

Paderbornae die 12 Iulii 1850.

Servus Humillimus
FRANCISCUS *Episcopus Paderbornensis*

Ios. Freusberg *Consil. col. et Can. Cap.*

CCCLXXVII.

DEL VESCOVO
DI MERIDA

Sanctissime Pater

Ioannes Hilarius Boset, Episcopus Emeritensis de Maracaibo in America Meridionali debita obedientia, maximaque veneratione Sanctitatem Vestram certiorem facio de omnibus, quae a me dignata est exigere per suas Encyclicas Venerabiles Litteras: *Ubi primum incipientes*, et Caietae die secunda februarii anni 1849. expeditas.

In primis ergo verba faciens circa devotionem, quam iuxta piam sententiam totius Americae antea Hispanicae incolae, et praesertim huius meae Dioecesis populi, erga miram Immaculatam Beatae Mariae Virginis Conceptionem profitentur, eam indubitanter assero

universalem, constantem, tenerrimam et firmissimam esse. In comprobationem ad rem non parum interest referre, pueros statim ac voces balbutire coepiunt a parentibus edoctos, Deum simulque Serenissimam eius Matrem his verbis frequenter collaudare: Benedicta et laudabilis sit Sanctissima Trinitas, et Augustissimum Altaris Sacramentum, et Immaculata Conceptio Virginis Mariae Dominae nostrae in gratia conceptae a primo suae animationis instanti. Amen. — Quae laus nostra vernacula lingua « El Alabado » dicta, adeo pariter est diuturna et communis, ut crebro ab omnibus indifferenter usurpetur, tum in fine omnium precum, tum ad impetrandam benedictionem sacerdotum et parentum naturalium, tum mane et vespere in assuetis orationibus, tum ad Deo gratias agendas post prandium, tum denique ante exordium sacrarum concionum prout a lege Synodali praescribitur.

His accedit, in hac Universitate ex multo tempore statutum fuisse neminem professorem fieri, neque studiosos qualemcumque gradum accipere, priusquam iureiurando se non obstringerent ad propugnandam Beatae Virginis Mariae Conceptionem Immaculatam. Insuper, ipsa Beatissima Maria sub tali invocatione, non modo Patrona universalis praedictae Americae cum Hispania subsistit, verum etiam canonica erectione titularis meae Ecclesiae Cathedralis totiusque Episcopatus fuit designata, cuius festivitas octava Decembris, fervore maximo, ingenti laetitia, piisque devoti animi significationibus celebratur. Demum, persuasionem de immunitate laudatae Virginis Mariae ab omni peccati probro in istis locis ita inhaerere, ex eo coniici potest quod cum vulgus, seu ii qui scholas non frequentarunt, exequi viderent publicas preces a me dispositas ad obtinendum miserentis Dei auxilium in Suae Sanctitatis futura decisione, prout in allata Encyclica praecipiebatur, mirabantur et obstupescebant quoniam haec piissima opinio adhuc fidei dogma non esset.

Hinc, Sanctissime Pater, Cleri, huiusce Universitatis, omniumque fidelium vehemens studium, ut quantocius publica decisio, solemneque iudicium pronuncietur, quo Sancta Sedes Apostolica ut-

pote petra et fundamentum Ecclesiae, Catholicae fidei unitatis centrum, infallibilisque veritas procedat, et declaret Beatissimam Virginem Mariam fuisse ab originali labe praeservatam, ita ut deinceps non solum mente et affectu, sed etiam corde credamus, et profiteamur hoc opportunissimum fidei dogma.

Quod ad me attinet, Sanctissime Pater, potentissimis rationibus suffultus ex Sacra Scriptura, Ecclesiae traditione, necnon Sanctorum Patrum et Summorum Pontificum oraculis depromptis, sentio et iudico cum Summo Pontifice Alexandro VII iuxta Constitutionem ab ipso editam anno 1661, quae incipit: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* animam Beatissimae Mariae Virginis a primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi, a macula peccati originalis praeservatam: exoptans interea ut sicut mea voluntas, intellectus, cor ac totae meae vires hanc veritatem acclamant, sic Sanctitas Vestra procedere dignetur in tam optatissima fidei declaratione ad Dei Omnipotentis gloriam, eius Matris honorem, et Catholicae Ecclesiae adiumentum ac tutamen.

Ita, Sanctissime Pater, praelaudatam Vestram Encyclicam contestor. Faxit Deus, suae dignissimae Matris patrocinio et intercessione, sanctissimam Vestram mentem taliter illustrare et inspirare, ut decisio quam tantopere populus christianus anhelat non diutius immoretur; cuius rei gratia sine intermissione humiles preces meas ad Patrem luminum dirigam, et ut obsequentissimus ac devotissimus Filius ad Pedes Vestros provolutus, eos reverenter deosculor

Sanctissime Pater

Emeritae die 13. Iulii anno 1850.

IOANNES HIL, *Episcopus Emerit. de Maracaibo.*

CCCLXXVIII.

DELL' ARCIVESCOVO
DI GRANATA

BEATISSIME PATER

Apostolicas Tuas Litteras Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis totius catholici orbis, datas Caietae die 2 Februarii anni labentis, summa animi mei reverentia, voluptate, ac consolatione perlustravi. In illis namque fateris Te vel a teneris annis nihil potius, nihil antiquius habuisse, quam singulari pietate et obsequio, atque intimo cordis affectu Beatissimam Virginem Mariam colere, et ea peragere, quae ad maiorem ipsius Virginis gloriam et laudem procurandam, cultumque promovendum conducere posse videantur.

Quantum vero haec verba supremi Ecclesiae Pastoris ad spiritualem prosint dominici gregis laetitiam ac aedificationem, nemo quantumvis disertissimus sit exprimere potest, maxime cum ipsa verba grandem, vividamque spem omnibus iniiciant, fore, ut a Tua pia et potentissima auctoritate sententia ea dogmatica iam diu a fidelibus Deiparae cultoribus expetita, edatur, quae eamdem coeli et terrae Dominam ab originali peccato in primo suae Conceptionis instanti prorsus immunem declaret, atque decernat.

Hoc equidem, Beatissime Pater, flagranter concupiscis; providus attamen ac eximie circumspectus rem adeo gravem iudicas differendam, usque dum ea, quae optimo consilio statuis, executioni mandentur. Atque in primis omni laude dignissima sunt Tua illa verba pietate ac sapientia plena, quibus omnium catholicorum Antistitum episcopalem sollicitudinem magnopere excitas, eisque etiam atque etiam inculcas, ut quisque in sua propria Dioecesi publicas preces indicendas ac peragendas curet, quo clementissimus luminum

Pater Te superna Divini sui Spiritus luce perfundere dignetur, ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeas, quod ad maiorem tum sui sancti Nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere. Deinde vehementer optas, ut ipsi Antistites maiori qua fieri potest celeritate Tibi significent, qua devotione Clerus, populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur. Denique in primis noscere vel maxime cupis, quid praefati Antistites de re ipsa sentiant, quidque exoptent.

Ego sane, Beatissime Pater, haec Tua sapientissima placita submisse revereor, ea prosperum ad exitum perduci vehementer desidero, atque idcirco quantum ad me attinet, ipsa sedulo explevi. Quo autem eventu Sanctitas Tua ex subiecta narratione dignoscet.

Itaque ubi primum laudatas Tuas Litteras excepi, eas hispane redditas in vulgus edidi, quae quidem omnium civium non modo huius Dioecesis sed etiam exterarum ad quos pervenere magnum gaudium et plausum excitarunt. Insuper eisdem Litteris quamdam adieci brevem institutionem in laudem et commendationem Immaculatae Dei Genitricis Conceptus, precesque publicas indixi, ac designavi ad finem a Te praescriptum pro certo dierum numero peragendas tum in Ecclesia Cathedrali, tum in singulis Collegialibus, Parochialibus, atque etiam Monachalibus. Extant enim adhuc multa monasteria Sanctimonialium.

Preces istas ingenti fidelium frequentia, eximiisque pietatis ac devotionis significationibus exsolutas fuisse, omnes aperte dicunt, iactant, et confirmant, praecipue vero singuli praedictarum ecclesiarum superiores, a quibus testimonia accepi, etiam de devotione qua Clerus populusque huius Dioecesis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, ac desiderio quo flagret ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur.

De hoc quod secundo loco a me noscere vehementer cupis, Beatissime Pater, multa et sane praeclara recensere possem; tantum vero dicam aliqua ex iis, quae praestantiora mihi videntur.

Et ut a civitate metropolitana exordiar, omnibus ad eam venientibus patet ante portam Illiberitanam campus spatiosus, in cuius medio surgit columna marmorea, sublimis, affabre structa, pluribus figuris eminentibus gloriosas praerogativas Deiparae significantibus elata super quam extat collocata imago pulcherrima eiusdem Virginis Matris cum expressa advocatione de Conceptione Immaculata, habens sub pedibus nubes, lunam, et Angelos, atque in capite coronam radiis aureis et duodecim stellis ornatam.

Magnificum hoc monumentum erectum fuit, ut eius inscriptiones palam testantur, a piissimo Senatu civitatis in titulum et egregiam ostensionem sui assensus interni de puritate originali Dei Genitricis Mariae: in signum etiam et perenne memoraculum publici iuramenti de tuenda huiusmodi originali puritate, quod una cum Capitulo Ecclesiae Cathedralis anno sexcentesimo decimo octavo supra millesimum Senatus ipse nomine sui et omnium civium emisit in manibus Archiepiscopi Philippi de Tassis mei predecessoris eiusdem puritatis perillustris assertoris, et propugnatoris in nobile insuper trophaeum obtentae victoriae ex illis doctoribus, qui tunc temporis praefatam Beatissimae Virginis originalem puritatem evertere pugnaciter conabantur: in demonstrationem praeterea stabilis ac nunquam delendae gratitudinis fidelium populorum, tum Granatensis provinciae, tum itidem totius orbis catholici erga eamdem Virginem Matrem sine peccato conceptam, cuius potentissimo auxilio catholici Reges nostri Ferdinandus et Elisabetha muniti urbem hanc expugnaverunt Agarenorumque tyrannicum dominium, sub quo illa per multa saecula gemebat, debellantes eos in suam potestatem redegerunt non sine magna Sanctae Matris Ecclesiae gloria et amplificatione.

Quod autem beneficium istud divinitus fuit collatum ad commendandam purissimam Virginis Mariae Conceptionem, omnes generatim pio devotionis affectu crediderunt ac etiam nunc credunt. Et merito quidem, constat enim ex historicis fide dignis, quod praelaudati nostri Reges catholici post longam et successu irrito huius civitatis obsidionem votum emiserunt primum in ea templum dedican-

di in honorem Immaculatae Conceptionis B. Virginis: qua auxiliante victores urbem ingressi maurico ex Hispania imperio eradicato, grato et memori animo quod sacratissimae Virgini promiserant fideliter reddiderunt. Porro praefatus Senatus Granatensis in quodam suo decreto solemniter edito die 31 Decembris anni 1617 testatur, se iuramentum, de quo supra, emittere sanxisse, non solum ob suam ferventem devotionem, sed etiam ob antiquas traditiones asserentes, quod supradicti Reges catholici hanc urbem obsidentes, illam purae Conceptioni Dominae nostrae devoverunt atque sacrarunt, statimque ac ipsam victricibus armis subegerunt, confraternitatem de Immaculata Conceptione fundarunt, seque primos sodales professi sunt, quorum exemplum imitantes etiam viri nobiles et optimates confraternitatem ipsam mirifice auxerunt, firmiter stabilierunt, specialique honore cumularunt. Hoc in statu fluxit sita in Ecclesia Fratrum Minorum Observantium S. Francisci, splendide nitens per duo saecula, nunc autem extincta iacet, eo quod praefata Ecclesia a radicibus est miserabiliter eversa.

Verumtamen, Deo providente, illius Confraternitatis vices nunc implet, ac sustinet alia, quae viget in Ecclesia Monialium tertii ordinis S. Francisci, titulo de Conceptione insignita, olim a Leone Papa X quampluribus indulgentiis pro ipsam devote visitantibus locupletata. In ea igitur canonice fuit erecta anno 1757 Confraternitas de Immaculata Conceptione, quae ab eius initio usque in praesentiarum apprime clarescit, tum ob ingentem sodalium multitudinem, inter quos complures perillustres viri sive ecclesiastici sive saeculares semper numerati fuere hodieque numerantur, tum ob affectum quo sodales ipsi utriusque sexus hilari perlibentique animo voto se obstringunt defensandi mysterium de illibato Conceptu Deiparae, quam ut specialem Dominam atque Matrem festivis clamoribus extollunt: tum ob magnificam pompam, qua sodales et eorum exemplo plurimi ex aliis fidelibus festum de eiusmodi mysterio per novem dies mense decembri celebrant; ac praeterea die octava caeterorum totius anni mensium in ipsam Ecclesiam concursant ferventer avidi plenariam lucrandi indulgentiam a Pio Papa VII in per-

petuum concessam omnibus, qui confessi ac sacra Communione refecti eamdem Ecclesiam devote visitaverint.

Accedit amplius, quod cuncta eius altaria ex indulto Bened. XIV in perpetuum duraturo sunt privilegiata pro singulis animabus confratrum et consororum defunctorum. Propter quae omnia Ecclesia ista magni apud cives granatenses habetur, et continuum eis praestat incitamentum ad memoriam mysterii de Conceptione recolendam eiusque cultum servandum et augendum.

Existit etiam alia valde spectabilis Ecclesia in monte Illipulitano vallis Paradisi nuncupato, prope et extra muros huius civitatis structa cum domo aliisque elegantibus aedificiis pro uno Abbate multisque canonicis collegialiter in claustro degentibus, una cum aliis capellanis ac ministris, atque ibidem pluribus iuvenibus collegii seminarii eodem loco constituti ad praescriptum sacri Concilii Tridentini. Omnes vero quotquot in ipsam Ecclesiam vel domum ad munera praedicta cooptandi sunt, solemne priusquam asciscantur, iuramentum emittunt iis verbis expressum, scilicet:

« Immunitatem purissimae Conceptionis Beatissimae Virginis Ma-
« riae a primo animationis instanti toto ex animo defendam, etiamsi
« pro eius propugnatione sit vitam necesse libare. Sic Deus me ad-
« iuvet etc. »

Ne autem plausibilis, qui in hac formula elucet fervor, cursu temporis deficiat neque tepescat, illum Abbas, Canonici caeterique ministri choro addicti piis exercitiis et precationibus conservare, fovere magis magisque accendere indesinenter procurant. Quamobrem omnibus anni diebus congregati, iuxta instituti constitutiones praecipientes incumbere mane diluculo orationi mentali, faciunt ante eius initium commemorationem Immaculatae Conceptionis, quam vespere reiterant tum ante orationem itidem mentalem, quae quotidie peragitur coram SS. Sacramento exposito, tum singulis sabbatis, in quibus etiam *Salve Regina* post vesperas canitur cum antiphona *Conceptio tua Dei Genitrix Virgo*, et versu ac oratione. Praeterea singulis dominicis etiam post vesperas fit processio, in qua imago Virginis de Conceptione defertur; convenientibus omni-

bus cum candelis accensis, canentibusque Litanias Lauretanas, ad quarum finem addunt iuxta solitum ab immemorabili tempore haec verba: *Concepta sine peccato; ora pro nobis,* ac deinde antiphonam supradictam: *Conceptio tua etc.*

Insuper collegae seminarii quotidie dum mane ac nocte ad suam capellam, ubi imago de Conceptione in altari extat, conveniunt oratum, eamdem antiphonam *Conceptio tua* recitant; ac etiam in omnibus pervigiliis et diebus cuiusque festivitatis Deiparae altare plurimis cereis accensis ornant, atque iubilantes concinunt carmina vernacula, quibus Immaculatae Conceptionis mysterium laudant, amplificant atque ad astra extollunt. Denique die octava decembris festum in Ecclesia cum concione maximaque solemnitate celebratur, atque omnes etiam famuli et contubernales illibatam Virginis Conceptionem festivis vocibus acclamant et prae gaudio gestiunt ac tripudiant.

Porro amplum hoc aedificium suis sumptibus extruxit venerabilis meus praedecessor Petrus de Castro et Quinnones Archiepiscopus prius Granatensis ac deinceps Hispalensis, qui propriis ipse manibus primum templi lapidem iecit his verbis inscriptum: *Mariam culpa originalis non tetigit.* Erexit etiam prope altare maius aliud imagine Deiparae de Conceptione decoratum privilegiatumque ex indulto Apostolico. Duo item fundavit anniversaria perpetua, unum in praedicta collegiata, alterum in cathedrali, ut quotannis die octava decembris officium et Missa de Conceptione solemniori pompa celebrarentur.

Sed quanta qualiaque praeclarus ille Antistes gesserit pro maiori huius mysterii gloria et exaltatione prorsus est inenarrabile. Licet enim tunc temporis, faventibus Constitutionibus Sixti IV a Synodo Tridentina et S. Pio V innovatis, officium de Immaculata Conceptione universim frequentaretur, laudesque ipsius mysterii concionibus publicis, dissertationibus aliisque innumeris modis effunderetur, nonnulli tamen Theologi, caeteroquin docti, hunc pium cultum aegre ferentes convellere mordicus enitebantur. Hinc iurgia, rixae, commotionesque populares adversus illos non sine peccatis et scandalis.

Propter haec zelo adeo inflammatus est venerabilis Archiepiscopus, ut de praesentanea medela procuranda perattente cogitaverit. Cum vero nulla alia valentior sibi visa fuisset, et merito quidem, quam dogmatica Sedis Apostolicae de veritate huius mysterii definitio, ad eam modo consentaneo postulandam, nullis pepercit curis et laboribus.

Stimulavit itaque ad rem diligentissime perquirendam multos perinsignes theologos, qui omnes illius consilium probaverunt. Huiusce consilii praecipuos Hispaniae Antistites conscios fecit, a quibus responsa excepit obsequiosa, suffragantia, simulque gratulatoria. Consimiliter ei rescripserunt Senatus tam granatensis quam hispalensis, Dynastae, plures Ministri regii, ac praecipue Rex ipse Catholicus Philippus III, qui illum ad rem strenue aggrediendam incitavit, litteris datis die 4 octobris anni 1616, dicens: « Licet generaliter « in meis regnis purissima Conceptio Dominae nostrae colatur, scio « tamen certo, quantum in hac causa insigniter emineas, quanto- « que zelo et pio affectu eam cures pertractare ac promovere, quod « vere laeto animo tibi gratulor, pariterque defero quid quid mea « auctoritate valebo, ut ipsam piam causam de Illibata Conceptione « Romae per tuos procuratores prosequaris. »

His ergo praemunitionibus et adiumentis animatus ingeniosus Praesul duos eruditissimos viros a se delectos Romam misit, quos summus Pontifex Paulus V. benigne suscepit et audivit, atque post longam et accuratam discussionem illud edidit decretum, quod incipit: *Sanctissimus Dominus Noster* die 31 augusti an. 1617, omnibus prohibens sub poenis ibi expressis ut non audeant in publicis concionibus, lectionibus et aliis quibuscumque publicis actibus asserere, quod Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali. Deinde mortuis Paulo V, et Philippo III, mandavit Archiepiscopus suis Legatis novas et efficaciores Pontifici Gregorio XV supplices preces offerre, una cum litteris commendatitiis Regis Philippi IV. qui votum emiserat mysterii de Immaculata Conceptione dogmaticam definitionem omnibus possibilibus modis procurandi. Quas preces aliasque diversarum Nationum cum Gregorius disquisis-

set ac studiose trutinasset decretum edidit; quod etiam incipit: *Sanctissimus Dominus Noster* die 24 maii an. 1622 prohibens omnibus sub gravibus poenis, ne de caetero etiam in sermonibus et scriptis privatis audeant de opinione contraria Immaculatae Conceptioni aliquo modo agere seu tractare.

Haec autem, Beatissime Pater, ex authenticis documentis, in praedictae ecclesiae collegiatae archivio existentibus desumpta, idcirco narrare opportunum duco, ut commemorem non modo fervidum inclyti mei praedecessoris, Catholicorum Regum, totiusque hispanae gentis zelum pro exaltatione immaculati Deiparae Conceptus, verum etiam eximiam Romanorum Pontificum erga huiusmodi mysterium propensionem. Contraria enim sententia ablegata fuit per Paulum V. a templis et scholis, ac per Gregorium XV. etiam a privato humano commercio. Interea tamen vetus pia sententia nusquam non edicebatur atque plausibiliter praedicabatur, solemni Ecclesiae ritu confirmabatur; atque ab omnibus fere catholicis religiose credebatur, teste Alexandro VII., qui anno 1661 dignanter exauditis Philippi IV. Regis, et omnium fere Hispaniae Episcoporum precibus, ipsam piam sententiam apertissime dilucidavit, firmiusque corroboravit in sua Constitutione incipiente: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Demum ex quo Clemens XI. in sua constitutione: *Commissi nobis*; data anno 1708 mandavit, ut festum Conceptionis ubique terrarum ab omnibus Christi fidelibus servaretur et celebraretur sicut alia festa de praecepto, magnopere fuit ipsa sententia exaltata usque ad apicem certitudinis Theologicae nihilque iam deest pro fidei assensu praeter expressam Ecclesiae definitionem, ut communiter tenent recentiores Theologi.

Ad rem apponere congruum mihi videtur, Beatissime Pater, huiusmodi festum fuisse in ista dioecesi ac in coeteris regni Hispani sicut de praecepto magnaque cum pompa celebratam longe antequam laudata Clementis XI Constitutio prodiret. Constat enim, quod saltem medio saeculo decimo septimo praedicto modo colebatur ex consuetudine tunc antiqua, et possessione vel quasi; quae constanter perseveravit, ex speciali gratia ad preces Regis Philippi IV. conces-

sa ab Innocentio X. 1644 non obstante contrario generali decreto Urbani VIII in sua Constitutione incipiente: *Universa* anni 1642.

At vero hodie in hac dioecesi pariterque in coeteris huius regni colitur festum Immaculatae Conceptionis ritu solemniori duplicis primae classis cum octava, eo quod Beatissima Virgo sub eiusdem Immaculatae Conceptionis mysterio in comitiis totius Nationis communi consensione nuncupata et electa fuit anno 1760, ut Patrona principalis et universalis, atque Advocata specialis Hispanarum Indicarumque ditionum, approbante et confirmante Clemente Papa XIII, qui etiam ad preces Regis Caroli III officium proprium, quod incipit: *Sicut lilium*, et Missam cuius initium: *Egredimini, et videte*, quibus utitur Franciscanus Ordo, universo Hispaniarum clero tam saeculari quam regulari, quomodolibet exempto, concessit, indulsit et extendit pro die festo solemni eiusdem Immaculatae Conceptionis et eius octava. Insuper idem Summus Pontifex anno 1767 concessit, ut singulis sabbatis festo duplici vel semiduplici non impeditis, exceptis nonnullis in sua Constitutione expressis, idem officium proprium et Missa itidem propria respective celebrari sub ritu semiduplici posset ab omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, qui in eisdem Hispaniarum dominiis ad horas canonicas tenentur; atque ut in Litaniis Lauretanis tam publice quam privatim in ipsis regnis recitandis, post versiculum: *Mater intemerata* in speciale obsequium Conceptionis alter: *Mater immaculata* superaddatur.

Nunc autem qua devotione Clerus populusque fidelis istius Dioecesis erga huiusmodi mysterium sit animatus, ex apparatissimis signis, quibus festum colit, liquido claret. Nulla enim totius anni sacra festivitas splendidiori pompa in omnibus ecclesiis tam saecularibus quam regularibus pro cuiuslibet earum possibilitate peragitur. Attamen in cathedrali, cuius canonici iurant defendere Immaculatam Virginis Conceptionem, cultus magnifice resplendet, et tum in ipso die festo tum in reliquis per octavam habetur sacra concio, quod itidem in nonnullis accidit ecclesiis.

Consonant cum Clero coeteri de populo fideles, inter quos etiam negligentes in observantia festorum vix ullus existit, qui diem Im-

maculátae Conceptionis non sanctificet, Missam audiendo, et se ab operibus servilibus abstinendo. Communiter vero in hac solemnitate plusquam in aliis Templa extraordinaria confluentia frequentantur, sacramenta recipiuntur, et pietatis ac religionis opera multiplicantur. Adiicienda sunt item publici iubili signa, nempe quod cymbala festivo crebroque sonitu pulsantur, tormenta ludicris fragoribus disploduntur: pyroboli variis artibus dispositi iactantur, ignes ingeniosi mira fabricati varietate ostentantur. Interea quoque iuvenes et virgines, senes cum iunioribus laetis carminibus, iucundissimisque clamoribus plaudunt, extollunt Beatissimam Dei Genitricem dicentes: *Vivat Virgo Maria sine peccato concepta*, quod quidem optime congruit cum officio proprio, quo utimur, ad Vesperas enim est vers. *Immaculata Conceptio est hodie Sanctae Mariae Virginis: cuius innocentia inclyta cunctas laetificat devotas animas.*

En, Beatissime Pater, quomodo se habeat cleri populique fidelis istius Dioecesis devotio erga Illibatam Deiparae Conceptionem. En quanto desiderio flagret pro maiori eius exaltatione, quantoque gaudio superabundabit, si Tua Sanctitas rem ad fastigium evexerit, illam Apostolica auctoritate veluti catholicae Ecclesiae doctrinam definiendo.

Restat nunc, Beatissime Pater, ut ad ea Tua postrema verba respondeam, quibus a me sciscitaris, quid de re ipsa sentiam, quidque exoptem. Sentio itaque Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti, quo eius anima creata est et corpori unita a peccato originali, divina gratia praeveniente, puram fuisse ac prorsus immunem; et exopto quod ista Deiparae praerogativa tanquam articulus fidei a Sanctitate Tua definiatur.

Sentio, inquam, Beatissimam Virginem fuisse sine peccato conceptam: idque me perpetuo defensurum iam pridem solemniter iureiuravi, pro certo habens, hanc veritatem in verbo Dei tum scripto tum tradito contineri. In hanc sententiam praedecessores meos a multis retro saeculis convenisse, perspectum habes atque exploratum. De illis aliqua propius ad rem attinentia breviter narrabo.

Atque in primis dicam de sancto Petro Paschasio, Ordinis B.

Mariae de Mercede professore, qui anno 1300 Granatae tunc Maurorum iugo subiectae martyr occubuit. Praeclarus ille vir, qui Parisiis geminis doctoribus Thomae ac Bonaventurae, ibi scholas illustrantibus, tertius est additus, ac deinde titulo Ecclesiae Granatensis Episcopus consecratus, postea dum esset Episcopus Giennensis, a Mauris captus fuit, ac Granatae in carcerem coniectus, in qua *Bibliam Parvam* scripsit mira eruditione refertam de fidei mysteriis luculenter tractantem, atque inter ea de Virginis Immaculata Conceptione, quam probat nonnullis biblicis testimoniis, nempe, *Sicut lilium inter spinas* etc. atque *tota pulchra es* etc., asserens ista verba a Spiritu Sancto fuisse inspirata propter Mariam illibate conceptam, sicut docet perpetua Ecclesiae traditio.

Eamdem doctrinam inculcasse Archiepiscopum itidem Granatensem Ferdinandum Ninnum, patet ex Breviario per ipsum approbato anno 1544, in cuius rubricis designatur officium Immaculatae Conceptionis, quod incipit, *Sicut lilium, et caetera ut in officio* Nogarolis per Sixtum IV. approbato cum indulgentiis pro illud recitantibus, in quo extant testimonia biblica a S. Petro Paschasio producta, aliaque similia una cum sententiis Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, qui ut testes Traditionis exhibentur.

De Archiepiscopo Petro de Castro et Quinnones supra memoriam feci, sicut et de eius successore Philippo de Tassis. De isto tamen illud valde notabile adiiciam, quod anno 1617 doctorum huius Universitatis, cuius erat protector, iudexque conservator, votum et iuramentum pr obavit atque in suis manibus intra Missarum solemnia recepit, hisce verbis emissum: « Iuramus Deum et crucem per nos « corporaliter tactam, et haec Sancta Dei Evangelia, quod Imma- « culatam Virginis Mariae Dominae nostrae Conceptionem ab omni « labe peccati originalis immunem semper et ubique pro viribus et « rationibus defendemus, et pro hac veritate et opinione, quam sen- « timus et habemus pro certiori, veriori, securiori magisque pia et « meritoria, vitam ipsam effundere, si oportuerit, et mortem subi- « re non dubitamus, quod insuper nos facturos et servaturos sole- « mniter vovemus et promittimus. »

Quantum vero, Beatissime Pater, creverit ex illis saeculis usque ad praesens in hac Dioecesi, sicut et in universali Ecclesia existimatio, fides, devotio et cultus erga huiusmodi mysterium sufficienter supra exposui. Quapropter cum divinum officium persolvo, toto corde credo ea, quae ore profero, dum dico: *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariae celebremus: Christum eius praeservatorem adoremus Dominum.* Hanc veritatem credo, non quidem illa suprema certitudine, quae fidei catholicae est propria, et in hac re nondum definita locum habere nequit, sed ea certitudine quae dicitur Theologica et moralis, digna firmo assensu cuiuslibet viri sapientis atque sensati. Et reapse B. Virginis Assumptio corporalis in coelum quamvis nondum sit ab Ecclesia ut articulus fidei proposita, eius tamen certitudinem nemini licet contemnere vel in dubium revocare, ut docent Theologi apud Benedictum XIV. *libro 2 de festis capit. 8.* Idem proinde censeri oportet de Immaculata Conceptione, cuius festum nunc eodem modo in universa Ecclesia colitur.

Non ita res se habebat cum S. Bernardus celebrem illam epistolam contra cultum Immaculatae Conceptionis scripsit. Sed ipsum cultum perfirmiter roborant atque confirmant. Ut enim recte ratiocinatur laudatus Benedictus XIV. *lib. cit. de festis cap. 15. n. 4.* « Praecipuus scopus S. Doctoris fuit auctoritas Apostolicae Sedis, « qua inconsulta, invectam vidit festivitatem in Ecclesia Lugdunensi, « ac propterea si viveret, et ad Immaculatam Conceptionem Sedem « Apostolicam esse intelligeret propensiorem, eiusque auctoritate « in tota Ecclesia hanc peragi celebritatem videret, disciplinam « hanc Romanae Sedi tantopere probatam statim amplexurum, cu« ius iudicio epistolam illam subiecerat. » Citat sapientissimus Pontifex pro hoc argumento Cardinales Bellarminum et Sfondratum, sed mihi notandum videtur, Beatissime Pater, illos, aliosque auctores qui ante annum 1708 scripsere, superari quam maxime a recentioribus in efficacia eiusmodi argumenti. Illi enim de festo a clero celebrando loquebantur; isti vero de ipso festo atque de lege Clementis XI. illud colendi tanquam de praecepto, observata ubique terrarum ab Episcopis, clericis populisque fidelibus publice ac sole-

mniter profitentibus Deiparae sanctitatem non utcumque, sed praecipue ac designate in primo suae Conceptionis instanti, ut expresse declaravit praefatus Alexander VII. asserens quod hoc sensu, et non in alio quocumque, a nonnullis auctoribus excogitato, festivitas ista ab antiquo fuit celebrata.

Cum igitur Christi Ecclesia columna sit ac firmamentum veritatis, sancta et infallibilis in rebus fidei et morum, ad quos pertinet virtus religionis et divinus cultus, impossibile est eam errare dum tolerat, consulit, diversis modis promovet, immo universali praecepto mandat cultum Immaculatae Conceptionis. Quapropter Theologi recentiores unanimi suffragio docent hanc rem esse a Deo Ecclesiae revelatam, idque ita clare ac luculenter constare ut iam ab Apostolica Sede possit definiri.

Sic ego itidem sentio, Beatissime Pater, valde mihi persuasum habens, huiusmodi definitioni hisce temporibus nihil obstare: quin potius plurimum ipsam conferre posse ad maiorem Dei gloriam incitandam et promovendam. Ex quo enim Immaculata Virginis Conceptio tanquam articulus fidei canonice decernatur, Deus qui magnus est et laudabilis nimis in suis operibus ac praecipue in Sanctis eius, mirabiliorem ac laudabiliorem se nobis exhibebit in sanctitate et iustitia originali ipsius gloriosissimae Virginis Mariae, quam ut Reginam Angelorum et Sanctorum omnium invocamus. Profecto in illis speciali decore Imago Dei fulget, proptereaque apposito vocantur coeli qui enarrant gloriam Dei et confitentur mirabilia eius: Maria tamen adeo illos tum dignitate tum sanctitate praecellit, adeo quoque Unigenito Filio Dei quem ipsa genuit plenum gratiae et veritatis, similis extitit, non modo carne sed etiam spiritu, salva praestantia eiusdem Dei Filii, ut merito laudari possit « Sicut vapor « virtutis Dei, emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sin- « cerant, ideo nihil inquinatum in ea invenitur: candor est enim « lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago « bonitatis illius. »

Porro inter multiformes, innumeras sublimesque laudes ac congratulationes, quibus dignissima est Virgo Maria, illa, quae eius-

dem gratiam sanctificantem et charitatem respiciunt potissimum obtinent locum. Idcirco quantumvis gloriosa sit ipsius Assumptio in coelum cum corpore redivivo ac incorruptibili, gloriosior tamen est Conceptio cum anima a corruptione peccati per gratiam sanctificantem mirabiliter praeservata. Praestantior enim est integritate ac incorruptione corporis integritas et incorruptio animae. Unde si optio Virgini daretur, millies in cineres et pulveres corporis redigi eligeret, quam semel et unico momento inimicitiam Dei ac diaboli servitutem incurrere. Exiliter ergo Mariam laudant, qui peccati macula deturpatam iudicant, licet in momento proximo post Conceptionem mundatam, in peccato enim non mora, sed foeditas est aestimanda: quocirca praestat vel tota aeternitate coelo esse exulem et infelicem, quam uno momento peccatorem. Ideoque Beatissima Maria, ut verbi utar Cardinalis Sfrondati in sua *Innocentia Vindicata* §. 2. n. 4. « Malit non esse Virgo, non esse Dei Mater, non beata, non « creaturarum omnium Regina, quam vel uno momento Deo exosa, « expersque gratiae et peccato foedata esse, nec esse innocens. In « hoc ergo momento vertuntur omnia, quae Virgini nostrae cha- « rissima et pretiosissima sunt. Dic de illa quidquid volueris, tan- « tum ne appelles peccatricem, et filiam irae: hoc Virgini plus do- « let, fuisse corruptam. »

Quod autem ad utilitatem spectat Ecclesiae militantis, minime dubitari potest, eam copiosos collecturam fructus ex laudibus B. Virgini sub Conceptionis titulo tributis; docemur enim in postcommunione Missae *Egredimini* Deum deprecari, *ut qui Mariae Conceptionem iubilando celebrant, fructum centuplum suae devotionis accipiant*. Proinde dum istiusmodi Conceptio canonice definita fuerit tanquam omnino sancta et immaculata, laudes B. Virgini sub hoc titulo tributae merito, speciali ac proprio actus fidei divinae cumulabuntur, ferventiores erunt, Filio Dei eiusque dignissimae Matri gratiores, uno verbo Ecclesiae militanti utiliores.

Equidem verbis exprimi non potest quam dignanter, benigne, dulciter, et amice sese habeat Beatissima Virgo erga Filii sui suos-

que devotos amatores. Ipsa diligentes se diligit, atque charismatibus satis abunde extruit, disponitque servos suos, ut benedicti Filii sui et Spiritus Sancti sint habitatio et templum. Ipsa fuit gratia plena, ut de plenitudine eius omnes creaturae accipiant, largoque coelestium donorum imbre infundantur. Ipsa est Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei, atque in ipsa est gratia omnis viae et veritatis, omnis spes vitae et virtutis.

Cum ergo Beatissima Virgo tantis a Deo facultatibus sit locupletata, quam maxime sperandum est, ut huiusmodi sibi gratissimis laudibus et obsequiis propitiata et devicta, illos suos misericordiae oculos ad nos convertens a malis, quibus in praesenti luctuosissima teterrimaque tempestate premimur, potenter eripiat.

Satis hactenus, Beatissime Pater, nam ex dictis sufficienter, ni fallor, constat, Clerum, populumque fidelem istius Dioecesis Immaculatam Deiparae Conceptionem fervida, et extraordinaria devotione prosequi, eiusque festum solemniter et exultanter hodie colere, et a multis retro saeculis coluisse, vehementer ex tunc usque nunc exoptando, quod a Sancta Sede Apostolica veritas huius mysterii tanquam articulus fidei definiatur. Me itidem idipsum exoptare assertum habeo, multiplicibus adiectis rationibus tum pro eminenti probabilitatis et certitudinis ipsius mysterii gradu, tum pro praesenti convenientia et opportunitate expetitae Apostolicae definitionis. Nihilominus meum iudicium Tuo, Beatissime Pater, omni animi mei demissione committo atque subiicio. Ad Te enim qui Successor B. Petri Principis Apostolorum, verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Pater ac Doctor existis, spectat rem istam irreformabili, atque ab omni Ecclesia, cuius Primatum tenes, venerando, ac servando decreto definire. Quod si ut fidentissime expecto, perfeceris, novo ac plenissimo gaudio non modo Granatensem sed et universam Ecclesiam replebis, Tibique remunerationem illam, quam elucidantibus se Virgo ipsa pollicetur cumulatissime comparabis. Interea tamen Deum Optimum Maximum enixe precor, ut Te ad Universi Orbis Catholici solatium et

prosperitatem diu sospitem servet, Tuamque Apostolicam Benedictionem humiliter exposco et efflagito.

Beatissime Pater

Granatae die vero decimo nono mensis Iulii anno Incarnationis Domini 1850.

LUDOVICUS ANTONIUS FOLGUERAS ET SION,
Archiepiscopus Granatensis.

CCCLXXIX.

DEL VESCOVO
D' ORLEANS

Beatissime Pater

Quo tempore prodiere Sanctitatis Vestrae Litterae Encyclicae circa Immaculatam Beatae Mariae Virginis Conceptionem, Aurelianensis Ecclesia suo Pastore orbata erat. Haecque causa fuit cur praedictarum Vestrarum Litterarum publicatio atque executio ibidem diutius, quam aequum erat, dilata sit.

Nos vero, ubi primum Aurelianensis Ecclesiae gubernacula per Dei et Vestrae Sanctitatis gratiam, Beatissime Pater, tenenda suscepimus, ad hoc nostrum convertimus animum ut piissimis Sanctitatis Vestrae desideriis atque mandatis obsequeremur.

Quapropter episcopales iussiones ad clerum populumque fidelem nostrae dioecesis direximus; et Vestras Apostolicas de Immaculata Conceptione Litteras in omnibus paroeciis legi, et publicas celebrari mandavimus preces, « quo clementissimus luminum Pater suprema

« Divini sui Spiritu luce perfundere, numine etiam afflare Vestram « Beatitudinem dignaretur, ut, in tanti momenti re, illud consilium « suscipere valeretis, quod ad maiorem tum sui sancti nominis glo- « riam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae « utilitatem possit pertinere ».

Et quia Sanctitas Vestra exoptaverat, ut ipsi significaremus « qua devotione noster Clerus populusque fidelis erga immaculatae « Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut « eiusmodi res ab apostolica Sede decernatur; » accersitis et auditis omnibus civitatis nostrae episcopalis parochis et presbyteris, haec ad Vestrae Sanctitatis quaesita respondenda censuimus:

1.° Clerum populumque fidelem Aurelianorum dioecesis, universis totius orbis Ecclesiis consentientem, firmiter tenere ac profiteri Beatam Mariam Virginem absque ulla originalis noxae macula conceptam esse.

2.° Hanc piissimam fidem et publica notorietate pandi et declarari insuper, tum peculiari devotione qua festum Conceptionis Beatae Mariae Virginis concelebratur, tum multis piis confraternitatibus sub titulo immaculatae conceptionis erectis, tum innumeris quae ubicumque coluntur numismatibus imaginibusque in honorem *Beatae Mariae sine labe conceptae;* tum demum verbo *immaculata* quo, in praefatione missae Conceptionis, ex indulto apostolico, omnes apud nos sacra facientes Presbyteri fidem suam erga purissimam Beatae Virginis Conceptionem profiteri ac testari gaudent.

3.° Imo apud omnes persuasum esse doctrinam quae Beatam Virginem ab omni labe peccati originalis eximit, communem esse universae Ecclesiae sensum, ita ut si quis illud Mariae privilegium praesumeret vel in dubium revocare iste et ingens moveret piorum quorumcumque scandalum, et in seipsum pravitatis haereticae suspicionem non modicam concitaret.

4.° In hac porro communi omnium de immaculatae Beatae Mariae Virginis Conceptione, persuasione implicite et eminenter votum contineri, ut res ubique a fidelibus credita, ubique a Pastoribus praedicata sicuti doctrina Catholica, per Ecclesiae et apostolicae Sedis auctoritatem solemni iudicio decernatur.

Quod ad nos ipsos attinet, Beatissime Pater, cum Vestra imprimis noscere cupiat Sanctitas *quid de eadem re sentiamus*, *quidque exoptemus*, profiteri vehementer iuvat unum sensum, unam omnino esse Pastoris gregisque aurelianensis ea de re, de immaculata scilicet B. Mariae conceptione, sententiam.

Declaramus insuper pergratissimum nobis fore si, hac nostra aetate, qua vix unquam fuit ulla miserior, ita nulla forsan Mariae misericordiis abundantior exstitit, aliquod solemne per oraculum apostolicum, et purissimae ipsius Mariae gloria, et pia fidelium devotio erga illam, accipiat augmentum.

Interim, Beatissime Pater, assiduas fervidasque preces apud Patrem luminum fundere nequaquam omittemus, ut Sanctitati Vestrae tale suggerere dignetur consilium, ex quo sui nominis gloria, Beatae Virginis honor et totius Ecclesiae militantis utilitas abundantius valeat procurari.

Ad osculum demum sacrorum pedum provoluti et valde dolentes quod infirmitas unius, qui nobis superest, oculi vetuerit quominus praesentes Litteras propria ipsi manu exararemus, pro nobis et pro clero populoque nostrae curae credito, apostolicam Vestram benedictionem efflagitamus.

Sanctitatis Vestrae, Beatissime Pater,

Orleans 20 Iulii 1850.

Humillimus Addictissimusque in Christo Filius
FELIX *Episcopus Aurelianensis.*

CCCLXXX.

DEL VESCOVO
DI SANTA MARTA [1]

SANTISIMO PADRE

Con fecha 26 del presente mes tuve el honor de escríhir á V. S.d participando que por la Nunciatura Apostolica, que reside en la Capital de la Republica de la Nueva Granada, habia recibido las Letras Apostolicas, espedidas el dia 2 de febrero del presente año, annunciandonos que Vos, venerable y esclarecido Santisimo Padre, os preparabais á hablar en el nombre y con autoridad de aquel á quien representais en la tierra para pronunciar definitivamente lo que todos los fieles deban sentir y creer firmemente á cerca del misterio de la Concepcion de la Virgen Maria nuestra Señora, para lo cual nos excitabais vivamente y nos exortabais á cada uno de nosotros los Obispos del Orbe catolico, para que en nuestras respectivas Diocesis ordenasemos preces publicas para que el clementisimo Padre de las luces se digne iluminaros con la celestial luz de su divino Espiritu, á fin de que en este negocio de tan gran importancia podais tomar aquella resolucion que contribuya á la mayor gloria y alabanza de la Santisima Virgen y provecho de la Yglesia militante.

Ya desde el año de 1843 en union con nuestros venerables hermanos comprovinciales, habiamos elevado al Summo Pontifice Gregorio XVI. (de grata memoria), nuestras peticiones con este mismo fin, y me apresuro á ratificar por mi parte este mi voto y dictamen, acompañado de la ferviente devocion de todo este Clero y

1 Siam dolenti di dover alterare l'ordine nella stampa di queste Lettere, pel ritardo con cui ci pervennero parecchie che sieguono ancora dopo la presente.

del pueblo fiel de mi Diocesis; asegurandoos Santisimo Padre que es tanta, que como os informé en mi carta fecha 26 de Setiembre ya citada [1] se distinguia esta vecindario de Santamarta en la devocion de la Purisima Concepcion de Maria, que reconocia por Patrona principal, hasta llevar por distintivo de suo armas la misma Ymagen de esta divina Señora Ynmaculada. Y como desde el nacimiento de la Yglesia no ha habido siglo alguno en que la Concepcion en gracia de nuestra Señora no haya sido el objeto de su elevacion y de su culto, podemos asegurar que despues de las verdades de la fe no hay una en la Cristiandad mas segura que esta creencia de la Ynmaculada Concepcion de la Santisima Virgen, cuya declaracion se aproezima como un don de la divina Providencia que nos va á conceder este fausto dia. A este efecto he exortado á todos los fieles á redoblar sus fervientes oraciones implorando la celestial luz para que ilumine á todo el Episcopado y principalmente á Vos, Santisimo Padre, que sois la visible cabeza de la Yglesia de quien humildes recibimos Vuestra Bendicion Apostolica.

Santisimo Padre

Santamarta Octubre 3 de 1849.

LUIS JOSE *Obispo de Santamarta.*

1 Non ci è pervenuta alle mani la citata lettera.

CCCLXXXI.

DELL' ARCIVESCOVO

DI EVORA

Beatissime Pater

Litteras a Sanctitate Tua Caietae datas die secunda Februarii anno proximo praeterito (1849) ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos totius Catholici Orbis, gratissimo animo recepi. Impressiones autem maioris gaudii spiritum meum afficerent, si cum illis Litteris notum mihi fuisset, supremum mundi Arbitrum, et Dominum dominantium iam in sua sapientia misericordiaque infinita permisisse ut Tu, Visibile suae Sanctae Ecclesiae caput, Fons et Centrum unitatis, Vicariusque Iesu Christi in terris, inclyta in Tua urbe Roma tranquille commorares, et ab omnibus, ut licet, reverenter, observanterque prosequutus esses. Hoc desiderio, Sanctissime Pater, incessanter sum affectus, ac etiam, firmissime obtestor, totus huius Eborensis Clerus, populusque eodem sensu abundat: Deo Domino Nostro preces dirigere haud omisimus, neque cessamus, ut vota nostri cordis exaudire et adimplere benigne dignetur.

Quoad maximí sane ponderis negotium de quo in praedictis Litteris Encyclicis agitur, scilicet, ut ex solemni Ecclesiae et Apostolicae Sedis iudicio atque Auctoritate decernatur Beatissimam Dei Genitricem, omniumque nostrum amantissimam Matrem absque labe originali fuisse conceptam: non audeo, Beatissime Pater, sinceriter Tibi fateor, consilium, opinionemve emittere, si ad utilitatem, aut opportunitatem generalem eiusmodi iudicii solemnis exoptati respiciam; nam Tibi certe notum magis quam mihi est, quod super eadem gravissima re aliqui Summi Pontifices venerabilis recordationis,

et doctissimi Tridentini Concilii Patres multum, attenteque disceptarunt, et decisionem proferre veriti sunt.

Sanctitatis autem Tuae sapientia, coelestis gratiae lumine collustrata, et virorum pietate, theologisque disciplinis spectabilium prudentia, quibus hoc gravissimum argumentum commissum est, consilium tutius, et accuratissimum adhibere solummodo poterunt, si, et quando solemne iudicium et definitio, de quo agitur, oportebit.

Quod vero ad me attinet, Clerumque populumque Dioecesis meae curae speciatim commissae, asserere firmiter possum omnes ardentissimo animi affectu exoptare, et accepturos decisionem, quae illis Tuis Litteris desideratur. Notoria certe est fidelium totius huius Regni tribus iam abhinc saeculis devotio circa Immaculatam Beatissimae Virginis Conceptionem: a teneris vel annis omnes Dei Genitricem absque labe originali fuisse conceptam confitentur, et tanquam Catholicae Ecclesiae doctrinam, hoc credunt, atque ab institutoribus suis generatim addiscunt.

Nullam ergo novitatem, quoad huius Regni Ecclesias, afferet illa decisio, quae alias cum generali doctrina in iisdem edocta, et publice in alma Academia Conimbricensi prolata, enixeque propugnata, omnino consentit.

Ast, de me nunc peculiariter dicens, semper opinioni firmiter adhaesi Sanctissimam Dei Matrem ab omni originalis peccati labe fuisse immunem. Hoc saepe in publicis concionibus asserui; et nuper in die octava Decembris proxime elapsi, Festo Conceptionis Beatissimae Virginis Deiparae, hanc doctrinam Clero, fidelibusque in mea Cathedrali Ecclesia congregatis palam publiceque enunciavi, ac totis animi sensusque mei viribus propugnavi. Inde videre iam est me Decisionem illam solemnem non tantum exoptare, sed etiam gaudenter suscepturum.

Facultate in Litteris Sanctitatis Tuae contentis suffultus, iam ordinavi, ut Clerus huius Dioecesis Horas Canonicas recentissime compositas Romaeque editas loco earum, quae in communi Breviario continentur, recitare valeat.

Et quoniam mihi nunc compertum est Sanctitatem Tuam, Indul-

to die tertia Mensis Augusti anno proxime finito, Fratribus Minoribus strictioris observantiae discalceatorum Regalium Provinciae S. Petri de Alcantara et S. Paschalis Baylon in Regno Neapolitano concessisse Vigiliam sine ieiunio cum Missa propria in die septima Mensis Decembris, Te, Beatissime Pater, deprecor, ut ad hanc Eborensem Ecclesiam hoc indultum extendere, si Tibi placuerit, digneris.

Interea Deus, omnium Pater et Dominus, Te, sui servum praeclarissimum, et praestantissimum custodiat, vitamque Tuam ab omnibus necessitatibus servet incolumem ad Sanctae Apostolicae et Catholicae Ecclesiae praesidium ac prosperitatem, et ad Christifidelium solatium.

Tu autem, Sanctissime Pater, obtestationes observantiae devotionisque meae, qua Cathedrae Tuae, Petri verae, adhaereo, benigne suscipe; et mihi, ad pedes Tuos advoluto, Apostolicam Benedictionem libenter imperti.

Sanctitatis Tuae

Eborae die 1 Ianuarii anno 1850.

Humillimus et Observantissimus
FRANCISCUS *Archiepiscopus Eborensis*

CCCLXXXII.

DEL VESCOVO

DI MEATH *IN IRLANDA*

BEATISSIME PATER

Ego Ioannes Episcopus Midensis in Hibernia, ea, qua par est, humilitate ac obsequio ad pedes Tuos provolutus, explorato iam atque comperto sensu Sacerdotum atque populi fidelis huiusce Dioeceseos, Sanctitatem Vestram certiorem facere propero, eos mecum firma fide credere Sanctissimam Dei Genitricem absque ulla peccati sorde conceptam fuisse. Illa imbuti sumus opinione, quod nullus omnino sit, qui sat illustria et gloriosa de Maria Virgine praedicare, aut dignitatis eius magnitudinem animo etiam concipere queat; semper abhorruimus ab ista sententia, quae illam, vel ad momentum, tamquam diaboli mancipium et detestabili iugo peccati subditam exhiberet. Si Beata Virgo unquam fuisset labe peccati infecta, si actu in Adamo peccatrix aliquando extitisset, Deus profecto etiam Mariam tamquam impiam odio habuisset. Absit ut hoc credamus.

Existimamus insuper ad hanc singularem praerogativam Mariae dogmatice defendendam, rationes solidas ac sufficientes reperiri, sin minus in sacris Scripturis, saltem in Patribus, in universali consuetudine Ecclesiae atque in communi sensu fidelium iam innumeris indiciis ac documentis publice prodito et contestato. Cumque nobis persuasum sit quod eiusmodi definitio magnopere redundaret in laudem ac gloriam Sanctissimae Dei Matris, ac idcirco in emolumentum universae Ecclesiae, quodque foret Catholicis omnibus gratissima, laetitia maxima certe exultabimus, si Sanctitati Tuae diebus nostris eam edere visum fuerit.

Datori omnium bonorum preces quotidie effundimus, ut Sancti-

tam Tuam in re tam gravis momenti adiuvet atque dirigat; quod et lubentissime et ferventissime praestamus inducti non solum pietate et devotione, qua Beatam Mariam semper Virginem prosequimur, sed et amore, quo erga Sanctissimam personam Beatitudinis Tuae incendimur.

Deum Optimum Maximum ardentissime imploro, ut Sanctitatem Tuam diu sospitem ac felicem servet.

Sanctitatis Tuae,

Datum apud Mullingar, hac 4 Ianuarii die an. 1850.

Obsequentiss. et Devotiss. Servus et Filius
IOANNES CANTWELL *Ep. Midensis, in Hibernia.*

CCCLXXXIII.

DEL VESCOVO

DI CLONFERT *IN IRLANDA*

BEATISSIME PATER

Acceptis mense Augusti iam elapsi Litteris Encyclicis, quibus significavit Sanctitas Vestra quanta consolatione affecta fuerit, ex eo quod in catholico Orbe mirifice revixerit desiderium, ut pia sententia, quae ubique viget, de Immaculata Conceptione Sanctissimae Dei Genitricis solemni iudicio Apostolico consecraretur tamquam ab omnibus necessario tenenda, pro summa obedientia a me debita mandatis Sanctitatis Vestrae, et pro affectuosissima mea devotione erga B. Virginem Mariam, statui preces publicas in hac mea Dioecesi indicere easque peragi curare, quo, Te, Beatissime Pater, Deus Omni-

potens in tanto negotio lumine suo dirigere dignaretur. Utentes tamen ea prudentia, qua singulis Episcopis duci permisit Sanctitas Vestra in huiusmodi precibus ordinandis, eas indicere, usque ad mensem Novembris insequentem distulimus. Degunt inter haereticos qui, sicut inveterato usu assolent, occasionem forsan arriperent convitiandi B. Virgini et Ecclesiam catholicam impeterent apud imperitos quasi articulos Fidei non revelatos e proprio penu condituram, persuasum habui quod me, qui ultimus fui et minimus Episcoporum Hiberniae, deceret expectare donec fratres mei modum et viam agendi suo exemplo ostendissent.

Hinc accidit, quod forsan tardior sum in referendo Sanctitati Vestrae qua devotione noster Clerus populusque fidelis erga Immaculatam Conceptionem B. Virginis sit affectus, quodque sit eorum desiderium ut res absolute decernatur a S. Sede, quidque nos ipsi sentiamus et exoptemus. Moram autem fuisse nec ex defectu zeli pro honore et gloria amantissimae Matris nostrae B. Virginis Mariae, nec ex defectu obsequii demisissimi erga Sanctitatem Vestram exinde patet, quod laete, et animo gratissimo uti festinavimus privilegiis provinciae Tuamensi, dum Romae ageret illustrissimus Metropolitanus noster, concessis; iisque fulti mandavimus in praefatione intra Missam de Conceptione B. Virginis Mariae, et in Litaniis Lauretanis recitandis ea addi verba, quibus indicat Sancta et Apostolica Ecclesia Romana se credere Matrem Dei ab omni labe originalis peccati servatam fuisse. Itemque nitentes Litteris Sanctitatis Vestrae Canonicas Horas de Sanctissimae Virginis Conceptione Romano Clero concessas, ego et universus Clerus Dioecesanus non sine gaudio persolvemus.

Gratissimum equidem mihi est Sanctitati Vestrae referre, in tota hac Dioecesi Clonfertensi, sicut et in omnibus aliis nationis nostrae catholicae Hiberniae, ardentissimo religionis affectu coli Beatam Virginem Mariam. Ipsi famulantur agmina fidelium, qui vel Ordinibus Dominae nostrae de Monte Carmelo, vel sodalitatibus Rosarii adscripti sunt, vel ipsius Cor Immacolatum speciali honore prosequi laetantur. Ad ipsam auxilium capessentes fidenter confugiunt poeni-

tentes: ipsius patrocinii ope gradum in via perfectionis ardua facere expectant pii. Conventus, alter Fratrum Excalceatorum, alter Sororum Monialium Ordinis B. V. de Monte Carmelo in oppido principali florent, fontes uberrimi benedictionum: ibique iam fere paratissimum est Conventum alterum Monialium, quae Sorores misericordiae seu S. Mariae de Mercede appellantur, fundare. Unde, Beatissime Pater, evenit cordate et maximo cum fervore mandatis meis obtemperatum esse, quando preces indixi ut Deus Te dirigat in tuendo illo singulari privilegio vi cuius immaculate concepta pie creditur Virgo Maria, et quo consiliis Sedis de illud, solemni decreto, ipsi vindicando, Deus affulgeat et benedicat. Hinc quoque factum est quod in ordine ad eundem finem Sacrificium Missae ab omnibus Sacerdotibus huius Dioecesis, et a me indigno eius Episcopo, Deo oblatum est, et Sanctissima Eucharistia a fidelibus plurimis cuiusvis ordinis sacramentaliter percepta.

Controversiae circa illud privilegium eximium olim motae prorsus ignari fuere laici nostri, munerisque mei duxi eorum pietatem non offendere ipsis nuntiando quosdam extitisse catholicos qui sentirent Virginem illibatam peccato originali fuisse maculatam; Matrem Dei vel momento temporis fuisse filiam irae, Sponsam Spiritus Sancti vel uno instante faedatam esse mediante spiritu nequam, Reginam Coeli extorrem fuisse regni filii, morsum infernalis serpentis ipsam passam esse cui datum fuit ab initio caput eius conterere: haec a catholicis dicta vix crederent nostrates, simplices Virginis cultores, aut credentes non parum scandalizarentur. Ex his pronum est colligere quam laeti decretum sunt excepturi, quo iudicante Successore S. Petri, ipso capite Ecclesiae, opportune confirmabitur et extra omnem litem in aeternum ponatur gloriosus ille titulus, quo iam per multa saecula Matrem Dei Immaculatam gratulans salutat Orbis catholicus.

Et quoniam dignata est Sanctitas Vestra meam ipsius sententiam de re ista votumque exquirere, qua par est humilitate iudicium meum proferens, respondendum censeo, mentem Ecclesiae adeo manifestam esse ut locus amplius non sit haerendi vel circa ius vel cir-

ca opportunitatem solemne illud decretum emittendi tamdiu et tam enixe postulatum. Nunc citra omne dubium constat Dei Matrem sine labe fuisse conceptam. Testimonia consentanea tot Ecclesiarum per universum Orbem sparsarum hanc sententiam ubique in Ecclesia catholica vigere probavit. Ipsa Domina et Mater omnium Ecclesiarum idem se credere testatur. Dies festi sanciti a Sede Apostolica nescia erroris in ordinem ad hanc piam fidem inculcandam et fovendam, librique liturgici pari intentione approbati satis superque eius veritatem adstruunt. Congruit sacris Scripturis, et plurimis sanctorum Patrum oraculis sustentatur. Illam impetere iamdiu vetitum est. Certissime Episcopi Orbis catholici in suis ad Sanctam Sedem responsis missis aut mittendis expetent hanc veritatem non tantum ab impetitione protegi, sed et ab omnibus tenendam proponi. Equidem S. Sedis Apostolicae decretum ita affermari convenit, ut, dum in tuto ponet ipsam veritatem, nulla nota iniuriosa inurat errores praeteritos in quos lapsi sunt homines etiam pii et docti. Simulque iudicabit S. Sedes Apostolica quomodo revelata censenda sit veritas definienda, utrum scilicet directe vel indirecte, utrum nota fiat mera evolutione alterius veritatis revelatae vel laboriosa deductione indigeat. His omnibus, pro sua sapientia a Sede Apostolica pensatis, et Summum Pontificem dirigente Spiritu Sancto merito definietur Ecclesiam non falli dum iuxta piam, veram atque ab omnibus tenendam sententiam Beatae Virginis ab omni labe immunitatem in primo eius Conceptionis momento celebrandam proponit.

Lubenter adhaeremus iis qui maxima beneficia Ecclesiae universae istam definitionem esse allaturam sperant et censent. In his luctuosissimis diebus, in quibus fere nimis angustiata est Sancta Dei Ecclesia, ope specialissima Beatae Virginis Mariae indiget. Sperandum est, confidendum est, quod permota singulari huius nostrae, in caeteris miserrimae, aetatis obsequio vicem redditura sit singularis patrocinii, quod nos efficaciter proteget ab insidiis hostis antiqui, et Ecclesiae militanti dabit pacifice triumphare de inimicis Filii sui adorandi generisque humani.

Provolutus ad pedes Sanctitatis Vestrae a Te suppliciter imploro,

Beatissime Pater, Tuam Paternam et Apostolicam Benedictionem, mihi impertiri, et Clero universo Dioecesis, et omnibus in ea religioni mancipatis, toti populo fideli, et praesertim cultoribus Beatae Virginis Mariae.

Datum Longhreae in Hibernia die 13 Ianuarii 1850.

IOANNES DERVY *Episcopus Clonfertensis.*

CCCLXXXIV.

DEL VESCOVO

DI VISEN *IN PORTOGALLO*

Beatissime Pater

Sanctitatis Vestrae pedibus, tamquam obediens filius, advolutus, super me, portionemque Iesu Christi gregis, quam virium mearum debilitati committere divinae misericordiae placuit, Apostolicam Benedictionem submisse imploro.

Iam nunc, Beatissime Pater, Sanctitati Vestrae notae erunt gravissimae causae, quae Lusitanae Ecclesiae Pastores coegerunt procrastinare acrem fortissimamque cupiditatem promptius respondendi paterno pioque invitamento a Sanctitate Vestra nobis, atque omnibus Praelatis, et Episcopis Catholicis facto, in veneranda Encyclica Caietae data die secunda Februarii anno millesimo octigentesimo quadragesimo nono. Hodie vero quoniam difficultas iam est soluta, officio cordi meo tam grato, quantum, ut opinor, Iesu Christi castissimae Sponsae iucundissimo, et vere credentium pietati solatium praebituro satisfacere propero.

Hinc iam Sanctitas Vestra videt meum tenue suffragium inclinari

ad difiniendum mysterium immaculatae Conceptionis Sanctissimae Virginis Redemptoris Matris, Angelorum Reginae, et peccatorum refugii.

Ecclesia in suis iudiciis pronuntiandis cauta semper, et prudens, diuturnam circumspectionem servavit circa tanti ponderis materiam, quamquam agnoverit, et commendaverit, ut fidem piam, Conceptionem Sanctissimae Virginis immaculatam, atque ipsi Tridentini Patres, ubi de peccato originali lucidum Decretum statuerunt, illud singularissimum Dei Genitricis attributum agnoscere non dubitarunt: *Beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem*, et declaratio, quam fecerunt, Mariam Sanctissimam in hoc Decreto non comprehendi, plausibile argumentum dat, a labe originali immunem iudicatam esse; maioremque lucem offert doctrina canonis vigesimi tertii eiusdem Sancti Concilli sessione quinta de iustificatione; et in Decretis liturgicis ipsa Ecclesia, etiamque Orientalis, plurimique Pontifices venerandi Sanctitatis Vestrae Praedecessores plenissimum dedere testimonium eiusdem fidei, quae a maxima fidelium parte, tanquam dogmatica iam colitur, atque ab omnibus, fere Academiis Catholicis iureiurando firmatur, et etiam in canonicis ecclesiasticorum beneficiorum institutionibus, ut in hoc Regno fieri solet.

Si, Sanctissime Pater, sacros libros consultaverimus, illic invenimus luminosa fundamenta, quae definitionem mysterii, de quo agitur, sustinerent, talia sunt *caput II, v.° 15 ex Genes., caput II, v.° 2, et caput IV, v.° 6, et 7 ex libro Canticor., et in novo Testamento Angelica salutatio a S. Luca in capite I, v.° 28 relata.*

Si consulimus scripta Sanctorum Doctorum, Ecclesiaeque Patrum, Summorum Pontificum, Theologorumque venerabilium, qui ab usque sancto Iustino Martyre, sancto Irenaeo, et Tertulliano Sanctissimae Virginis immunitatis favere doctrinam, aut sustinuere, in omnibus Ecclesiae aetatibus, invenimus hanc fidem omnia percurrisse tempora, traditione non interrupta, quam ab Apostolis haud temere deducere possumus, quia secundi saeculi Patribus novitatem

iam non attulit, et de ea mentionem faciunt Presbyteri, et Diaconi Achaiae in epistola, in qua sancti Andreae martyrium referunt.

Praeter testimonia tam conspicua, quae humilem nostram opinionem firmant, habemus insuper continuas deprecationes ad Sanctam Sedem delatas a plurimis Praelatis venerandis, Imperantibus, piis Canonicorum collegiis, ab omnibus fere religiosis familiis, a litteratorum Congregationibus, denique a votis prope unanimibus Christi fidelium, qui ab Religionis incunabulis ostendunt in animum induxisse, purissimam Dei Genitricem legis communis sanctioni, singulari privilegio, non fuisse subiectam, propter altissimam dignitatem, cui Spiritus Sancti opera destinata fuerat.

Talia sunt, Beatissime Pater, fundamenta, quae persuasionem nostram firmant, animumque dant ad preces nostras submissas tantorum virorum venerabilium postulationibus accumulandas, ut hanc veritatem, Christi fidelium cordi innatam, Dei Genitrici decorem, atque Ecclesiae solatium praebituram, Sanctitas Vestra, ab alto Vaticani dogmatice definire, et declarare dignetur.

Non me latet, Beatissime Pater, hanc doctrinam in omnibus fere saeculis magis aut minus, ab auctoribus haud contemnendis esse impugnatam, sed quae veritas datur etiam si ab Ecclesia definita, quae impugnationem non pertulerit?

Regnum Lusitanum, quod titulo fidelissimi valde gloriatur ab incunabilis semper dedit indelebilia et perennia testimonia purae, et inconcussae fidei, atque devotissimae observantiae erga Sanctissimam Virginem sub Conceptionis immaculatae augustissimo titulo.

In plerisque huius Regni Civitatibus, pagis, etiamque in agris inveniuntur plurimae sacrae aedes plus, minusve sumptuosae Deiparae sub illo singulari attributo erectae, et dicatae, atque in omnibus Lusitanae ditionis parochiis Conceptionis immaculatae festivitas celebratur generali Christi fidelium frequentia, singularisque exempli pietate: cum dici vere possit venerationem, cultumque peculiarem, quam Lusitani Conceptioni immaculatae praestant, nondum infestum esse moribus huius temporis infaustae pravitatis, quibus di-

vina iustitia in populos animadvertit, quin Sponsae Agni immaculati pepercerit!

Historia Lusitanae Ecclesiae factis prodigiosis abundat, quae exploratum habent hoc Regnum peculiariter protegi potenti subsidio Reginae Angelorum, sub immaculatae Conceptionis invocatione, hincque partim venit cultus grati animi, praecipuaque pietas Regum, Cleri, Procerum, populique Lusitani erga Sanctissimam Virginem sub illo titulo glorioso.

Sub illa pia invocatione Rex Emmanuel, felicis recordationis, classes suas expedivit ad novas terras inveniendas, ubi mores cultos creavit, lignum Sanctissimae Crucis collocans; subque hoc glorioso titulo Ioannes quartus apud tergeminum ordinem Regni in Comitia congregatum, se, familiam suam, totumque Lusitanum imperium Sanctissimae Virginis protectioni commendavit, designans eam Lusitanae ditionis Patronam, iuxta diplomata a Sanctissimo Urbano VIII iam obtenta, faciens tributarium se, Successores suos, totumque Regnum excelsae Virgini sub invocatione illa privilegiata, imperans ut in eisdem comitiis cuncti, cum illi, eiusque filio primogenito iusiurandum darent profitendi, propugnandique, usque ad mortem, doctrinam de Conceptione immaculata, quod ita peractum in eorundem comitiorum acta relatum est.

Cuncti Reges nostri eximia documenta observantiae, firmissimaeque fidei pro immunitate excelsae Patronae totius Lusitanae ditionis, sive magnifica templa condentes, sive amplas donationes facientes, sive tandem efficaciter protegentes, privilegiaque benigne concedentes sodalitatibus, confraternitatibusque in hoc Regno, a decimo tertio saeculo existentibus, sub memorata invocatione, dederunt.

Petrus secundus religiosis Conceptionis Ordinibus in Lusitania concedentibus amplissimas donationes constituit.

Ioannes quintus Papae Benedicto decimo tertio supplicavit, ut de pia fide supremum iudicium pronuntiaret; et haec eadem supplicatio a Iosepho primo, eius Successore, denuo fuit repetita.

Ioannes sextus ab Apostolica Sede postulavit et obtinuit varia diplomata, quae alia privilegia concessere insigni Basilicae Beatissi-

mae Mariae Conceptionis Villavissosae, in natali solo antiquorum Bragantiae Ducum, unde Lusitani Reges originem ducunt, atque die sexta Ianuarii anno millesimo octingentesimo decimo octavo in eadem Basilica ordinem militarem Conceptionis immaculatae creavit, quem amplissimis honoribus, insignibusque decoravit, tandemque Regina fidelissima, quae cum sceptro pietatem simul, fidemque maiorum suorum haereditario iure accepit, iam anno millesimo octigentesimo quadragesimo quarto a Sanctitatis Vestrae Praed. postulavit, ut in praefatione Missae Sanctissimae Virginis gloriosam Conceptionis Immaculatae invocationem addere permitteretur, quod Sanctitas Vestra iam benigne concessit universae Ecclesiae una cum officio novo Conceptionis immaculatae, quod ego in tota mea dioecesi admitti iubeo.

Enimvero, Sanctissime Pater, affirmare haud dubito Capituli huius Ecclesiae Cathedralis, Cleri, Christique fidelium huiusmodi dioecesis vota meae, venerationem cultumque, quem praestant Sanctissimae Virgini sub immaculatae Conceptionis titulo, fidemque, quam alligant illi peculiari immunitati evidenter significare sua pissima desideria: illi vero supplicationibus meis adiuncti gratissimam spem concipiunt Sanctitatem Vestram, ab alta sapientia sua, supremum iudicium libenter pronunciaturum de veritate Christi fidelium cordi ingenita, quae observanter colitur, tanquam si dogmatice iam fuisset definita; et ut Divinus Consolator in solutione tam gravis ponderis Sanctitatem Vestram illuminet, preces publicas in omnibus huius dioecesis Ecclesiis indicere curo, ut Sanctitas Vestra praecepit, et ante altaria sacra non omittam munus debitum implorandi divinam misericordiam super Sanctitatem Vestram, et super castissimam Iesu Christi Sponsam moestitia et maerore confectam his nostris infaustissimis diebus.

Beatissime Pater, Sanctitatis Vestrae pedes submisse osculatur

Visonii in Lusitania Idibus Ianuarii, 1850

Subiect. ac Obed. Filius Vester in Domino
IOSEPUS *Episcopus Visensis in Lusitania.*

CCCLXXXV.

DEL VESCOVO

DI VANCOUVER *NELL' OREGON*

TRÈS-SAINT PÈRE

J'étais dans le Canada, en route pour me rendre auprès de Votre Sainteté et lui payer le tribut de mes plus humbles respects, lorsque m'est parvenue la Lettre Encyclique, qu'Elle adressait à tous les Evêques de la chrétienneté, les informant du dessin que Vous aviez conçu de porter enfin un jugement dogmatique sur l'Immaculée Conception de Marie Mère de Dieu et toujours Vierge, en demandant en même temps le secours des prières des fidèles dans une chose d'une aussi grande importance. Cette Encyclique, Très-Saint Père, je l'ai reçue avec un profond respect et en même temps avec une joie bien grande; trop heureux de pouvoir correspondre à Votre zèle pour la Mère de Dieu par une prompte adhésion à un point de doctrine, sur lequel il Vous aura été réservé de prononcer un jugement solennel et dogmatique, qui va combler de joie des millions de Catholiques, qui tous d'une voix proclament Immaculée dans sa Conception Celle que Dieu le Père a choisie pour l'élever à la sublime dignité de Mère de son fils Sauveur du genre humain. En adhérant pleinement et entièrement à la décision que Votre Sainteté prononcera, je ne crains pas de me tromper, parceque le Divin Fondateur de la Religion est avec Pierre dans Votre personne sacrée, et en priant que la foi de Pierre ne défaille pas, il a prié pour la Vôtre. Il a été, il est, et il sera avec ses Apôtres et leurs legitimes Successeurs jusqu'à la fin des siècles. Prosterné aux pieds de Votre Sainteté, je me hate d'unir ma voix, mes voeux et mes désirs à ceux des autres Evêques de la Catholicité pour vous conjurer

de prononcer, en vertu de la plénitude de ce pouvoir que la Sainte Eglise a constamment reconnue au Vicaire de Jésus-Christ, Marie Mère de Dieu et toujours Vierge immaculée dans sa Conception. D'ailleurs l'Eglise éclairée et guidée par le S. Esprit, n'a-t-elle pas suffisament approuvé cette doctrine en accordant à Marie un culte aussi universel et en instituant un aussi grand nombre des Fêtes en son honneur? Dans le Canada, lieu da ma naissance, nos pères ont transmis cette pieuse croyance à leurs enfants dont la dévotion envers Marie et son coeur Immaculé a été et est encore aussi ardente que si elle eut été appuyé sur un article de Foi divine. Dans l'Orégon, où le Seigneur a eu l'extrême bonté de se servir de mon ministère pendant dix ans, les Canadiens ne cedent pas à leurs frères du Canada en dévotion et en confiance en la Mère de Dieu. Les huit mille sauvages, qui y ont déjà embrassé la Foi, ont aussi une singulière dévotion à la très-Sainte Vièrge, portant tous un chapelet à leur cou.

Oh! dans ce temps de déchainement des passions humaines, dans ce temps où l'enfer semble avoir declaré la guerre contre Dieu et contre son Christ, l'Eglise n'a-t-elle besoin de la puissante entremise de Marie? n'est-il pas réservé à son intercession de la faire sortir triomphante de la lutte terrible que le Seigneur a permis à ses ennemis de lui susciter? Ne sera ce pas le coeur Immaculé de la Mère, qui jettera des soupirs assez forts pour éveiller le Fils qui semble dormir dans la Barque pendant qu'elle est exposée à être submersée par les flots de la tempête ?

Hatez le moment, Très-Saint Père, où de retour dans la ville éternelle, et assis de nouveau sur la Chaire de Pierre, Vous porterez un décret, que toute la Catholicité appelle de ses voeux les plus ardens; elle Vous bénira, elle redoublera ses prières pour Votre prompt rétour au milieu de Votre peuple. Devenu grand par Vos malheurs, Vous le deviendrez encore davantage en Vous rendant aux voeux des fidèles dont la piété envers Marie et la croyance en sa puissante protection ne seront pleinement satisfaites que lorsqu'elles seront appuyées sur un article de Foi divine et par consequent immuable.

Comme l'Archevêque d'Orégoncity et l'Evêque de Wallavalla ne pourront de sitôt faire parvenir leur réponse à Votre Sainteté, je crois pouvoir d'avance me porter comme l'organ de leurs sentiments, conaissant parfaitement leur dévotion pour Marie et leur désir de la voir exaltée de plus en plus.

Maintenant, Très-Saint Père, en attendant que j'ai le bonheur d'être admis auprès de Votre personne sacrée, je profitterai de cette occasion pour Vous exprimer la douleur profonde dont mon âme a été pénétrée en apprenant la conduite si étrange d'une partie de Votre peuple envers son Pontife-Roi, d'un peuple qui a payé par l'ingratitude la plus monstrueuse, la plus barbare, des liberalités et des largesses, qu'il n'avait même pas lieu d'attendre de la bonté paternelle de Votre coeur. Il a porté sa fureur jusqu'à verser le sang d'un pieux prélat dont le seul crime était son inséparable attachement à Vous; un poignard sacrilège a fait tomber à Vos cotés Votre prèmier Ministre; et l'infâme assassin, on l'a applaudi, on l'a proclamé comme le héros de la liberté du peuple, témoin stupide d'un spectacle aussi affreux.

Oh! de quelles douleurs mon coeur a été rempli en arrivant dans Rome ou mes désirs m'appellaient depuis si long temps et de ne pouvoir pas aller immediatement rendre mes hommages à Celui que j'ai toujours régardé et révéré comme le Représentant de Jésus-Christ sur la terre! Que le ciel se laisse donc fléchir, qu'il écoute favorablement les prières qui lui sont adressées en Votre faveur, et qu'il prépare enfin les voies pour Votre prompt rétour dans la Ville Sainte.

C'est le voeux le plus ardent de celui qui demande humblement la faveur de se souscrire

De Votre Sainteté

Rome, 21 janvier 1850.

Le plus Dévoué et le plus Respectueux Serviteur
MOD. *Ev. de l'Ile Vancouvers.*

CCCLXXXVI.

DEL VESCOVO
ELETTO DI FUNCHAL

BEATISSIME PATER

(*Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus Apostolicam benedictionem suppliciter exoro.*)

Ut Apostolicae Sedis solemni iudicio decerneretur, Beatissimae Virginis Dei Genitricis Mariae Conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem; nec non ut in sacra liturgia, ac praesertim in Praefatione Missae de eiusdem Beatissimae Virginis Conceptione vocem « Immaculatam » palam publiceque nuntiare et addere liceret; quamplurimi Antistites, Canonicorum Collegia, et Religiosae Familiae, iteratis supplicationibus ad Romanam Sedem postularunt: prout latius continetur in Litteris datis Caietae die 2 Februarii an. 1849.

Quoniam vero in re tanti momenti desiderat Sanctitas Vestra illud suscipere consilium, quod ad maiorem tum Sancti Dei Nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere; excitantur in dictis litteris omnes Episcopi non solum ut in propria Dioecesi publicas preces indicendas curent, quo clementissimus Pater Coelestis suae gratiae lumine mentem Sanctitatis Vestrae collustrare velit, ut cognoscere possit quid sit peragendum; sed etiam qua devotione suus clerus populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Apostolica Sede declaretur, Sanctitati Vestrae significent; simulque de re ipsa quid iidem Episcopi sentiant, quidque exoptent.

Post praedictas preces indictas in hac Caliobrigensi Dioecesi, cuius regimen mihi a Capitulo, Sede Vacante, commissum fuit anno 1846, et quod adhuc retineo ex provisione D. Ioachimi Pereira Ferraz, modo confirmati Episcopi Brigantini, significare possum Sanctitati Vestrae omnem Clerum et populum huius Dioecesis maximo studio incumbere ad procurandam gloriam et honorem Beatissimae Virginis Mariae, ad quam sicut in cunctis periculis et necessitatibus omnes velut ad matrem recurrunt, ita omnia eius festa sub quolibet invocationis nomine solemnizare, cultumque augere, singulari pietate et obsequio curant: ac speciatim erga immaculatam Conceptionem Virginis, quae sub hoc titulo Patrona est Lusitaniae, adeo religiosa devotione sunt animati, ut plerique eam doctrinam tanquam dogma ab Ecclesia iam declaratum credant: et magno scandalo afficerentur si aliquod dubium in hac re suscitaretur.

Quod ad me attinet, tanquam Episcopus Electus Funchalensis, non quidem ullis meis meritis, sed sola dignatione et gratia Fidelissimae Reginae Mariae Secundae; ac proinde non solum novissimus, sed etiam minimus Electorum, inter tantos praeclarissimos Praesules vix obolum meum offerre possum ad coadiuvandam hanc piam sententiam; seu potius ad explendum iuramentum, quod praestiti in Universitate Conimbricensi, me publice et privatim defensurum Immaculatam Conceptionem Dei Genitricis Virginis Mariae: in cuius favorem licet pauca, de puro tamen corde breviter sequentia dicam.

Prophetiam de muliere, quae cum serpente, et eius semine inimicitias perpetuas servatura erat, omnes sacri interpretes de Maria Redemptoris Matre intelligunt: cui dum potestas datur conterendi caput serpentis, hoc ipso praenuntiatur illius plena victoria in daemonem sub specie serpentis, cuius suasu peccatum inductum est in mundum. Haec autem victoria mulieris perfecta censeri non posset, si ipsa aliquando peccati vinculis constricta fuisset, ac vel etiam primo momento suae existentiae, in eadem daemonis captivitate conciperetur.

Deus est omnipotens, providentissimus, ac bonorum omnium

conditor ; et quidquid vera ratione melius tibi occurrerit scias Eum fuisse, ait S. Aug. *de liber. arbitr.* : cum autem Maria ab aeterno electa fuisset ad matrem Salvatoris , nihil verae rationi magis consentaneum videtur, quam ut Deus non solum ornar et Electam iis naturae ac gratiae dotibus , quibus creaturas omnes antecelleret , sed etiam a communi sorde peccati servaret illibatam , veluti aedem in qua corporaliter habitare decreverat. Sane si Deus creavit immaculatam primam mulierem , quae mater hominum futura erat , quaeque diabolo seductori indulgens causa fuit nostrae ruinae ; quanto magis debuit creare immaculatam illam, quam ab omni aeternitate destinaverat matrem sui Unigeniti, et quae Angelo nuntianti obsequens causa fuit nostrae salutis ? Neque enim decebat Filium Dei assumere carnem humanam in creatura ubi per unicum momentum daemon habitasset ; neque relationes , quas Divina Maternitas contraxit cum singulis Sanctissimae Trinitatis Personis, scilicet ut filia Patris, ut mater Filii, ut sponsa Spiritus Sancti, permittunt in illa cogitare originis peccatum, quod, cum Mariam filiam irae faceret , diaboloque manciparet, nullatenus componi potest cum tanta dignitate Dei Genitricis.

Siquidem Maria, eo ipso quod ab initio et ante saecula praedestinata, Auctorem vitae genuit et peperit, mater omnium viventium secundum spiritum effecta est : ac proinde nunquam vita spiritus et gratiae deficere debuit in ea , quam Angelus salutavit plenam gratiae, et benedictam inter mulieres. Tum virtutes, tum vitia patrum quodammodo in filios reflectunt : quoniam autem ex voluntate Iesu Christi pendebat electio suae matris ; dici nequit sine offensione bonitatis et sanctitatis Filii , electam aliquando habuisse vel minimum defectum, de quo Filius poterat illam praeservare. Praecursor Domini sanctificatus fuit in ventre matris suae : quid ergo mirum si aliquid excellentius matri ipsius Domini tribueretur, sanctificando illam in actu conceptionis ?

Ecclesia Catholica , quae est columna et firmamentum veritatis , ubique proclamat Mariam Reginam Angelorum : atqui ii Spiritus sine macula , immo in puritate et sanctitate creati sunt ; majorem

ergo puritatem et sanctitatem illi, a qua praesidentur, tribui necesse est. Nec minus Ecclesia excludit Mariam ab omni imperfectione, in laudibus, quas velut a Spiritu Sancto directa illi tribuit, dicens eam « mulier amicta sole; lilium inter spinas; thronus, et tabernaculum Altissimi ab Ipso sanctificatum; tota pulchra es et macula non est in te etc. »

Ad unanimem consensum fidelium, qui hoc privilegium Mariae tribuit, quique in rebus fidei haud levem facit fidem, accedit auctoritas multorum Sanctorum Patrum, et Pontificum Romanorum, nec non Concilii Tridentini, quod, dum in Decreto de peccato originali Mariam Virginem includere non intendit, in hac ipsa exceptione regulae generalis declarationem indirectam huius doctrinae facere videtur.

Denique praetermissis aliis rationibus, quae ex sacris liturgiis, et communi sensu tum Pastorum, tum fidelium in celebratione festi Conceptionis adduci possunt ex tempore immemorabili: sat erit significare Sanctitati Vestrae zelum christianum, fervoremque devotionis totius Cleri et populi huius Dioecesis in amantissimam Matrem et Virginem Mariam; cuius Immaculatam Conceptionem sicut de facto iam ipsi venerantur, ita desiderant a Sede Apostolica tanquam Dogma declarari: id est animam Mariae in sanctitate creatam, in momento quo iuncta fuit corpori in ventre matris suae, ab omni labe originalis peccati per gratiam specialem praeservatam fuisse. Sic sentio: et pro huiusmodi declaratione libenter gloriabor.

Sanctitatis Vestrae

Caliobrigae die 22. Ianuarii an. 1850.

Humillimus et Devotissimus Servus
EMMANUEL MARTINS MANSO *Episc. Electus Funchalensis.*

CCCLXXXVII.

DEL CARD. ARCIVESCOVO
DI OLMÜTZ
E DEL VESCOVO DI BRÜNN *IN MORAVIA*

BEATISSIME PATER

Litterae Apostolicae dd. Caietae die 2 Februarii anno 1849 a Sanctitate Tua ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos totius catholici orbis directae, quibus Cleri ac populi fidelis circa dogmaticam sententiae de Immaculata Beatissimae Virginis Mariae Conceptione pronunciationem sensa exquiruntur, mense Aprili ad finem vergente ad nos humillime infra scriptos Moravorum Provinciae Episcopos pervenerunt, unde Sanctitas Tua clementissime ignoscere dignabitur, si intuitu summi, quod quaestioni praefatae subest, momenti post institutam maturam rei deliberationem nunc demum mandato Apostolico pretiosissimo, quod profundissimo cultu veneramur, satisfacere festinamus.

Iam devotionem quod attinet, qua Clerus populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem animatus est, ingenue asseverare valemus, ubique in Moravorum communitatibus catholicis infucatam vigere pietatem atque devotionem, colendi ac celebrandi Beatissimam Virginem, praeveniente Spiritus Sancti gratia, a peccato originali praeservatam, innumerosque Ecclesiae filios atque sinceros cultores existere, qui ardentissimo in Angelorum Reginam flagrant amore, privilegio praefato condecoratam, ita ut gratulari nobis liceat de ferventissima veneratione, qua praesertim maxima Cleri pars Dei Genitricis Immaculatae Conceptionis mysterium prosequuntur, et fidelium sibi concreditorum mentes ad similem tener-

rimam devotionem informare satagunt. Cohaeret enim huius mysterii cultus nexu intimo cum fervore, quo harum regionum incolae, ex quo Christianae Religionis confessioni adstipulantur, in Dei Parente veneranda atque in eiusdem cultu amplificando nunquam non excelluerunt, atque in vinea Dominica operarii filiolos ab Ecclesia sibi commendatos Marianae pietatis lacte fovere et educare iugiter inclaruerunt, ita ut ubique, sicut in caeteris communis christianorum Matris praerogativis colendis, ita in specie eiusdem Immaculati Conceptus veneratio eluceat.

Renovata fuit haec peculiaris privilegii Mariani veneratio, postquam ad instantiam nostram per Sacram Rituum Congregationem anno 1844 ad Olomucensem et Brunensem Dioecesim extenderetur Indultum aliis Dioecesibus iam concessum, addendi nempe Praefationi Missae Conceptionis Beatae Mariae Virginis verbum « Immaculata » adeo ut legi valeat: « Et Te in Conceptione immaculata », insuper et addendi Litaniis Lauretanis post versum « Regina Sanctorum omnium » istud Deiparae encomium, nimirum: « Regina sine labe originali concepta », quod indultum, impensiori Beatissimae Deiparae cultui ac speciatim Immaculatae eiusdem Conceptionis providere cupientes, Clero ac populo nostro fideli communicavimus ac ubique in regionibus nostrae iurisdictioni subiectis observari fecimus.

Nec minus maximo solatio extitit, quod in Moravorum regionibus Archiconfraternitas illa percelebris plurimos numeret sodales, quae ad impiorum animos a scelerum contagione liberandos saluberrimo sane consilio Parisiis primum instituta Immaculatum Cor Virginis Deiparae praecipuo cultu atque obsequio veneratur et in nostris quoque dioecesibus cum latissimis fidei ac bonorum operum fructibus profundiores in dies in populo catholico radices agit.

Viget itaque ac floret, Sanctissime Pater, in provincia, cuius curam pastoralem nobis commissam habemus, cultus ille, quem tenera fidelium pietas inde ab antiquissimis temporibus Beatissimae Virgini Deiparae impendere consuevit, cum utique persuasum sit omnibus ab orthodoxa fide non dissentientibus, Beatissimam Virgi-

nem, ex qua ortus est sol iustitiae, Christus Deus noster, plurimis ex titulis excellentiori prae reliquis Sanctis veneratione, laude ac cultu dignissimam existere, innumeraque divinae gratiae beneficia in illas tum personas tum regiones dimanare, quae hyperduliae officiis largiora devotionis pensa dedicarunt. In cunctorum porro catholicorum Moravorum conscientia versatur peculiaris ille cultus hyperduliae titulus, Conceptio nimirum Beatissimae Dei Genitricis Immaculata, quam etsi dogmatice hucusque haud definitam, nunquam non pie credidit Ecclesia, declarante Sancta Synodo Tridentina (*Sess. 5 decret. de peccat. orig.*); non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi propositiones universales, quibus Apostolus ad omnes homines extendit primigeniae noxae propagationem, continentur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.

Et sane decuit illam a communi generis humani sorte per Adae peccatum contracta exemptam manere, quam Deus pro reconcilianda suo auctori humana natura, lapsu primi hominis aeternae morti obnoxia, sui Unigeniti habitaculum Sancti Spiritus praeparatione constituit, ex qua carnem nostrae mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, et Immaculata Virgo nihilominus post partum maneret.

Propterea porro, quod, ut S. Patres loquuntur, ex immaculata, illibata et virgine terra primus homo creatus fuerat, necesse fuit, ut ex mundissima, prorsus Immaculata Virgine perfectus homo nasceretur, quo Filius Dei, qui antea condiderat hominem, eidem vitam aeternam, quam per Adamum perdiderant homines, repararet. Quare Sancta Dei Genitrix ab antiquis immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima Virgo vocatur; quae Dei sponsa et Domina nostra est, inviolata, integra, planeque pura ac casta, quae nihil terrenarum affectionum admisit, dum lilium sit medias inter spinas germinans, atque eum in modum, quo mollis rosa ex acutis spinis intacta exurgit, pura intactaque e temerata Evae stirpe prodiit. Revera non potest cum dignitate Dei Genitricis simul consistere originalis peccati

macula, quae candidissimam Dei Matris animam infuscaret, imo lethali inficeret veneno, irae filiam faceret, diabolo manciparet, morte spirituali perderet. Quanam enim ratione, Maria, si originali infecta exstitisset labe, Virgo declarari posset in omni genere sanctitatis perfecta, lampas, circa quam nullum umbrae vestigium cernimus, mulierum egregia, e virginibus electa, praeclarum naturae nostrae ornamentum, gloria luti nostri, quam concupiscentiae fumus non attigit neque voluntatis laesit vermis? Certe, quae ex sensu universae Ecclesiae, docente S. Synodo Tridentina, nullo umquam vel levi peccato inquinata fuit, eodem speciali ac singulari Dei privilegio fomite ex primigenia contagione derivato caruit, quapropter S. quoque Augustinus, dum de peccato agitur, de Beata Virgine Maria propter honorem Domini nullam prorsus habere vult quaestionem, eique uberioris gratiae collationem ad vincendum omni ex parte peccatum vindicat, quae concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.

Patet ex hisce, quae omnia quavis occasione debita sollicitudine fideli populo per curiones explicantur ac fuse enucleantur, qualis sit et esse debeat gregum nostrorum circa Immaculatae Beatissimae Virginis Conceptionem sensus atque devotio. Persuasi sunt nobiscum fideles curae nostrae pastorali commissi, Beatissimam Dei Genitricem in passiva, quam vocant, Conceptione sua, labem originalem haud contraxisse; potius in ipso animationis momento per gratiae sanctificantis largitionem a culpa originali immunem mansisse; cuius piae persuasionis germen ac veluti semina Sacra Biblia ac primitiva Traditio continent, cuius filum historia teste numquam fuit intercisum, imo per liturgias, festi Conceptionis Beatissimae Virginis institutionem, pastorum sacras conciones et devotum fidelium sensum longius in dies productum fuisse, absque negotio demonstratur.

Quum iam Ecclesia saepius, occurrente graviori ansa, ea quae in Verbo divinitus revelato implexe ac adumbratim delitescunt, palam fecerit atque tamquam dogma credendum fidelibus proposuerit: haud

dubitandum, quod eodem modo circa piam de Immaculata Beatissimae Virginis Mariae Conceptione fidem procedere valeat, quum sententia isthaec talibus ac tantis instruatur veritatis notis, quibus dogmaticum eiusmodi decretum omnino suffulciri valeat, insuper universi Christiani populi consensio praesto sit de praefata Beatissimae Deiparae praecellente super creaturas omnes praerogativa et sanctitate, nec non de absoluta Eiusdem a quovis peccati, originalis quoque, vitio immunitate.

Nihilominus humillime infra scripti in eam haud ire possunt sententiam, ut iam inpraesentiarum pium istud assertum Decreto Pontificio inter fidei dogmata constituatur. Ratio gravissima, qua post habitam maturam deliberationem atque superni luminis fervidam implorationem taliter iudicare commotos se sentiunt, ex regionum, quarum Ecclesiis praesunt, difficillimis circumstantiis depromitur. Impune hisce in locis grassatur vaferrima haeresis, quae avidissime quamcumque Ecclesiam catholicam criminandi ansam arripere consuevit. Inter diversos, quibus fideles ad sua castra allicere nititur, praetextus et ille numeratur, quo, certe absque omni solido fundamento, Ecclesiam catholicam pro suo lubitu nova dogmata condere blaterant. Quodsi ex solemni Sanctae Sedis Apostolicae iudicio hisce temporibus Beatissimae Virginis Conceptus immaculatus, ceu Ecclesiae catholicae doctrina dogmatica definiretur, procul dubio incriminatio isthaec falsissima in medium prolata multos in fide catholica minus firmos ad vacillationem cum magno animarum periculo deduceret. Periculum hoc eo magis in considerationem trahi debet, quum hucusque a multis catholicae Ecclesiae fidelibus Immaculata Beatissimae Virginis Conceptio per erroneam rei propositionem solummodo tamquam pia *opinio* considerata fuerit, proinde non sine animorum turbatione fieri posset, ut quod sibi, quamvis de veritate persuasi ac non dubitantes ad hodiernum usque diem opinari tantum videbantur, dogmatis catholici instar venerari adigerentur.

Consilium propterea nostrum, quod hisce ingenue pandimus, eo

tendit, ut res, donec circumstantiae mutentur, in statu suo permaneat. Fideles de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione plane non dubitant, mysterium istud maiori in dies cultu prosequentur, proinde ex capite veritatis non agnitae animarum salus plane non periclitatur, dum e contra pericula non contemnenda evitantur, quae ex dogmatica veritatis pronuntiatione a Sancta Sede Apostolica profecta rationabiliter pertimescenda veniunt.

Isthaec rerum conditio causa fuit, ex qua humillime infra scripti Sanctitatis Tuae hortamentum exequi haesitarunt, prudenter aestimantes, publicarum precum in suis dioecesibus pro consequenda superna illustratione ad consilium hac in re capiendum indictionem absque Religionis Sanctaeque Sedis Apostolicae detrimento suscipi haud posse; gratanter vero facultatem illam gratiosissimam sibi applicabunt, qua Sanctitas Tua clementissime indulsit, ut universus Dioecesium Moravicarum Clerus peculiares canonicas Horas de Beatissimae Virginis Conceptione recentissime compositas loco earum, quae in communi Breviario continentur, sine praegressa Sacrae Rituum Congregationis venia persolvere possit.

Caeterum Moraviae Episcopi dulcem eriguntur in fiduciam, fore ut in gregibus pastorali suae sollicitudini concreditis aucti in dies ac multiplicati sanctae Dei parentis cultus fructus non desint praeclari, sentiantque Dei Genitricem gratia plenam pro se suisque perdilectis oviculis intercedere, cuius virginitate fecunda salutis aeternae praemia fidenter praestolari licet, cum Ipsa via misericordiae, mater gratiae et pietatis, amica humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix, pervigil ad Regem, quem genuit, intercedens gratanter salutetur.

Neque cessabunt, sicut hucusque, quotidie ad Patrem omnis misericordiae, Deum Optimum Maximum supplices extollere manus, ut Sanctitas Tua universae Ecclesiae militanti praesidens, per intercessionem Virginis absque macula conceptae disiectis procellarum Petri naviculam concutientium turbinibus ad universi Orbis catholici diutinam felicitatem diu feliciterque sospitetur, Apostolicae Be-

nedictionis largitionem supplicantes iugiter in Pedum osculo emorituri

Sanctitatis Tuae

Viennae die 14 Iannuari a. r. s. 1850.

Humillimi ac Obedientissimi Filii
MAXIMILIANUS IOSEPHUS *Archiepiscopus*
ANTONIUS ERNESTUS *Episcopus Brunensis*

CCCLXXXVIII.

DEL VESCOVO
DI GUASTALLA

Eminenze Reverendissime [1]

Mi pervenne, sono già più mesi, l'ossequiatissima Lettera Enciclica diretta a tutti gli Ordinari dell'Orbe cattolico, con cui il Sommo Pastor de' Pastori, l'immortale, l'eroe del secolo, Pio IX, dalla terra del doloroso suo esiglio chiedeva di essere informato se fosse per riuscire cosa gradita e cara, sì ai Vescovi e ai loro Capitoli, e sì ai Parrochi ed ai Fedeli raccomandati alle loro cure, che dove ne fosse dal Santo Divino Spirito indettato, pronunciasse definitivamente dall'alto dell'infallibile sua Cattedra di verità, doversi per lo innanzi tenere in conto di vero Dogma della cattolica Chiesa di G. C. che la Madre purissima dell'Incarnato Verbo Divino Maria Santis-

1 Non apparisce dall'originale se a tutto il S. Collegio o a qualche Congregazione particolare sia diretta questa lettera. Noi ci contentiamo di riportarla fedelmente.

sima fu *ab aeterno* privilegiata e renduta immune dalla colpa originale. La decrepita mia età, e la di spesso non ben ferma mia salute mi hanno tolto di potere più presto fare per iscritto palese così il mio, come il voto del mio Clero e del popolo della mia Diocesi già da lungo tempo da me esplorato. Ma benchè sia ora omai tardi, non mi tengo sciolto perciò dal dovere impostomi dalla sempre venerata Enciclica di Sua Santità. Per il che mi affretto di umiliare all'Augusto Trono del Supremo Gerarca, essere sì radicata tanto nel cuore del mio Capitolo, quanto in quello dell'altro Clero e del popolo, la pia credenza dell'Immacolata Concezione di Maria Santissima, e sì antico il culto, che a lei rendesi in tutte le Chiese di questa piccola Diocesi; non che così divoti gli altari, che ab immemorabili le furono eretti nella più parte de' nostri Templi, che non pure tornerebbe gradita, ma che sommamente da tutti sospirata è la menzionata diffinizione.

In quanto poi a me confesso, che il peso degli argomenti, recati in mezzo da dotti e pii e gravissimi teologi a favore dell'Immacolato Concepimento di Maria Santissima, mi è sembrato sì rilevante, che sarei già inchinato a tenerlo di buon grado siccome un vero dogma, se non me lo divietasse il sapere, che non è lecito al cattolico il credere come un articolo di Fede, se non se quello, che chiaramente risulta dalla divina Scrittura e dalla costante tradizione, o che come tale viene proposto dai sacrosanti Concilii, o dalle Pontificie diffinizioni. Per la qual cosa, dappoco quale pur sono, non tardo punto ad aggregarmi al novero de' venerabili e pii Pastori, i quali intendo con somma gioia avere instato presso Sua Beatitudine per la desiderata dichiarazione.

E per verità se l'Immacolata Concezione della B. V. Maria, che nella Chiesa è senza fallo nello stato di credenza universale, non fu per anco diffinita come un dogma della Fede, per qual ragione, non lo si potrebbe oggidì diffinire? E che manca all'autorità infallibile per diffinirlo? Manca forse il lume? Manca il potere? No certamente. E se tutti generalmente i Pastori della cattolica Chiesa porgono preci al Vicario di Gesù Cristo affinchè pubblichi solennemente que-

sto dogma, se l'Augusto veneratissimo Pio IX riconoscendo i voti universali conformi ai desiderii del suo cuore, e alle ispirazioni dell'assistenza del Divino Spirito, che gli fu promessa, compie questo grand'atto del glorioso suo Pontificato, qual buon cattolico potrebbe non allegrarsene? E che mai potrebbe, chi non sia sfornito di buon senno, ritrovar da riprendere in questo maestoso esercizio della suprema facoltà di diffinire? Della suprema facoltà, io dicevo, fuor d'ogni dubbio ognor permanente e sempre mai presente nella Chiesa di Gesù Cristo sino alla consummazione dei secoli?

Umiliato per tal modo il mio voto e quello del mio Clero e de' miei diocesani al trono di Sua Santità, rimane adesso, ch'io La ragguagli di avere con ogni sollecitudine adempito l'altro comando, col quale mi veniva imposto di pregare e di far pregare il Santo Divino Spirito, affinchè piacciagli infondergli nella mente i lumi e le grazie più opportune, de' quali è uopo per la grand'opera, alla quale pensa di accingersi. Sia Egli dunque l'inclito zelantissimo Supremo Pastore per la benignità, che imploro delle EE. VV. RR. fatto consapevole, che, come presi cura di ordinare ferventi suppliche in tutte le mie Parrocchie, affinchè degnasse il pietoso Iddio benedire alle armi delle cristiane Potenze, che mosse da celeste spirito imprendevano a combattere e sconfiggere i nemici della Santa Sede e dell'empiamente assalita Sposa di Gesù Cristo; così non ho omesso di prescriverne di caldissime, perchè ottenga la venerata Sua Santità di essere assistita e confortata dei supremi aiuti occorrenti per la sì rilevante suprema diffinizione, cui per la preossequiata Lettera Enciclica facea noto di essere in procinto di pronunziare. Se non che figlio, quale mi glorio di essere, ossequiosissimo e affezionato quanti altri mai alla Suprema Sede della cattolica Religione, ho stimato inoltre essere mio debito l'imporre a tutti i miei Sacerdoti di aggiungere nella S. Messa la colletta *Deus omnium fidelium pastor et rector*, onde voglia Dio nella sua Misericordia spianar la via al già troppo ambascioso comun nostro Padre a poter ritornare quanto prima sicuro e prospero all'eminente suo Soglio, e di là attendere a reggere tranquillamente il caro gregge affidatogli da Gesù Cristo.

Supplico le Eminenze Vostre Reverendissime di far sì, che venga da Sua Beatitudine accolto umanamente il buon volere per cui mi sono studiato di adempire il meglio che ho saputo, i cenni manifestati nella già commendata sua Enciclica; e che degni compartire alla povera mia persona, non che ai fedeli raccomandati alle deboli mie cure la Paterna sua Benedizione, che genuflesso ai suoi piedi santissimi umilmente imploro.

Delle Eminenze Vostre Reverendissime

Guastalla 25 Gennaio 1850.

Umil. Dev. Obbl. Servo
PIETRO *Vesc. di Guastalla.*

CCCLXXXIX.

DEL VESCOVO
DI LEIRIA *IN PORTOGALLO*

SANCTISSIME PATER

Supra modum gavisus in Domino Beatitudinis Tuae Litteras Encyclicas libenti ac observanti animo suscepi, devotoque pietatis Tuae erga Deiparam studio obsequutus, pari si licet, Virginem religioso prosequor obsequio; si quidem quasi mecum crevit, manetque animo repostum pium ac flagrans amplificandi Beatae Virginis cultus desiderium, ac studiosa voluntas, maxime Conceptionis eius sine originali piaculo laude celebrandae; Sanctorum enim Patrum vestigia sequutus, perantiquae traditionis ductus testimonio, omnium piorum pia credulitate motus, proclivi animo huiusmodi Virgini

honorificae opinionis placita amplexus sum; ideo optatissimum mihi est, ut Beatissimae Mariae intemerata Conceptio solemni Ecclesiae iudicio constituatur. Est haec humilitatis meae opinio inconcussa, Beatam Virginem Mariam, tanquam Dei Matrem, numquam calliditate serpentina circumveniri potuisse, cui diabolici serpentis conterere caput sors obtigerat; perpendenti siquidem salutationis Angelicae verba ac vim, obversatur animo, nullum in gratiae plenitudine, aut tempori aut gratiae modum esse positum. Non me latet, quanto animorum aestu, ac partium studio huiusmodi quaestio fuerit agitata, quin Ecclesia irrecusabile iudicium interponere opportunum duxerit, tamen Tridentina Synodus mentem ad rem finiendem prorsum satis ostendit, et forsan ob temporis acerbitatem, et praecipuam eius curam in haeretica pravitate confutanda impensam, dogmatico sese abstinuit Decreto; sed temporis processu magis magisque fidelium erga Virginis puram Conceptionem devotio clarescere, et augeri coepit, quam spiritali laetitia affectus in populo meae curae commisso observo, et servari satago. Simulque Universi Cleri in tuenda Conceptione zelus ac studium commendatur, quod etiam Lusitano Fidelissimo Imperio viget vigebitque. Lusitana quidem gens Cathedrae Petri firmiter sociata ac addicta, in religioso obsequio Virgini praestando, facile omnibus praestat, libens meritoque dogmaticam opperitur definitionem, ut Virginem solemniori (si fieri potest) ac praestantiori observantia et honore prosequatur. Nihil sane antiquius Regibus, Clero, populoque Lusitano fuit, quam singularia suae devótionis erga Virginem Mariam documenta praebere, peculiariter sub honorifico Conceptionis titulo: satis superque est dici, Conimbricam Academiam in asserendo huiusmodi privilegio, sedulam impendere curam, sacramentoque adstringi, ut Conceptionem absque originali labe omni studio tueatur, quin Doctoris lauream munusque docendi suscipere quisquam possit absque huiusmodi solemni iuramento. Quapropter in tota Lusitanorum ditione omni acceptatione digna erit, plausuque suscipi necesse est Sedis Apostolicae definitionem, et Virginis singulare privilegium Apostolico iudicio assertum, replebit nos omni gaudio in credendo, et reliquos

Beatitudinis Tuae dies Beatae Virginis singularis protectio tutos habebit, vitamque beatam incolumemque sospitabit, quod omnium bonorum votum est ac felicitas.

Data in Nostra Residentia Leiriensi, die 26 Ianuarii, anno Domini 1850.

EMMANUEL *Episcopus Leiriensis.*

CCCXC.

DEL VESCOVO

DI MARIANNE *NEL BRASILE*

Sanctissime Pater

Sanctitatis Vestrae Litteras, datas Caietae die 2 februarii an. 1849 atque ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos missas, summo cum gaudio recepi; iam enim licet sperare, Beatissimae Virgini omnium fidelium Matri novum hunc mox decernendum esse triumphum. Quae quidem spes omnibus fidelibus et Clericis istius Mariannensis Ecclesiae nonnisi pergrata esse potest. Omnes enim firma persuasione tenent et in orationibus suis palam profitentur, SS. Mariam absque ulla peccati labe fuisse conceptam. Et haec mihi est semperque fuit convictio fortissima, quae ut ita sit, plurima suadent. Movet me in primis auctoritas supremae illius Cathedrae Petri, quae falsa nec probat, nec tacet. Quis enim ignorare potest a multis iam saeculis Pontifices Romanos huic de Immaculata Conceptione doctrinae aperte favere? Movet me tot et tantarum Universitatum auctoritas, tot Theologorum probationes, tot Patrum dicta: movet me Christi Domini dignitas: nec enim aliquo tempo-

re, ne uno quidem instanti, peccato vitiatam, infernali serpenti obnoxiam, Deo odiosam talis Filii Matrem arbitrari possum. Movet me, et multum movet, illa tam universalis fidelium erga Immaculatam Mariam devotio, tot gratiis remunerata, tot miraculis firmata, et quae profecto nonnisi a Spiritu Sancto originem ducere existimanda est. Quapropter vehemens mihi inest desiderium, ut ab Ecclesia tandem definiatur, Beatissimam Dei Genitricem absque ulla peccati labe fuisse conceptam. Dum enim propter illud eminens privilegium speciali cultu in toto orbe honorabitur Mater misericordiarum, novae maioresque de coelo in terram profluent gratiae, sanctaque Dei Ecclesia nunc quidem tot procellis agitata, tot calamitatibus oppressa, tot inimicis impugnata, tot impietatibus obsessa, aliquantulum fortasse in protectione Reginae coelorum requiescere poterit. Haec mihi spes, hoc meum desiderium, hoc etiam est votum fidelium pastorumque mihi commissorum. Nec mihi iam aliud superest, nisi ut Spiritum veritatis invocem, quo Sanctitas Vestra superna luce perfundatur, atque illud consilium suscipiat, quod magis ad divini Nominis gloriam pertinet. Datam autem definitionem veluti Petri oraculum recipiam et libenter cum D. Augustino dicam: « Rescripta venerunt, causa finita est. » Ad Successores enim Petri et totum gregem pascere et fratres confirmare pertinet: illi privilegium infallibilitatis a Christo Domino receperunt, nec quisquam primo illi capiti coniungi poterit, nisi Petri Successoribus coniungatur; ideo: « Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini Tuae, id est, Cathedrae Petri, communione consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. » (*Hieron. ad Damas.*)

Ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, Apostolicam benedictionem super me, super Clerum populumque istius Mariannensis Ecclesiae cupio atque rogo

Mariannae in Brasilia, die 28 Ianuarii an. 1850.

ANTONIUS *Ep. Mariannensis.*

CCCXCI.

DELL' ARCIVESCOVO
DI CHIETI

BEATISSIME PATER

Tuam, o millibus concitatae fluctibus Navis Gubernator expertissime, nobis missam fratribus filiisque Epistolam, sub laetissima VIII decembris die elapsi iam anni, quam et ego nuperrime accepi, bis terque veneratione summa, voluptateque perlegi. Ut super concreditum gregem vigilias vigilemus teterrimae huiusce noctis, adhortaris; ut protestantismi, socialismi, communismi, immo revera atheismi, ab Italia, quae numquam usque nunc quoad orthodoxiam temerata est, per cuniculos insurgentium conatus praevidenti sollicitudine strenui propulsemus; ut Cleri utriusque disciplinae, iuvenumque educationi sedula animi operatione satagere festinemus, praecipis, instruis, praeis, auctoritate, magisterio, exemplo.

Quibus super quanto maerentibus nobis negocio plane timescendum est, ne convastantes vulpes speciosas lectissimasque Domini Sabaoth vineas demoliantur, exterminentve eas aper de silva, et singularis ferus; ne, quas infernus evomuit locustas, quae veluti potestate venenoque scorpiones, immanitate excidioque tyranni, seductione blanditieque homines, humanitatis specie voceque genus omne impetentes humanum, divinaque terrenaque pervertentes, nostrae peninsulae, cui Dominus benedixit, splendidas Fidei maculent, dilacerentque vestes!

Sanctissime Pater, Christi Dei vices gerens, Petrique Successor, ecquis Ecclesiam neget supra Petrum fundatam ab inferi consiliis numquam vinci, inimicos irrito semper conatu scrutationes in eam scrutantes defecisse, novaque semper victoriarum lauro redimitam

coronari? Attamen quando haec erunt! Quantum praestolari Salutare Dei incumbendum! Nisi Virginem, quam calamo et corde pontificia in Epistola Immaculatam scribis, ipso Immaculatae eius Conceptionis die signata, Immaculatam Conceptu definias, totius iam Ecclesiae voto conflagrante pro recuperanda pace, nescio an iustissime in mundum ultrix Dei iustitia placetur.

Pontificis oraculo supremi Virgo Immaculata definitionibus Ecclesiae adpareat, ut per ipsam totius labis nesciam, morbosamque corporum pestem exterminatricem, Italia, Sedesque Tua immaculata ab erroribus maneat: quibus votis pedes apostolici culminis provolutus exosculans Apostolicam super me, gregemque meum benedictionem ardenter reverenterque expostulo

Beatitudinis Tuae

Teate die vigesima nona Ianuarii 1850.

Humill. Addict. in Ch. Filius
IOSUE MARIA *SS. Redemp. Archiep. Teatin.*

CCCXCII.

DEL VESCOVO
DI NEVERS

BEATISSIME PATER

Cum ab oris alienis in quas saevientibus seditionum procellis, exul profugeras, ad nos pervenerunt Litterae Vestrae Encyclicae, faustum nuntium afferentes, scilicet « de immaculatae Beatae Virginis mox definienda Conceptione, » filia haud degener Ecclesiae Romanae insignis Ecclesia Nivernensis *exultavit in Deo salutari suo*, qui tanta parat ancillae suae Mariae.

Laetabunda salutat venientem diem in quo dabitur ipsi, Vestra Sanctitate infallibiliter definiente, credere firma fide ac profiteri tanquam inconcussum dogma quod semper pie tenuit ab Euladio, ab Arigio, ab Agricola primis huius perantiquae et insignis Ecclesiae Antistitibus.

Sanctitatis Vestrae votis annuentes, in dioecesi nostra, unanimi fidelium plausu, publicas Deo preces indicavimus ut suae gratiae lumine mentem Vestram illustrare dignetur quo cognoscatis quid in re tanti momenti, ad maiorem tum sui nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum Ecclesiae militantis utilitatem magis attineat.

Illas vero preces ut frequentiori concursu fidelium, nec non animo flagrantiori fierent, mensem Mariae dedicatum assignavimus, nec frustra; a cunctis sanctuariis, ex omnium cordibus in nostra Dioecesi ascenderunt « orationes sicut incensum in conspectu Dei », efflagitantes pro vobis, Beatissime Pater « sedium Divinarum assistricem sapientiam. »

Postea in Synodum Dioecesanam coegimus venerabiles Canonicos

Cathedralis nec non Parochos egregios dioecesis nostrae, quibus circa nos quasi corona stantibus, hanc duplicem quaestionem proposuimus:

1. Quaenam est vestra, oviumque vestrarum fides de Immaculata Beatae Virginis Mariae Conceptione?

2. Attentis rerum adiunctis in quibus versamur, censetis ne opportunum fore, ut definiatur velut dogma de fide catholica, Mariam fuisse sine labe conceptam?

Hac duplici quaestione vix emissa omnes de repente sursum idem sentientes, idem profitentes, omnes uno ore, singultus inter et suspiria, conclamarunt: Ita, Maria sine labe concepta est! Gloria et amor Mariae sine labe conceptae!

Requirit etiam Sanctitas Vestra « quid nos ipsi de re ipsa sentiamus, quid exoptemus ». Stantes in uno spiritu unanimes, idem sapimus, idem profitemur cum venerabilibus fratribus Canonicis insignis Ecclesiae nostrae, cum egregiis et dilectis Parochis dioecesis nostrae, necnon et cum carissimis ovibus nostris.

In urbe martyrum natus (quam umbra quasi materna operit sacrarium illud Marianum de Foro veteri dictum), educatus in gremio Basilicae illius Primatialis Lugdunensis, quae prima, ut fertur, in Galliis Immaculatae Conceptionis altare condidit festumque solemne celebravit, « propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quaestionem de Sancta Virgine Maria » unde fidenter et indubitanter credo et confiteor Beatam Mariam, sicut semper Virginem, sic fuisse semper puram et immaculatam in sua Conceptione. Porro huiusce fidei haec sunt nobis motiva praecipua:

1. Refugit mens nostra vel solum cogitare, mulierem illam quae, Deo promittente, contritura erat caput antiqui et maligni serpentis, ipsammet quondam eius nefandissimo imperio colla curvavisse:

2. Prior Eva quae omnia pessumdedit, non potuit in ortu perfectior esse quam posterior Eva quae omnia reparavit. Sic tamen se res haberent, si Maria communi maledictione involuta, in Conceptione fuisset commaculata:

3. Aetas omnis, omnis Ecclesia tam in Oriente quam in Occidente,

Patres omnes, summique Pontifices omnes, Universitates fere omnes, imprimisque Parisiensis, unanimi sensu, paucis admodum renitentibus, aut reticentibus, Mariam in Conceptu purissimam proclamarunt.

Tantum habentes pondus rationum, tantamque nubem testium, sentimus non solum posse sed in promptu esse « definiri ab Apo« stolica Sede, veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam, Beatissimae « Virginis Mariae Conceptum immaculatum omnino fuisse, atque « ab omni prorsus originalis culpae labe immunem. »

Definitionem porro quae iampridem in votis erat permultorum, quis hodie non exoptet? Dies mali sunt, Beatissime Pater, tot agitatus procellis populus Christianus nova inclamat auxilia : quis, post Deum, cadentes materno suscipiat amplexu? Quis nisi Dei Salvatoris ipsamet mater immaculata ?

Dignetur autem Deus qui « totum nos voluit habere per Mariam » Sanctitati Vestrae Suae in illam devotionis quantocius mercedem rependere ! Obfirmet, efflagitante Maria, Sedem Petri adversus quam portae inferi praevalere nituntur, sicque Vestrum, nec non et orbis universi luctum in gaudium vertat ! Dignetur ipsamet Maria illos suos misericordes oculos deflectere ad istam Galliam Christianissimam, quae tam pio semper obsequio erga illam emicuit ! Maria tandem, Ecclesiae Catholicae spes et mater, impetret a Deo misericordiam ut « memor sit Congregationis suae quam possidet ab initio. »

Interim, piissime Pater, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, Episcopus Nivernensis, sibi, Clero et populo suo coelestium munerum auspicem Benedictionem humiliter adprecatur

Nevers, die 2 Februarii 1850.

DOMINICUS A. *Episcopus Nivernensis.*

CCCXCIII.

DEL VESCOVO

DI S. DIEZ

BEATISSIME PATER

Eo tempore quo Spiritus ille potens, qui fecit Mariae magna, cor piissimum Sanctitatis Vestrae movit ad eructandum verbum bonum, Epistolam scilicet Vestram ad Episcopos totius orbis catholici, de Immaculata Beatissimae Virginis Deiparae Conceptione definienda, nondum pro tunc fueram e minoribus ad Episcopatum assumptus.

Quantam consolationem quantumque gaudium mirabilis haec et tamdiu exoptata Encyclica menti meae attulerit, fari prorsus non licet. Inde vero non tenuitati meae tantum, sed et cunctis Christifidelibus optimae et Sanctissimae Virgini vehementer addictis, benedictique nominis eius maiorem exaltationem sitientibus fons laetitiae magnus et ineffabilis.

Matris pientissimae cultui aeque ac amori a teneris unguiculis deditum, imbuit me summe pia fides et certissima de speciali privilegio, quo superat Adae filios, ipsa quae maternitate divina valde superat Angelos. Hinc modo quasi praelucens apparet aurora clarissimi lumine diei, nullo tempore non peramanter expetiti. Imo, sedulo recogitantem quam Deus semper populo christiano, pro novis gloriae flosculis, communium et publicorum beneficiorum messem contulerit, quoties huiusmodi quaedam ad Reginae suae coronam apposuerit Ecclesia, subiit moestam ex amaritudine praesentium, ex timore futurorum animam, pignus esse votum Pontificis fidelium omnium Patris, ut et futura securitas fieret, et ne nostris obrueremur procellis.

Haec in minoribus constituto, ut filialis affectus noster in Pater-

nitatis Sanctissimae Vestrae pectus praesumit effundere: mox ad Episcopalem Sancti Deodati Cathedram evecto maiora incubuere; nec iam tantum preces indicuntur, sed et suffragium nostrum et obedientia debentur.

Curarum atque laborum, quibus initiatur Episcopatus, vix soluta sollicitudine, commissis ovibus nota feci pia Vestrae Sanctitatis consilia; publicas supplicationes utique requirens ad implorandam, ut divina de his voluntas manifesta fieret, Spiritus Sancti gratiam, melioremque gregis portionem invitans, animas videlicet corde, affectu, vel sancta professione Deo devotas, ad multiplicandum operis fructum et charitatis, qua potentius rem tantam valeant exorare.

Nunc Beatitudini Vestrae ad aperiendum venio quid sentiant populi, quid Clerus de Immaculata Dei Matris Conceptione, et quod intimum denique cordi nostro suffragium atque votum.

Quotquot in Dioecesi vere fideles (et, miserante Domino, multo valde numero sunt in fide stabiles et in opere efficaces), ut accuratis constat inquisitionibus, Immaculatam speciali fervore venerantur Mariae Conceptionem. Quin imo quamvis declarari non omittatur ipsam hanc sententiam, licet indubiam, nondum esse de fide decretam, plurimi tamen oculo cordis simplici veritatem intuentes, eique, sua amore quo feliciter fervent in Mariam, firmiter adhaerentes, complectuntur eam doctrinam ad instar dogmatum.

Nec in hac Dioecesi novus Immaculatae Conceptionis Mariae cultus. Hunc olim in hisce regionibus promovit vir vere Apostolicus, Lotharingiae nostrae decus, eique coeleste munus ad renovationem, Beatus Petrus Forerius, cuius et populi tantopere supremam Canonizationem exoptant. Hic ipse vir, spiritu plenus, pium suasit Imm. Conceptionis venerandae modum, cui, ducentis post annis, benedictionibus tot favit auxilium Virgo Christianorum. Sic habet enim eius vita quam causae postulatores recol. me. Benedicto Papae XIII dicarunt. « Iam, post Iesum, totus erat Mariae mancipatus; in eius « tamen Immaculatam Conceptionem erat propensior. Quare in eius « honorem Confraternitatem erexit, et cum *Sancti Nicolai de Portu*

« (S. Nicolas de Port) homines et pecora corrupto coelo languerent « ac contabescerent, Virgines suas ibidem positas monuit fieri pos- « se ut, qui haec verba, *Maria concepta fuit sine peccato*, chartis « inscripta secum decenter et devote circumferrent, amuletum prae- « sentissimum contra vim mali nanciscerentur. Si autem multis cre- « dendum sit, eventus non defuit ».

Non vane sparsum semen bonum. Immaculatae Conceptionis festum clare celebratur: a multis sodalitatibus patrona invocatur Maria in Conceptione Immaculata; et omnes fere pietatis amantes, plurimique infantes vel pueri appensam in collo gestant, suo pignore implorandae protectionis potentissimae Mariae, numisma istud notissimum in Galliis, cui nomen a miraculis est, imaginemque Mariae sine peccato conceptae, ut probe scit Sanctitas Vestra, verbis et ostensione referens.

Sic populus, sic sacerdos. Nam totus, pro certo est, Dioecesis Clerus Matris Dei Conceptionem amanter ac vivide credit Immaculatam. Communi nostrum omnium Patri referre fuerit satis quod et potenter pectus meum movit, et, prae rerum dulcedine, fletus civit.

Ad finem ultimi Septembris, ex salutari more, convocati convenere in maius seminarium ad exercitia spiritualia quarta pars circiter sacerdotum Dioecesis, iuxta videlicet aedificiorum capacitatem. Sanctitatis Vestrae lecta coram epistola, adiuratisque tot Domini Ministris fidelium mentis et votorum consciis, quominus ipsa simul et sua declararent, tum omnium clamor unus rapientium se et optantium piam fidem Immaculatae Conceptionis in dogma consecrari, atque gratos praeferentium animos erga Sanctitatem Vestram, quae prudentia simul ac pietate e Spiritu Sancto dirigitur in viam tantae spei, tantique in Beatissimam Virginem decoris.

Nunc tandem asserenda est propria obedienter sententia, et eam certe, ex ipsa die Consecrationis, mente et affectu, granditer quantum potui, et ardenter fusis ad Deum precibus pertractavi: modis etiam graviter ac digne repudiatis quibus viri quidam pii et docti

detinentur nonnulli, ut arbitrari et iudicare cunctentur totam ingrediendam esse viam, sed et ad hoc propendam ut Immaculata Conceptio ad doctrinam Ecclesiae pertinere solummodo decernatur.

In nomine Domini, id mihi de ore, id mihi de corde suffragium est, praetereaque nihil nec aliud cor affectu patitur, neque Scriptura manus; quod tamen infallibili Sanctitatis Vestrae iudicio penitus ac pronis animis subiicio.

Decernat Sanctitas Vestra sacrum esse dogma fidei Catholicae, Immaculatam ab originali peccato Mariae matris Dei Conceptionem.

Ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, et apostolicam pro me et grege meo Benedictionem efflagitans, audeo me profiteri

Beatissime Pater, Sanctitatis Vestrae

Sancti Deodati die 5. Februarii 1850

Humillimum, Devotissimum Filium
LUDOVICUM MARIAM *Epis. Sancti Deodati*

CCCXCIV.

DEL VESCOVO
DI RATISBONA

SANCTISSIME PATER

Quod ab omnibus per Orbem catholicum Episcopis per Breve apostolicum die IV Nonarum Februarii, anni 1849 emissum fieri voluisti, id ego quoque ad exitum perducturus non tantum omnibus per Dioecesin meam in cura animarum existentibus Clericis mandatum dedi, ut qua pietate in Beatissimam Virginem populus sibi commissus, et qua mente circa immaculatam eius Conceptionem animatus sit, sedulo inquirerent; sed et ipsos Pastores et adiutores suos iussi, ut quid ipsimet de immaculata B. V. Mariae Conceptione pro Dogmate definienda sentiant, in scriptis mihi candide aperirent; insuper publicas preces festo Conceptionis proxime elapso coram exposito Venerabili decem continuis horis habendas fidelibus peculiari sacro sermone huius diei antea instructis indici peragique indictas curavi.

Iam vero quae ex relationibus undique ad me transmissis attenteque perlectis erui colligique potuerunt, *ad tria haec capita* recludi possunt.

Ac *primum* quidem est: populum catholicum, (ut qui inter dogma, quod necessario credendum est et inter doctrinam ab Ecclesia tantum desideratam neque tamen stricte praeceptam haud facile distinguit) tenero passim cultu in Beatissimam Virginem ferri, erectis quoque piis sodalitiis Immaculatam eiusdem Conceptionem adeo venerari, ut frequentissime in precatiuncula « *Laudetur et superexaltetur Sanctissimum Altaris Sacramentum* » addere consueverit « *atque immaculata Beatissimae Virginis Conceptio.* » *Secundum*

vero ex priori fluit: nimirum, quod quidam Parochi ex singulari hac populi in Virginem Dei Matrem pietate et religione metuant, ne gregum suorum fides labefactetur vel conscientia perturbetur, quum pro dogmate demum definiri audiant doctrinam, quam (scilicet ob defectum necessariae instructionis) dudum et usque ad hunc diem veri dogmatis instar amplexati fuerunt, atque tum animo crediderunt, tum ore professi sunt.

Quid? quod nonnulli (formidolosiores an sagaciores dicam?) timeant, ne tale novum de illibato Divinae Matris Conceptu apostolicum decretum turbulentis hisce temporibus nostris minus conveniat, potius adversariis optatam praebeat ansam, inconstantiae vel erroris Ecclesiam catholicam in novis fidei articulis pedetentim statuendis insimulandi? Quasi vero — teste historia — nova vocabula (*v. g.* ομοουσιος *Transubstantiatio*) ab Ecclesia nunquam fuerint inducta, non ut dogmata conderentur, sed ut antiqua contra novos adversarios, puta haereticos, explicarentur et confirmarentur.

Tertium denique relationum *caput* pars clericorum intelligentior et sanior proponit, cui *ego quoque adstipulor*. Hi nimirum viri, neglecto isto vani timoris spectro, nil avidius omnibus votis desiderant atque exoptant, quam ut Tu, Sanctissime Pater, qua Successor illius Apostoli cuius fidem non defecturam praedixit, quemque confirmare fratres suos ipsamet Patris coelestis incarnata atque conversata cum hominibus in terris Veritas iussit, decreto immutabili et irreformabili pronuncies, Sanctissimam Dei Genitricem Virginemque Mariam, sive ob praevisa merita Christi, sive alio speciali divinae providentiae privilegio, absque peccati originalis macula conceptam fuisse.

Hoc sane desiderium nostrum, et respective humillima supplicatio tum sacrae Scripturae, tum communi Sanctorum Patrum sensui; praecipue vero iis, quae Sanctissimi Antecessores Tui, Romani Pontifices, circa hoc punctum statuerunt, quid? quod ipsius Sanctae Synodi Tridentinae effatis quam optime congruit.

Etenim cuius creaturae alius, nisi divinae Matris et Virginis, puritas tanta est, ut illi ista Cantici Canticorum elogia v. gr. *Tota*

pulchra es amica mea et macula non est in Te. (IV. 7) *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (VI. 9) et similia applicari queant? — Quisve, qui salutationis Angelicae verba omni ex parte perpendit (*Ave gratia plena, Dominus Tecum, Benedicta Tu in mulieribus! Spiritus Sanctus superveniet in Te, et virtus Altissimi obumbrabit Tibi. Ideoque et quod nascetur ex Te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. I): quis, inquam, imaginari sibi queat, illam Benedictam, ex qua Christus, Redemptionis nostrae et omnis Sanctitatis auctor, naturam humanam assumere ab aeterno decrevit, peccati originalis labe pollutam, et priusquam ea mundaretur obiectum displicentiae et reprobationis divinae, ut pote diaboli mancipium fuisse? — Unde *S. Augustinus* cum aliis Patribus recte concludit: *Reverentiam erga divinam Matrem Virginem, debitumque eius Filio honorem id exigere, ut quotiescumque de peccato sermo inciderit, Maria nusquam comprehensa, sed semper excepta intelligatur;* id quod fere iisdem verbis sacra Synodus Tridentina declarat.

Quidquid sit de dubia saltem S. Anselmi epistola, qui festum Conceptae B. Virginis primus in Anglia instituisse dicitur: certe post Sixtum P. P. IV. qui festum immaculatae B. Virginis Conceptioni sacrum, pie celebrantibus indulgentias largitus est, Pius V, Paulus V, Gregorius XV, Alexander VII, Benedictus XIII Summi Pontifices, etsi piam hanc opinionem doctrinamve pro dogmate stricte tali nondum agnoscerent, fideles tamen hanc sententiam amplexos erroris argui vetuerunt, et morem approbarunt, in omnibus fere literarum Universitatibus, ad exemplum Parisinae, olim etiam in Ingolstadiensi patriae nostrae sensim invalescentem, ut ad Doctoratus gradum non promoverentur, nisi qui ad immaculatam B. Virginis Matris Conceptionem cum ipsius vitae discrimine defendendam iureiurando sese obligassent. Numquis vero ad rem minus probabilem tali modo propugnandam obligare se absque peccati piaculo possit? —

Quandoquidem ergo haec de immaculata Virginis Matris Conce-

ptione sententia tot tantosque propugnatores habet; tantopere ab Ecclesia Catholica, contrariam thesin constanter respuente, desideratur atque fovetur; adeoque omnium piorum tam Clericorum quam laicorum animis infixa haeret, age iam Sanctissime Pater, utere praerogativa divinitus Tibi concessa, et afflante Spiritu Sancto, quod p. m. *Gregorius XVI* Antecessor Tuus in votis habuit, Tu, Successor eiusdem, divino instinctu exequere, atque Oraculo Summae Sedis in perpetuum valituro defini et pronuntia: « *Immaculatam Beatissimae Matris Virginis Conceptionem, veri dogmatis instar, ab omnibus Christi Fidelibus credendam profitendamque, sententiam contrariam tanquam haereticam impiamque esse respuendam.* »

Hoc si propitio Numine prospere peregeris, quippe quum Sanctissimae Dei Genitrici soli datum sit, *omnes haereses interimere in universo mundo*: quid obstat quominus speremus, immo confidamus fore, ut piissima Servatoris nostri Genitrix, coelestisque omnium nostrum Mater, novo quasi antiquae suae praerogativae ornamento illustrata, multiplicatis tandem fidelium invocationibus exorata, acerbissimas, quae Ecclesiae Catholicae totique christianae societati acciderunt adhucque imminent calamitates, humanis tantum viribus non avertendas, omnipotenti suo apud Filium patrocinio depellat, pacemque feliciter restituat?

Haec igitur habui, quae tum meo, tum Cleri, populique mihi commissi nomine in causa quae agitatur, ad Te, Sanctissime Pater, ut iussisti, fideliter referrem. Ea qualiacumque sint, ut singulari qua soles clementia suscipias, ac paterno affectu mihi ovibusque mihi concreditis in Domino benedicas, humilis atque supplex flagito.

Sanctitatis Tuae

Dabam Ratisbonae pridie Cathedrae S. Petri Romanae A. D. 1850.

Obedientissimus in Christo Filius
VALENTINUS, *Episcopus Ratisbonensis in Bavaria.*
IOS. LIPF *Secret.*

CCCXCV.

DEL VESCOVO

DI GUAYANA *NELL' AMERICA MERID.*

BEATISSIME PATER

Prae gaudio exultavit cor meum cum venerandam Beatitudinis Vestrae Epistolam Encyclicam, datam Caietae quarto nonas Februarias anni superioris, legi, qua cunctis Orbis catholici Episcopis Sanctitas Vestra nuntiare dignatur hoc, quod in praesentiarum elabitur, tempus, esse illud ab omnibus Christi fidelibus optatissimum, quo rite, ac solemniter supremum, et infallibile pronuntietur iudicium de privilegio Immaculatae Conceptionis Dei Genitricis Mariae, quod universim creditur, ac veneratur, licet nondum ut articulum Fidei Ecclesiae auctoritate putandum, atque amplexandum declaratum. Quibus Litteris Encyclicis Sanctitas Vestra eosdem Episcopos excitat, et hortatur ut quo citius de hac gravissima re Sanctae Sedi sententiam aperiant, ac mittant, itemque exponant quid de eadem re fideles sibi concrediti sentiant, et optent. Iisdem sub finem Litteris Sanctitas Vestra, ad Sancti Spiritus lucem, opemque implorandam, preces publicas fundere iubet, id quod mensis integro tractu meae omnibus Ecclesiae Dioeceseos iam adimpletum manet.

Ex quo primum perpendere potui illam tot saeculis exagitatam quaestionem de singulari privilegio quo nostri Redemptoris Mater ab originali peccati macula in Conceptione servata fuit; quae eiusmodi privilegium sustinet, doctrinam, adeo validis fulciri fundamentis inveni, adeoque perspicuis, et arctis rationibus, et argumentis theologicis: gravissimos praeterea textus Sacrae Scripturae tam bene ei, ut par pari, accommodari: eamdem insuper doctrinam tam universim a fidelibus creditam: eique tandem favendae Ecclesiam ipsam sic proclivem, praesertim in Sacrosancto Concilio Tri-

dentino, in eius Decreto de peccato originali; ut inde iam ex eo tempore Beatissimam Virginem Mariam in ipso Conceptionis momento ab originali labe, qua filii omnes Adae coinquinati nascuntur, immunem servatam fuisse, tanquam divinae Fidei veritatem semper crediderim, venerans tamen silentium Sanctae Ecclesiae, atque eius supremum sperans iudicium, cui omnis se intellectus submittere tenetur.

Haec, Beatissime Pater, mea est sententia, quam sic profero, ut ex intimo animo teneo; et hoc praecipue studio flagro, ut admirabile Immaculatae Conceptionis privilegium inter Fidei catholicae dogmata quamprimum annumerari obtingat.

Omnes Gregis mihi commissi fideles, perinde ac omnium harum regionum, quae antea Regum catholicorum ditioni erant subactae, insignem, ac praeclaram devotionem erga Immaculatam Conceptionem Virginis Mariae, utpote Hispaniarum, et Indiarum Patronam, publice profitentur; ac festum in eius honorem die octavo Decembris magna cum pompa celebratur in omnibus fere Ecclesiis, ex quibus plures huic nomini sunt consecratae.

Nec illud praetereundum fas est, plerosque fideles, quod de hac re quantum necesse est haud sciant, Immaculatam Conceptionem Beatissimae Virginis Mariae hactenus persuasissimam habuisse tanquam definitam Fidei catholicae veritatem. Ex quo fit, quantum illi, et quam sanctum assument gaudium cum veritatem, quam naturali dumtaxat sensu ut de fide habebant, Ecclesiae tandem explicito sensu, ac infallibili auctoritate videant firmatam. Hoc, inter orandum, quae fervent precibus, quasque Coelum usque iugiter elevat, totus nunc Orbis catholicus, et cupit, et avide expectat.

Triplici interea Fidei, amoris, et obedientiae Apostolicae Sedi, et Sanctitati Vestrae vinculo adnexus, D. O. M. fusis precibus deprecor, ut Beatitudinem Vestram diutissime servet incolumem.

Caracae (ubi sum in praesentiarum Senatoris causa munus explendi) duodecimo Calendas Martii anni Domini 1850.

Sanctissime Pater

MARIANUS *Episcopus Guaianensis.*

CCCXCVI.

DELL' ARCIVESCOVO

ELETTO DI ARMAGH

PRIMATE DI TUTTA L' IRLANDA

BEATISSIME PATER

Vix arcano Dei consilio, Sanctitas Tua dignata est me ad episcopalem dignitatem promovere, obstante licet mea tam virium quam meritorum inopia, cum statim mecum animo revolvere coepi quid imprimis acceptabilius Deo esset quod in grati animi mei significationem ipsi praestare possem. Nec longius me haerere opus fuit. Nam Litterae a B. T. ad omnes Catholici orbis Episcopos die 2 Februarii anni proxime elapsi missae, ad eorum de Immaculata Bmae Virginis Conceptione sententiam explorandam, id quod desiderabam suppeditarunt. Persuasum enim mihi erat Deo nihil gratius esse posse, quam quod ii qui munere pastorali funguntur pro viribus certarent, ut ipsius Virginis Matris laudes ac privilegia apud homines magis magisque innotescerent. Quapropter arbitratus sum, Bme. Pater, exordium sacri officii, quod mihi concredere dignatus es, ducere a supplici prece quam modo B. Tuae humillime porrigo, ut Beatissimam Dei Genitricem semper immunem ab omni peccati originalis labe, solemni ac infallibili definitione, veluti Catholicae fidei dogma, declarare digneris.

Hanc veritatem, Bme Pater, plura Scripturarum loca, iuxta SS. Patrum interpretationem, testantur: sacra Catholica traditio proclamat. Maria a Sacrosancto Concilio Tridentino non modo a decreto, quo omnes a peccato originali infectos fuisse statuit, expresse excepta fuit; verum etiam *Immaculata* praedicata est. Quam quidem vo-

cem intelligendam esse non de Virginis a peccato veniali, sed originali exemptione, vel ex eo patet, quod tunc Mariam *Immaculatam* Patres praedicent, cum de peccato originali ex professo tractent, talem honoris titulum omnino reticentes, cum de ipsius a peccato veniali exemptione posterius egerint. Sed, ut innumera fere quibus praeclarum hoc privilegium comprobetur, argumenta praetermittam, id ab universa Ecclesia, ut veritas Catholica, tenetur et colitur. Maria enim a crudeli infernalis hostis dominatu semper immunis; de tenebrarum potestatibus semper victrix; teterrimum antiqui serpentis caput suo pede virgineo semper conterens; Maria, inquam, ab omni vel minima peccati originalis labe semper immaculata, ab ore omnium, non modo indocti vulgi, sed doctissimorum virorum, praeclarissimorum Antistitum, florentissimarum scholarum et Academiarum praedicatur et colitur.

Et hoc non tantum in privatis fidelium orationibus, sed et in publicis Ecclesiae supplicationibus, in ipsa sacra liturgia, iuxta praxin hodie receptam omnium fere orbis Catholici Ecclesiarum, ipsa non modo permittente, sed et duce illa, quae ceterarum Ecclesiarum est Mater et Caput, Sacrosancta Romana Ecclesia.

Quapropter B. T. enixe precor una cum aliis fere omnibus Ecclesiae Catholicae sacris pastoribus ut ex Suprema B. Petri Cathedra cuius successor cuiusque dignus fidei et potestatis haeres existis, dogmatico et infallibili decreto definire digneris, *Beatissimam Virginem Mariam Dei Genitricem absque ulla originalis peccati labe fuisse conceptam.*

Quae quidem definitio Ecclesiam Christi tam regnantem in coelis quam in terris militantem gaudio et laetitia replebit, et universum Christi gregem novo et opportuno augebit subsidio. Si enim Maria misericordiae Mater pro minimis fidelium obsequiis maxima rependere solet, quid ab ea sperandum non erit, cum novo ac tam praeclaro gloriae diademate a B. T. Filii sui in terris Vicario, fuerit honestata?

Exurget utique in virtute sua, omnes haereses quas in universo mundo sola interemit iterum peremptura, exurget in defensionem

B. Tuae ac populi Tui, id est universi Christi gregis, ut eorum hostibus tandem subactis, cuncti Christiani, Maria adiutrice, sub Te unico ovilis Pastore, diuturna pace in terris gaudeant, perpetua postea Tecum potituri in coelis.

Haec vero dum precor ad pedes Beatitudinis Tuae provolutus Apostolicam benedictionem pro me et grege mihi commisso humillime exposco.

Sanctitatis Tuae

Dat. Romae ex Collegio Hibernensi ipso Consecrationis meae die, 24 Feb. 1850

Obsequentissimus et Dev. Filius et Famulus
PAULUS CULLEN, *Archiepiscopus Electus Armachanus, Primas Totius Hiberniae*

CCCXCVII.

DELL' ARCIVESCOVO

DI SYDNEY *NELLA NUOVA GALLES MERIDIONALE*

Beatissime Pater

Cum mense Septembris anni 1847 per Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Coadiutorem Corfù Romam miserimus humilem petitionem, ut Sanctitas Tua declarare dignetur, Immaculatam Conceptionem B. Mariae Virginis tenendam esse de Fide, Sanctitas Tua dubitare nequit de gaudio, quocum nos humiles filii Tui in his distantibus orbis partibus accepimus Encyclicam Tuam datam Caietae die 2. Februarii 1849.

Interim ad pedes Tuos humillime provolutus, Apostolicam Benedictionem enixe petens, magno cum gaudio subscribor et sum

Beatissime Pater

Sydneiae die 5. Martii 1850.

Obsequentissimus et Obedientissimus Servus
IOANNES BEDA POLDINAG O. S. B. *Archiep. Sydneien.*

CCCXCVIII.

DEL VESCOVO

DI SCUTARI

All' Emo Sig. Card. Fransoni Prefetto della S. C. di Propaganda Fide.

Eminenza Reverendissima

Versando da più mesi in dubbio, se a me nell' attuale mia posizione sarebbe lecito di esprimere alla Santa Sede il mio umile parere in ordine all' Enciclica Pontificia de' 2. Febbraro anno passato sull' Immacolata Concezione della Beatissima Vergine, e non potendo d'altronde resistere ai moti di mia filiale pietà e divozione verso la gran Madre di Dio, rifugio e speranza nostra, mi fo animo di supplicare Vostra Eminenza Reverendissima a compiacersi di manifestare, almeno per questo titolo, al Sovrano Pontefice e Signor Nostro Pio IX, cui bacio colla più profonda venerazione i SSmi Piedi, l'intimo mio sentimento e l'ardente voto del mio cuore, affinchè colla suprema Sua decisione sia elevata a Dogma la di già universale

pia credenza dell' Immacolata Concezione medesima. Di tale sentimento io credo di aver date prove giusta il dover mio, (per tacere dell'epoca di 13. anni in cui sono stato Professore di quest' Istituto Teologico), sin dacchè ebbi il bene di essere il primo de' Vescovi della Dalmazia, Albania, Servia e Macedonia, che nel 1840. ottenne, mediante l'Eminenza Vostra Reverendissima dalla santa memoria di Gregorio XVI l' Indulto di far recitare nel Prefazio della Messa della solennità e dell' ottava della Concezione la parola - *immaculata* - e nelle Litanie Lauretane il versetto - *Virgo immaculata* - ; cercando in ogni miglior modo di promuovere, per quanto era da me, il culto di Lei soavissimo, e pregando nonchè pregar facendo qui pure dalle anime pie (giacchè preci pubbliche in questa Diocesi non si tennero finora), affinchè si affretti il tanto sospirato giorno dell' infallibile definizione Apostolica di un Dogma, che sarà fonte di grandi misericordie e straordinarie consolazioni per la Chiesa di Dio e per tutti noi poveri peccatori.

Io ben so, che, siccome osserva l'Emo sig. Card. Lambruschini nell' esimio suo Trattato sull' *Immacolato Concepimento di Maria* « tra le virtù di V. Emza Rma risplende la più tenera divozione « verso la cara Nostra Madre Maria, alla quale Ella ha consagrato i « più puri affetti del figliale suo cuore ; affetti che a Lei riescono « senza meno graditi oltremodo ed accetti » ; ho quindi la fiducia, che V. Emza Rma vorrà benignamente esaudire la prefata mia supplica ; mentre prego Iddio e la Beatissima Vergine prelodata a condurla felicemente col Santo Padre in Roma, e mi pregio di baciarle con verace ossequio ed amore la Sacra Porpora.

Di V. Emza Rma

Zara 6. Marzo 1850.

Umiliss. Devotiss. Obbligatiss. Servo
LUIGI GUGLIELMI *Vescovo di Scutari.*

CCCXCIX.

DEL CARD. ARCIVESCOVO

DI FERMO

E DE' CARDINALI VESCOVI DI OSIMO E CINGOLI, DI IESI, DI ANCONA ED UMANA; DELL'ARCIVESCOVO DI CAMERINO AMMINISTRATORE DELLA CHIESA DI TREIA, DELL'ARCIVESCOVO VESCOVO DI RECANATI E LORETO, DELL'ARCIVESCOVO DI URBINO, E DE' VESCOVI DI FANO, DI FABRIANO E MATELICA, DI CAGLI E PERGOLA, DI MONTALTO, DI PESARO, DI MACERATA E TOLENTINO, DI SANSEVERINO, DI RIPATRANSONE, DI TRIPOLI *IN PARTIBUS* AMM. APOST. DI SINIGALLIA, DI S. ANGELO IN VADO ED URBANIA, DI MONTEFELTRE E DEL CAN. DEP. DEL VESCOVO DI ASCOLI.

BEATISSIME PATER

Quotquot hic sumus Picentum Metaurensiumque Pastores prope almam Nazaraenam Domum, in qua *Verbum Caro factum est* sub auspiciis Beatae Mariae Virginis collecti, satagentes unanimiter exequi quidquid boni ad maiorem nostrarum Ovium conducere queat utilitatem, inspirati quodammodo coram hoc perinsigni Divinae Incarnationis monimento, atque urgentiori erga Deiparam pietatis ardore succensi, cordis nostri audemus Beatitudini Tuae pandere desideria, ut decernere lubeat tamquam Catholicam Ecclesiae Sanctae

doctrinam, immunem prorsus ab omni labe Beatae Mariae Virginis fuisse Conceptum. Nihil enim posse Decreto huiusmodi obsistere est visum, quippe cui divina Revelatio et in Scripturis Sacris saltem implicita, et per traditionem Patrum et universalem Ecclesiae consuetudinem expressa fundamentum praebet: quod ex iugi et vivo eiusdem Ecclesiae magisterio, atque ex publico communique fidelium sensu cultuque fulcimen obtinet; quod in Pontificiis Diplomatibus plurimis suggestum a plerisque Catholicis Episcopis, et a cunctis ferme Religiosis familiis dudum expetitur et invocatur.

Novimus profecto maximam et nobis et universae Christifidelium plebi obventuram esse laetitiam ex eo fausto momento, quo liceat tam praecellentem Deiparae praerogativam nedum caeteris Eius praeconiis adiicere, concinere, celebrare, sed inter Sanctissimae Religionis dogmata recensere, venerari, excolere. Et quoniam impiorum quorumdam ore blasphemo tantae Virginis honorem decusque deflevimus hactenus, imo et deflemus, probrosis impetitum iniuriis, confidimus fore ut per Decretum quod imploramus a Te, Pater Beatissime, aliqua saltem ex parte, tamquam compensative, honor ille sarciatur. Ipsa interim Beata Virgo, nova istiusmodi gloria exaltata, quemadmodum vaferrimi draconis caput invicto pede contrivit, sic nefariam haeresis belluam comprimens interimet, atque inclytam Unigeniti sui Sponsam validiori tutabitur ope: vividius hinc ac solemnius Ipsi a Fidelibus prometur grati animi obsequium, devotionis cultus felicior splendescet ubique.

Erit autem Tuae sapientiae prospicere atque seligere tempus ac formas, queis aptius ad rem tanti momenti procedere expediat. Nos eapropter Sancti Spiritus lumen, ipsiusque Virginis praesidium nunquam Tibi omisimus adprecari, praecipue tamen per pium novendiale exercitium, quod in Dioecesum nostrarum Paroeciis Templisque maximis diei Sanctissimae Conceptionis festo, quemadmodum pro afflictis Ecclesiae rebus diei Purificationis sacro, uti praescripseras, nuper praemitti publicum ac solemne curavimus.

Beatissime Pater, super nos et super greges nobis creditos Apo-

stolicam Benedictionem effunde, et qua soles benignitate vota nostrum excipe, qui Sanctos Pedes Tuos venerabundi deosculamur

Beatitudinis Tuae

Laureti V. Idus Martii 1850

Humillimi Obsequentissimi Obedientissimi Filii ac Famuli

PHILIPPUS CARD. *Archiepiscopus Firmanus Praeses*
IOANNES CARD. *Episcopus Auximanus et Cingulanus.*
COSMAS CARD. *Episcopus Aesinus.*
ANTONIUS MARIA CARD. *Episcopus Anconae et Humanae.*
FELICISSIMUS *Archiep. Camerinensis Adm. Ecclesiae Treiae.*
FRANCISCUS *Archiep. Epus. Recineten. et Lauretanus S. S. immed. subiectus*
ALEXANDER *Archiepiscopus Urbini.*
ALOISIUS *Epis. Fanen. S. S. immediate subiectus*
FRANCISCUS *Epis. Fabriani et Matelicae S. S. immediate subiectus.*
BONIFACIUS *Episcopus Callensis et Pergulanus.*
ELEONORUS *Epis. Altodunensis.*
IOANNES KAROLUS *Episcopus Pisaurensis.*
ALOISIUS *Episcopus Maceratensis et Tolentinas.*
FRANCISCUS *Epus. Septempedanus.*
CAMILLUS *Episcopus Ripanus.*
Fr. IUSTUS *Ep. Trip. Adm. Ap. Senogalliensis.*
GUERR' ANTONIUS *Epus. Vadensis et Urbaniensis.*
CRISPINUS *Episcopus Feretranus.*
Pro Reverendissimo Episcopo Asculano *Caietanus* Can. *Rodilossi Deput.*

CD.

DEL VESCOVO

DI CUENCA *IN ISPAGNA*

Beatssime Pater

Inspectis Vestris Sanctissimis Litteris, quas dedistis Caietae die secunda Februarii proxime decursi, tantum gavisi fuimus, quantum qui maxime. Post homines natos nihil unquam simile contigit, nec ad hilaritatem Catholico-Romanorum Praesulum excitandam, nec ad populi Christi fidelis iubilationem efficiendam, ut Vestra piissima motio Divini magnopere erga Dei ipsius Matrem amoris facibus aestuata, ad inquirendam existimationem, sententiam et desiderium, nec non Ecclesiae Dei totum qua late patet per orbem diffusae, ut infallibile Vestrum prodeat oraculum, consolatrice effans voce: de fide est, Theotocon Mariam ab omni prorsus peccati originalis labe immunem fuisse suo in Conceptu. Momentum hoc prosperum, iucundum et usque ad deliramentum laetans non tantum, sed in Hispaniarum regnis vere ineffabile, nam vox in pectore suffocatur, et lingua verba prae mentis fruitione exprimere nequit . . . momentum tale, iterum aio, in Vestra et meae per Vos sollicitudini commissa Dioecesi, pristinorum Patriarcharum exoptatione expectatur per venerabilium Senatum nostrae Stae Basilicae, et per Cleros, et plebem cunctam gregis huius Vestri. Huiusmodi asseverationem procul dubio ostendunt preces, Vestra superiore ordinatione indictae, mea diligentia peractae, et ad ter Sanctum, Maximum et Omnipotentem Deum, in pennis alacrioris devotionis simul et exultationis mirifice delatae, in quibus indiscriminatim, per Beatam semper Virginem Mariam, quam Iberi omni tempore adiutricem habemus, omnes ad unum exoravimus, ut in omnem terram exeant voces Ve-

strae, et in fines orbis terrae Vestra prodeant verba in sensu optato, non ad Hispaniarum tanti cum definitione mysterii erga Dei Matrem dilectionem adaugendam, nec ut fidei definitio devotionem Deiparae accrescat, (quia ambo ad perfectionis plenitudinem pervenere) sed ut aliis in nationibus eo mysterio gloriae ingentis et honoris non parvi apud Iesum Christum, utpote gratiae splendoribus exuberantem in sua Matre ab ipso suae vitae exordio, per Vos solemniter acclamato, par, si fieri potest, et dilectio et devotio adhibeatur.

Hucusque, Pater Sanctissimae, dulces, teneraeque cordis mei affectiones et linguae, et oris vices gessere. Sed cum a Vestra Beatitudine cupiatur quod in tanti momenti negotio sentiatur a nobis et exoptetur, operae pretium mihi facturus videor si mentis meae convictiones queam, tametsi strictim attingere, ut nostram sententiam exponamus. Similis nautae, qui prima pro vice pelagi in dimidio sese conspiciens, profunditatem undarum, quae usque ad horizontem undequaque decurrunt sub pedibus, et coelestis spatii immensitatem, supra caput ut intuetur, anxius, moerens, confususque nescit, quo ratem dirigat . . . . eodem modo Vester Conchensis Episcopus, Beatissime Pater, innumeris et inenarrabilibus Sanctorum Patrum testimoniis circumamictus, ad mysterium Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Mariae Virginis stabiliendum, et volentes omnia e pulvere levare, et verentes ne molestia supremam Vestram considerationem afficiamus, trepidamus nos exordiri. Sed naturali Vestra benevolentia innixi, et insigni desiderio, quo flagratis, tam magnum negotium ad frugem perfectam pervehendi; ex horto concluso, quem Satan semper invisit, et quo Deus tantum perambulavit, brevi manu aliena folia secernentes, tantum ramos hos colligemus, quos Boanerges in hac nostra Hispania plantavit, ut possitis et Vos placidam et decoram rosam Iericho, quae tametsi fuerit inter spinas, nihilominus ab eis minime fuit lacerata, in omni sua viriditate, splendore et odoris suavitate cuncto terrarum orbi ostendere ex Vestra altiore et principe Cathedra.

In Ecclesiasticis negotiis gravitatis haud dubiae, et in quibus discretio scrupulosa, et pervigil disquisitio, et attentio nimia exigun-

tur, gloriosus Sanctus Ioannes Chrysostomus [1] hanc solutionem praebet: *Est traditio? nihil quaeras amplius*. Supra hanc sententiam, quae a Theologis omnibus communiter usurpatur, indefesso pede per stadium curramus. Est traditio, P. B., non solum ecclesiastica, sed etiam apostolica et divina, ut potius dicam, Virginem filiam Beatorum Ioachin et Annae, ab ea totam pulchram oculis Altissimi et sine macula et sine ruga peccati Adae conceptam fuisse. En, P. S., per saecula phalangem macedonianam, ut ita dicam, quae hanc doctrinam usque in hanc diem ex Christi Ecclesiae incunabulis, et vivae vocis oraculo, et calami auxilio et adstruxit, et docuit, et transmisit.

In primo saeculo S. Iacobus minor [2], S. Marcus [3], et Andreas [4], Apostolorumque discipuli Ignatius Antiochenus [5], et S. Dionysius Areopagita [6]. In saeculo secundo S. Iustinus Martyr [7], et S. Irenaeus [8]. In tertio saeculo S. Hippolytus Martyr [9], Origenes [10], Divus Gregorius Neocaesariensis [11], S. Cyprianus [12], S. Dionysius Alexandrinus [13], et Chrysippus quidam Hierosolymitanus Presbiter [14]. In

1 *Hom. 4* super cap. 2, *epist. 2 ad Thessalonic.*

2 In sua *Liturgia.*

3 In sua *Liturgia ad Aegyptios.*

4 *Morti iam proximus suis fil. quasi extremum legatum de Immaculata Virg. perp. purit. sententiam tradidit.*

5 In suis *epist.* ad Ioannem et ad Christiferam Mariam, memoratis a Div. BERNARDO, serm. 7, *in Psalm. 90.*

6 *In epist.* ad Paulum praeceptorem suum.

7 *In quaest. ad orthodox. quaest. 136* et *in exposit. fidei de Trinitate.*

8 In libro 5 *contra Haeres.* cap. 19 et in cap. 33 lib. 3.

9 In oratione *de consummatione mundi.*

10 *Hom. 7* in Matth. cap. 1 prope in exordio: et *in hom. 3* in 2 Matth., et a Iodoco Clichtoveo in lib. *de Concept.* cap. 13, et a *Brev. Rom. Iuignoni* in tert. lec. citantur quaedam Origenis verba admodum clariora.

11 In suis trib. serm. *de Annunt.*

12 In orat. *de Christi Nat.*

13 In *epistola* quae habetur in tom. 2 Auctarii bibliot. veterum PP. in solut. quaest. 5, 7 et 10 *de Virg. impollut. innocent.*

14 In serm. *de laud. Mariae.*

saeculo quarto S. Athanasius [1], Titus Bostrenus [2], Ephraem [3], S. Basilius Mag. [4], S. Epiphanius [5], S. Ambrosius [6], S. Gregorius Nyssenus [7], D. Hieronymus [8], Timotheus Presb. Const. [9], Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha [10], Ioannes Hierosolymitanus [11], Caesarius [12], et Chrisostomus [13]. In saeculo quinto S. Augustinus [14], D. Maximus Taurinensis [15], Poeta Sedulius [16], Cyrillus Alexandrinus [17], Proclus Cyzicensis [18], Theodoretus Ancyranus [19], Basilius Episcopus Seleuciae [20], Theodoretus [21], Eusebius Emisenus [22], S.

1 Tom. 3, serm. *de Sanctiss. Deip.*

2 In cap. 1 Lucae.

3 Serm. *de laud. Mariae.*

4 In sua *Liturg.*, et secundum VALENT. in quodam serm. *de Incarn. Christ.*

5 In serm. *de laud. Beatae Mariae.*

6 CLICHTOVEUS, lib. 1 *de purit. Concep.* cap. 13; HILARETUS, in serm. *de Concept.* et BERNARD. DE BUSTOS, quaedam ex hoc Patre tradunt, quae in praesent. ac dies non inveniuntur. Item *in psalm. 118* et *in hom. de Cain et Abel.*

7 *Hom. 18 in Cant.*

8 *In epist. de Assumpt.* ad Paulam et Eustochium, tom. 9 super *ps. 77* et super Isaiam cap. 9.

9 In orat. *de Simeone Dei susceptore.*

10 In orat. *de Angelorum excellentia*, et *in epist.* ad Sergium Constantinopol. Patriarch. lecta et probata in sexta Synodo generali.

11 In lib. *de institut. Monachorum*, cap. 32.

12 In dialogo 3 circa finem.

13 In tom. 5 suae *Liturgiae*, et in serm. *de Annunt.*

14 *Ad fratres in Eremo*, cap. 2; *in tractatu de 5 Haeres.* cap. 5; in lib. *de Symb. exposit.* et *orat. Dominica*, serm. 2; et in serm. 18 *de Christ. Nativ.*, et aliis locis.

15 *Hom.* de Dom. in Ram., et PETRUS MORALES *de Christ. et Virg.* lib. 3 tract. 1 quaedam huius Sancti sole clar. producit.

16 Lib. 2 *oper. Pasch. et Virginit.*, et *in opere Pasch.* quod soluta orat. conscripsit cap. 1.

17 *In Brev. Rom.* edito a FRANC. IUIGN. *in fest. Concept.* lect. 3.

18 *In hom.* habita in Conc. Ephes. tom. 6, cap. 7.

19 *Hom. de Nativit. Servat.* habita in eodem Conc.

20 In orat. *de Verbi Incarnat.*

21 In cap. 6 *Canticor.*

22 In serm. *de Nativit.*

Leo Papa [1], et D. Petrus Chrysologus [2]. In saeculo sexto Anastasius Sinaita [3], et Andreas Cretensis [4]. In saeculo septimo Hesychius Hierosolymitanus [5], Synodus secunda Nicaena [6], S. Antiochus [7], S. Eligius [8], D. Venantius Honoratus [9], et Cosmas Hierosolymitanus [10]. In saeculo octavo Germanus Hierosolymitanus [11], sexta Synodus generalis [12], S. Ioannes Damascenus [13], Concilium Francfordiense [14], septima Synodus Generalis [15], Paulinus Aquileiensis Episcopus [16], et Albinus Alcuinus [17]. In saeculo nono S. Nicephorus Constantinopolitanus [18], Ionas Episcopus Aurelianensis [19], Theophanes Graecus [20], Strabo Fuldensis Monachus [21], et Ioannes Ausbertus [22]. In decimo saeculo Leo Imperator philosophus

1 In serm. 1 et 2 *Nativit. Salvatoris.*

2 In serm. *de Annunt.* num. 145 et in serm. 144.

3 In initio lib. 2 *anagogicarum contemplat.* super illud: *Firmamentum in medio aquarum;* et in lib. 6 prope finem.

4 *In 1 hom. de Virg. dormitione.*

5 In orat. 2 *de Sancta Maria Deipara.*

6 *Act. 6.*

7 In Pandectis Scripturae *hom. 21.*

8 *Hom.* 2 in die Purificat. habita.

9 In sua *Symboli expositione.*

10 In sua *Theogonia in hymnis 1, 5* et *6.*

11 *In theoria rerum Ecclesiasticarum et in quibusdam eiusdem Sancti epistolis* ad Ioan. Sinedon. et ad Thomam Ep. Cludipolen. recitatis in 2 Conc. Nicaen.

12 Sub AGATHONE celebrata, *Act. 8.*

13 *In Menologio Graecorum*, quod GALATINUS, BOTIUS, CANISIUS aliique huic Sancto tribuunt, in orat. 1 *de Nativ. Dom.*, in 3 *de Nativ. Mariae*, in 5 *de Dormit.*, in lib. 4 *de fide orthodoxa* cap. 15, et in orat. 2 *de Dormit.*

14 *In epist. ad Episcopos Hispaniae aliosque Christifideles*, sub finem.

15 Tam *in Act. 2*, quam *in epist.* ab ADRIANO Papa ad Tharasium data.

16 Lib. 3 *contra Felicem*, et lib. 6 contra finem.

17 In lib. 3 *de Trinitate*, et lib. 6 *contra Felicem Urgelitanum.*

18 *In epist.*, quam misit ad Leonem III Papam.

19 In 1 ex trib. lib. quos scripsit *pro defensione SS. Imaginum.*

20 In suo hymno *de Annuntiat.*

21 Auctor Glossae, quam ordinariam vocant in cap. 35 *Exodi.*

22 In serm. illo qui reperitur *in hom.* ALCUINI incipiente: *Creatoris Matrem omnis creatura magnificat.*

sapientissimus [1], Georgius Nicomediensis [2], Idiota [3], et S. Fulbertus Carnotensis Episcopus [4]. In saeculo undecimo S. Petrus Damianus [5], S. Anselmus [6], Petrus Abbas Cellensis [7], Ivo Carnotensis [8], et S. Bruno dignissimus Chartusianorum Patriarcha [9]. In saeculo duodecimo Rupertus Abbas Tuitiensis [10], Potho Presbyter Prunensis [11], D. Bernardus [12], Hugo de Sancto Victore [13], Richardus Victorinus [14], Petrus de Riga [15], Adamus Victorinus [16], Petrus Lombardus [17], Petrus Comestor [18], Arnoldus Carnotensis [19],

1 Luculentam orat. composuit *de Virg. Concept.*, quam Card. BARONIUS adservari dicit in Bibl. Sfortiana.

2 In ipsa etiam adservatur altera orat. *Virg. Concept.* GEORGII Nicomediensis.

3 *In Contemplat. de Virg. Deip.*, in cap. 3, 4 et 6.

4 In serm. *de Nativit. Virg.*

5 In serm. *de Annunt.*, in altero *de Assumpt.* et in serm. 3 *de Nativ. Virg.*

6 Quamvis aliquando videretur aliquid contra puritatem Concept. pronuntiasse, attamen hac de re sententiam mutavit, quod comprobat id quod scripsit *in epist. 2 ad Cor.* cap. 5, in lib. *de Concept.* cap. 18 et 27, *in epist. ad Episcopos Angliae*; et IOANNES BACON plura alia adducit huius Sancti test. ex quodam alio lib. *de Concep.* ex quo plura congessit BUSTOS in suo *Mar.* serm. 4.

7 In libello *de panibus* cap. 21.

8 In serm. *de Nativit. Dom.*

9 *In ps. 105* et in serm. *de Nativ. Virg.*

10 Videtur quod in lib. 1 *Cant.* super illa verba: *Meliora sunt ubera tua vino,* severiori censura Mariae Concept. taxaverit; tamen postea in lib. 3 et 6 eiusdem operis, et in lib. 7 *de glor. Trinit.* preclare sentent. retractaverit.

11 In lib. *de magna sapientiae domo.*

12 Non obstante epist. ad Canonicos Lugdunen. quae tamquam conficta et fabulosa censeri debet; pluribus in locis Immacul. Concept. Virg. affirmat in suo serm. *de Nativ. Christi, de Coena Dom.*, in serm. 4 super *Salve Regina,* in 4 *de Assumpt.* et in serm. *de verbis Apocalypsis.*

13 In lib. 3 Miscellaneorum tit. 125, et serm. 47 *de Assumpt.*

14 In serm. quodam, cuius initium est: *Necdum erant abyssi*, apud BUSTOS, et in lib. 2 *Emmanuele* cap. 28.

15 In suo carmine *de Evangel.*

16 In prosa *de Virg. Assumpt.*

17 In 3 *Sent.* §. 4.

18 In quodam serm. super verba ISAIAE: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon.*

19 In tractatu *de laud. Virg.*

et Petrus Blesensis [1]. In saeculo decimo tertio Conc. Oxoniense apud Anglos [2], Honorius Augustudensis [3], Alexander Halensis [4], Hugo Cardinalis [5], Albertus Magnus [6], Divus Bonaventura [7], Petrus de Tarantasia [8], et Rupertus de Rusia [9]. In saeculo decimo quarto Ioannes Duns Scotus [10], Guilelmus Varro [11], Augustinus Anconitanus [12], Petrus Aureolus [13], Antonius Andreas [14], Hervaeus Natalis [15], Franciscus Mairone [16], Guillelmus Okam [17], Monatous [18], Nicolaus Liranus [19], Adamus Ioddam [20], Bartholomaeus Pisanus [21], Ioannes Bacon [22], Taulerus [23], Paulus Venetius [24], Landulphus Neapolitanus [25], Hugo de Castronovo [26], Armanus [27], Ioannes

1 *In instruct. fidei ad Soldanum*; in serm. *de Magdal.* et in 2 *de Assumpt.*

2 *Can. 1.*

3 Super verba *Cant. 2: Imber abiit et recessit.*

4 In libello *de pura Concept.* retractavit sententiam ab ipso emissam *in 3 Dist. 3 quaestione 9.*

5 Super cap. 1 Lucae.

6 In lib. *de Mariae laud.* retractavit quod asseruerat *in 3 dist. 3.*

7 Suam etiam primam sententiam mutavit, nam in sermone 2 *de B. V. Maria* suam immunit. affirmat.

8 *In 3 sent. dist. 3.*

9 *In 3 dist. 3.*

10 *In 3 dist. 3, quaest. 1.*

11 Ut dicit Bustos *de Concept.* serm. 4.

12 In *Commentariis ad Cant. B. V. Mariae.*

13 In libello *de Concept. pura.*

14 *In 3 dist. 3.*

15 *In epist. 2 ad Cor.* cap. 5.

16 *In 3 dist. 3,* art. 3.

17 In trib. serm. *de pura Concept.*

18 *In 3 dist. 3,* art. 1, et in serm. *de Concept.*

19 Super illa verba: *Spiritus Sanctus superveniet in te.*

20 *In 3 dist. 3, quaest. 1.*

21 Tract. *de Virg. Deipara* fruct. 3.

22 *In 3 dist. 3,* art. 1, 2 et 3.

23 In serm. *de Purificat.*

24 In tract. *de Immac. Concept.*

25 *In 3 dist. 3.*

26 *Tert. sent. dist. 3.*

27 In eleganti tract. *de pura Virg. Concept.*

Vitalis [1], Robertus Lincolniensis [2], Ioannes de Basilea [3], Gerardus Antiochenus [4], Sancta Birgitta [5], et Sancta Elisabetha Hungariae Regina [6]. In saeculo decimo quinto Petrus de Candia [7], Ioannes Montnsonus [8], Concilium Basileense [9], S. Bernardinus Senensis [10], Petrus Apollinaris Poeta [11], Nicolaus Batavus Abbas Panormitanus [12], Ioannes Bassolis [13], D. Laurentius Iustinianus [14], Petrus Thomas Carmelitanus [15], Sixtus IV [16], Leonardus de Noguerolis [17], Pelbartus Temesvar [18], Petrus de Aquila [19], Michael de Bononia [20], Alexander Nequam [21], Baptista de Ferraria [22], Fridericus Nameas [23], Nicolaus Cusanus [24], Dionysius Cartusianus [25], Au-

1 *In defensorio B. V.*

2 *In 3 dist. 3.*

3 *In 3 dist. 3.*

4 *In 3 dist. 3*, ut videre licet apud Bustos.

5 In lib. 1 *suarum revelat*: cap. 9.

6 Asserit Pelvartus in lib. 4 *Stellarii* part. 1, quod haec per revelat. edocta est *de pura Virg. Concept.*

7 Apud Bustos in 4 serm. *de Concept.*, et *in 3, dist. 3.*

8 Secundum Iaquinum *in historia Francorum in Carolo VI.*

9 *Sen. 36.*

10 In tract. *de B. Virg.* serm. 4 in tom. 1, serm. 51 *de salut. Angelica*, tom. 2, serm. 52, fer. 4 post Resurrectionem, art. 1, 2, 3; tom. 4, serm. 49, fer. 3 de Resurrectione.

11 In suo *de Nativit. Virginis* carmine.

12 Quem citat Andreas Barbatias *in Praecem. Clem.* in cap. conquestus.

13 *In 3 dist. 3, quaest. 1.*

14 In tract. *de casto connubio Verbi et animae* cap. 7, *in fasciculo amoris* cap. 7, in lib. *de perfect. grad.* cap. 5, et in serm. *de Annunt.*

15 In tract. *de Concept.*

16 *In sua extravag.*, quae incipit: *Cum praexcelsa*, et in altera: *Grave nimis.*

17 Qui praeclar. officium *de pura Concept.* composuit.

18 *In pomerio* lib. 4 *Stellarii Mariani.*

19 *In 3 dist. 3.*

20 In libello *de pura Virg. Concept.*

21 *In 3 dist. 3, quaest. unica.*

22 *In 3 dist. 3, quaest. 1.*

23 *Hom 85 de Sanctis.*

24 In lib. 8 *Exercitat.* super *Sicut lilium inter spinas*, et in lib. 5 serm. ad illa verba: *Coelum et terra transibunt.*

25 *In 3 dist. 3, quaest. 1*, et in tract. *de laud. Virg. Deip.*

ctor anonymus lib. « *Dormi secure* » [1], Ioannes Picus [2], Innocentius VIII [3]; et facultas Academiae Parisiensis [4]. In saeculo decimo sexto Academia Moguntina [5], Alexander VI [6], Franciscus Petri [7], Nicolaus de Nisa [8], Oliverius Maillard [9], Hugo de Pratofloridos [10], Clichtoveus [11], Thomas Illyricensis [12], Iounnes Maburnus Bruxellensis [13], Dominicus Pico [14], Tartaret [15], Nicolaus de Orbell [16], Concilium Tridentinum [17], Pius V [18], Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus [19], Michael Hillaret [20], Franciscus Febardentius [21], Gregorius XIII [22], Turrianus [23], Theodoretus Pelto [24],

1 In suo serm. *de pura Virg. Concept.*

2 In libello *de arte cabalistica* Concept. puram asserit.

3 Confirmavit relig. Monialium sub invocatione Immac. Concept., quam postea Alexander VI, Iulius II et Leo X non solum probarunt, sed etiam privilegiis pluribus auxerunt.

4 Formulam composuit, quae in Carthophylacio Coenobii Fratrum Minorum Murciae servabatur contra Ioannem a Veri Magistratum, ut ea, quae contra puritatem Immaculatae Concept. pronuntiaverat, revocaret.

5 Iuravit Immaculatae Concept. defensionem.

6 In sua *extravaganti: Illius qui se.*

7 Sermones duos contexuit *de pura Concept.*

8 Duos alios sermones edidit; et eamdem sententiam defendit *in sent.* tract. 3, p. 1, f. 2.

9 Sermone unico.

10 Sermone *de Annunt.*

11 Tractatu *de Immacul. Concept.* et in quatuor sermonib., quos hac de re complevit.

12 Serm. 3 *de Incarnat.*

13 Tit. 24, alphabet. 56.

14 Claus. 3, serm. 23 *de Prodigo*, p. 1 Ioan. vig. Dominica, *de peccato origin.* cap. 13, vers. 2.

15 *In 3 dist. 3.*

16 *In 3 dist. 3, q. 1.*

17 Sess. 5, in calce decret. *de peccato orig.*

18 In Const. quae incipit: *Speculum.*

19 In cap. 5 *Epist. ad Rom.*

20 *In sacris Laudibus* tom. 30, *de pura Concep.*

21 Tam in scholiis ad Irenaeum, quam in aliis operib.

22 *In Bulla contra Baium*, in qua damnata est sua propos. 69.

23 *In epist.* ad Iac. Amiotum *de nat. pecc. orig.*

24 *De peccato orig.* tract. 6.

Bellarminus [1], Ioannes Lorinus [2], Benedictus Iustinianus [3], Cornelius a Lapide [4], Cardinalis Magontius [5], et Iulius Mazarinus [6]. Et in saeculis decimo septimo, decimo octavo et praesenti; quis cultores et assertores simul Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis enarrare audebit? Tale propositum aggredi, esset cum Archimede velle Oceani littorum arenas numerare. Sed apertum sit apud vos, Beatissime Pater, omnes istos piissimos virtute, et sapientia celeberrimos viros, cum aliis innumeris, quos omnibus in praedictis saeculis silentio, gratia brevitatis tradidimus, Conceptum Beatae Mariae Virginis almum, et nitidum, et purissimum, et immaculatum, ut videre est, nuncupavisse.

Mirum fortasse, Christi vicem in terris Gerenti videbitur, inter tot tamque praeclaros Ecclesiae militantis duces non conspicere Scholarum Angelum, Aquinatem Thomam. Animi ex nostri deliberatione perfecta belligerum talem et armatum fortem in silentium revocavimus, et hunc in locum ponere decrevimus, eo quod ab omnibus conspiciatur *solus* in defensionem atrii domus vivificae Dei, seu asserens Deiparam Mariam liberam fuisse a peccati originalis communi contagione, ipsomet suae Conceptionis instanti. Bernardinus de Bustos [7] S. Thomae de expositione Angelicae salutationis, haec verba producit: « Maria purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. » Eundem locum citant Canisius [8] et Salmeron [9] qui affirmat, Cardinalem Ioannem a Turrecremata verba ita cognoscere, et Divum Tho-

1 Tom. 3, lib. 4, *de statu peccat.*

2 *Ad psal. 95,* super illa verba: *Honor regis iudicium diligit.*

3 In c. 2 *epist. ad Thim.* ad ea verba: *Qui dedit redemptionem suam,* et in c. 2 *epist. ad Heb.* ad verba: *Quid est homo, quod memor es eius?*

4 In c. 5 *epist. ad Rom.* ad illa verba: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum.*

5 In *Mon. Mar.* Mon. 2.

6 *In psalm. 50,* disp. 96.

7 In offic. *de Concept.* 8 die. ex op. 8.

8 Lib. *de Maria Deipara.*

9 *In epist. ad Rom.* disp. 51.

mam piae sententiae toties adfavere. Nam codices illi, quibus hodie utimur, peccatum originale Virgini affigunt.

Solet etiam pro Immaculata Conceptione citari D. Thomas in *cap. 5 Epist. ad Galat. cap. 3.* ad illa verba. Non dicit in seminibus lect. 6. Nam Henriquez [1] in antiquissimis codicibus haec verba se deprehendisse affirmat: « Excepta Beata Virgine, quae omnino a peccato immunis fuit originali et veniali. » Etiam locus iste, ut hodie novis in editionibus iacet, vitiatus apparet, nam reperiuntur verba eadem in his, quae facta fuere Venetiis et Lutetiae Parisiorum annis Domini 1541, quarum perplures existunt, spondeo teste, bibliothecis non in paucis. Quae pertinet ad PP. e Societate Iesu oppidi, sermone gallico de la Flèche nuncupati, possidet exemplar unum gothicis exaratum characteribus.

Idem Angelicus Doctor in *1. dist. 45, q. 5, art. 3 ad 3* ita scribit: « Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, et nulla contagione peccati inquinatum sit: et talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit: fuit autem sub Deo, in quantum erat in potentia ad peccandum ». Quid expressius? Apertius quid? Beatissime Pater.

Haec verba, quorum luculentam expositionem habemus *cap. 10* editione operum S. Doctoris typis tradita Antuerpiae anno 1613, per scelestam, nefariam et execratione dignam manum Cosmae Morelles, ex ordine Predic. cuius diligentiae cura editionis commissa fuit . . Verba aurea, haud ita pridem citata vitiata apparent. Eadem pia mens D. Thomae, erga rem de qua nunc agitur, constat in eodem *1. Sent. dict. 57. q. 2. art. 4*, ubi persimilis sibi S. Doctor, cum sibimet obiicisset illa verba Anselmi « Decuit B. Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi », in solut. 3 ita occurrit: « Ad illud, quod obiicitur de Beata Virgine dicendum est, quod differt puritatis augmentum et charitatis; augmentum enim puritatis est secundum recessum a contrario: et quia in Beata Virg. fuit

1 Lib. 3, *de Sacram. Confirm* cap. 2, in Gloss. tit M.

depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad summum puritatis: sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, quae est in aliqua creatura quantum in se est. »

Per haec et alia S. Doctoris fragmenta non temere opinatur Summam Theologicam Doctoris tanti corruptam fuisse, et praecipue, quia auctor Dominicanus, qui eodem saeculo, quo D. Thomas, vel paulo post, diem supremum obivit, scilicet Bromiardus [1] aliter tamen et aliter refert, quae admodum leguntur *3. part. quaest. 17. art. 2.* Et Pater Theophilus Reginaldus, in Sintagmate de libris propriis, hispanum Dominum Bernardum de Foro, dum Romae fuisset ad causam Immaculatae Conceptionis Mariae urgendam, cum corruptionem notasset accusavisse de tanto crimine Cosmam Morelles coram Pontifice Maximo Paulo V; qui Cosmam male verbis accepit, et haec Pontificis obiurgatio Morelles induxit ad rumpendum plagulam papyraceam et ad restituendum sua in vera integritate fragmentum, quod vitiare cupiebat [2]. Doctor Angelicus, B. P., ut alter Phoebus fugatis nebulis, quae in operibus suis per manus scelestas et execratione dignas sparsae fuere, clarior oculis vestris eluceat, et similiter Vobis appareat Mater Dei in negotio gravissimo Immaculatae suae Conceptionis, circumamicta Scholarum sole.

Ex hac Doctoris Angelici defensione sponte fluit haec cogitatio: Circa Conceptionem Immaculatam Beatae Mariae Virginis discrimen erat inter catholicos Scriptores, et qui talem praestantiam Deiparae negant, videntes bilancem ex parte sua deficere, voluerunt ingens, immensumque pondus doctrinae tanti Doctoris dolose et ignobiliter lance in suo collocare. Fuit enimvero disceptatio catholicos inter auctores circa rem de qua nunc agitur, sed adde quod auctores oppositae nostrae sententiae sunt in numero unus pro mille, sua doctrina nova in Ecclesiae historia, quae in conspectu contrarii agminis favere linguis debebat, sua novitate in dedecus incedit: nam asserentibus SS. Augustino et Isidoro: « Illa autem quae non sunt

1 In serm. Praedicant. tit. B. Virg.

2 MONTARG. Dic. Apost. lib. 11 *de Immacul. Concept.* pag. 25.

scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe observantur; dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta, retineri. » Iuxta hanc auctoritatem supra dicta discrepantia traditionibus Hispanis fugata erit. In Hispana Ecclesia conspicies, B. P., fontem traditionis ex ipso Hispaniarum Patrono B. Iacobo Maiore Apostolo manasse, quae fortis Mardochei ad instar, adeo crevit, ut in tempore ortus controversiae, (quam deploramus) erat iam non rivulus exiguus et parvi momenti, sed flumen magnum, et profundum, quod Ibero potentius novitatem ex Gallis venire conantem, trans Pyrenaeos montes, sistere fecit.

Primus, qui in hac prima Catholica Natione Immaculatum Conceptum Beatae Virg. Mariae docuit, fuit S. Iacobus Maior Apostol., teste eius discipulo, Beato Thesiphonte, unus ex septem Apostolicis viris Hispaniae cultoribus, in his libris, qui nuper nostra memoria Granatae non procul ab Iliberi, in Montis Sancti antro reperti sunt. In his enim S. Thesiphon ex B. Iacobi doctrina sic alloquitur: « Illa Virgo, illa Maria, illa sancta praeservata fuit a peccato originali in primo instanti suae Conceptionis, et libera ab omni culpa. » Alio in volumine haec leguntur: « Nequaquam Angelus Virgini diceret: Ave gratia plena, si in originali peccato fuisset concepta. » Et in ipso haec sententia S. Iacobi inspicitur « Mariam non tetigit primum peccatum. » Horum librorum quanta sit fides et auctoritas, B. P., non adeo meum est explorare, cum id iam alii diligenter et feliciter praestiterint.

Doctrina Apostoli et eius Discipuli sicut pluvia in vellus super Hispanos descendens, ab eis festum Immaculatae Virg. Conceptionis, ipso Apostolorum tempore agi coepit. Flavius Dexter, filius S. Patiani Episcopi Barcinonensis, et qui floruit anno 392, in sacro Theodosii imperatoris senatu regio ut maximus consiliarius, in suo Chronico haec verba profert: « A Iacobi praedicatione celebratur in Hispania festum Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae. » Unde aperte constat hoc festum Apostolorum saeculo non tantum fuisse celebratum in Hispania, sed etiam eius solemnem celebrationem

viguisse tempore Flavii Dextri. Cui rei fidem facit aliud testimonium Pauli Orosii, qui sub Flavii Dextri tempus apud nostrates Hispanos floruit anno 425. Hic enim in Epist. ad Eutochium, ut citat Frater Mauritius de Villa probata [1] vel ad Hibiodorum ut dicit Bernardinus de Bustos [2] sic ait: « Coram Deo novi, et in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam devote Mariae gratia imploratur, et dies Conceptionis eius celebratur. » Ex quo apparet per dictum salutis nostrae annum 425, festi illius celebrandi morem nondum excidisse.

Quin potius eum morem sartum tectumque ad usque Isidori tempora perstitisse, ex eo sibi aucupari videntur, qui hunc in suo Missali Mistarabico, quod iussu Concilii Toletani IV reformandum suscepit, ex doctrina nationali et ex propria sententia peculiare officium de Conceptionis festo conflavisse asserunt. Prima lectio Isidoriani officii sumitur ex cap. 2. Prov. « Dominus possedit me etc. » Et in praefatione haec leguntur verba: « Dignum et iustum est, Omnipotens Pater, tibi in honorem Conceptionis gloriosae Virg. Mariae. » Et infra: « Cum multiplex illa Angelorum legio, caeteraque Sanctorum omnium, Virginum, Martyrumque concio, sive *terrestris Beatorum multitudo* in hoc Conceptionis gloriosae festo non cessant clamare etc. » Altera vera oratio, quae est inter extremas, sic se habet: « Domine Iesu Christe, qui sic matrem honorificasti quoque Conceptionis eius gratia eam coram te suffragatricem incomparabilem invenimus etc. » Ex his videre est, festi huius celebritatem ortam heroica Apostolorum aetate devenisse ad saeculum VII cum omni onorificentia, laetitia et maiestate.

Accedat, dignissime Caephae Successor, gravissimum aliud testimonium sanctissimi viri unius, quod compilatio simul et confirmatio istius narrationis esse potest. Marcus Maximus Historicus et Christianus Vates, qui ex Monacho S. Benedicti Caesaraugustanus Archiepiscopus creatus fuit, Sisebuto in Hispania regnante, inter

1 *In coron. Mariae* serm. 16.

2 Serm. 8 *de Concept.*

alia poemata luculentum dedit hymnum, ubi de apparitione illa, in qua Virgo Deipara Divo Iacobo Apostolo Caesaraugustae visendam sese praebuit, verba faciens sic scribit:

Ostendit illi se hilarem,
Suoque Natalitio
Conceptionis aureae
Templo manent encomia.
Conceptionis hunc diem
Iacobus Hispanos docet,
Et praedicat ceu caeteri
Ab omni labe liberam.
Hinc mos habet principium,
Hunc celebrandi iugiter
Populis Iberis diem,
Qui durat usque hodie.

Si doctrina ab Apostolo Iacobo tradita, serie non interrupta, immani ferocitate Romanorum Imperatorum despecta, ad Gothicum imperium in Hispanis transivit: videamus, quod in dissidiis nationum barbararum, quae huius regni dominationem inter se contendere, Gothis super Silingos, Suevos, Alanos, et Vandalos victoriam decantantibus, ipsam doctrinam Apostoli accrevisse. Concilium Toletanum IV quod Beato Isidoro commisit munus reformationis officii Divini, et Purissimae Deiparae Conceptionis, de Rege Gotho Sisenando hanc laudem affert: « Cuius devotio nos ad hoc decretum salutiferum evocavit. » Et infra: « Definitis itaque his, quae superius comprehensa sunt annuente religiosissimo Principe. » De Chindasvinto Archipraesul Rudericus [1] sic effatur: « Instituta B. Isidori firmiter observari fecit. » Postmodum « Concilium Tolet. XI. quod concilii IV decreta confirmavit, de Wamba Rege asserit [2] »,

1 Lib. 4, cap. 21.
2 Cap. 3.

culus ordine collecti etiam studio aggregati sumus, qui ecclesiasticae disciplinae his nostris saeculis novus reparator occurrit.

In ismaelitica inundatrice incursione, alma devotio erga Purissimam et Immaculatam Conceptionem B. Virg. Mariae, ut familia Noemi in aliis tantis arcis salvata fuit, ut pectora Hispanorum stetere; et gothica in restauratione a Pelagio incoepta, eadem doctrina et devotio auctum sequitur cum Isidoriano officio; et eo et Missali Mistarabico in captione Toleti per Alphonsum VI Castellae regem suppresso, nihilominus, piissima sententia robur adquirit.

Iacobus, cognomento Saracenorum debellator, ad oppositam non dicam sententiam, sed rabiem, quae Galliis serpere incipiebat, remorandam Iossue ipso callidior, ne a recentibus Gavaonitis plebs sua deciperetur, devotionem Immaculatae Conceptionis Virg. Mariae auxit, initium praebens ordini regio de captivis redimendis, qui protectrici suae sub auspiciis Immaculatae Conceptionis huius mysterii festum cum octava habuit, iuxta Silvestrem de Saavedra [1]. Addentibus Ioanne de Mariana [2] et Guimeran [3] dispositorem rerum suaviter, ad servandum mysterium Immaculatae Conceptionis sine macula in Hispania, per Iacobum Aragoniae Regem fortiter pertinxisse.

Exitiale virus trans Pirenaeum exagitatum per serpentem, qui morsu apprehendere Deiparam nequivit, eo quod ad caput suum conterendum munda ex ore Altissimi prodivit. Opinio, quae etiam cum pietate praelata, piarum aurium est offensiva, quae asserit: Matrem Dei in communi anathemate Adae et suae posteritati fulminato involutam fuisse, Gallis iam infectis, Iberiam inficere molitur. Sed ecce, B. P., Ioannes I Aragoniae Rex, ut alter Esdras et Nehemias alter, antemurale suae Ierusalem, id est mysterio, ex corde, Immaculatae Conceptionis adhibuit regiis suis ordinationibus [4] aiens: « Huius itaque Beatae Conceptionis Beatissimae Virg.

1 In epist. dedicat. *discurs. Concept.*

2 Lib. 12, cap. 8.

3 *In hist. B. M. V. de Redempt. captivor.* part. 1, cap. 7 et 8.

4 In lib. *de privileg. Reg. Aragon.*

colimus ex puro corde mysterium, et eius festivitatem solemnem, quam Regia Domus nostra quolibet anno devota exultatione concelebrat, et perinde perpetuam nostri praedecessores illustri memoria recolendam. » Et infra: « Devotionem, iam dudum in cordibus suis de tam Sacratissima Virg. Conceptione adaugeant. » Et subdit: « Et nos utique dedicavimus confratriam ». Demum Eliae spiritu inflammatus, adversus tantum mysterium oppugnantes sic apostrophatur: « Taceant vociferatores inutiles, disputatores stulti erubescant de tam praeclara Immaculata et Pura Conceptione Virginis violenta producere argumenta. » Sileat, B. P., sileat oratio circa eamdem rem Philosophi Leonis, qui in Oriente imperavit, et sileat coram Hispano Rege universa terra. Sed non omnis egregius amator Immaculatae Conceptionis B. Mariae dilectionem et sapientiam Regis Ioannis I Aragoniae cum videat, ut Regina Saba alloquatur Salomoni isto: « Maior est scientia tua et sapientia tua, quam rumor, quem audivi. » Et plebi suae: Beata gens, quae tua est sub ditione « quia non fecit Deus taliter omni nationi, nec iudicia sua sic manifestavit eis. » Venia impetrata pro hac hispani mei amoris effusione, filum iterum sumamus. Cum devotione et propugnatione Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virg. Hispania immaculata fuit, labis ipsam Deiparam labefactare cupientis. Cura et diligentia piissimorum suorum Regum. Nam Ioannes II Aragoniae in lege ab ipso lata hanc assertionem confirmat aiens [1]: « Insequens vestigia illustrissimorum et serenissimorum Principum, venerabilis memoriae Domini Ioannis Regis, D. Martini Regis, et semper victoris Regis, D. Alphonsi et illustrissimae Dominae Mariae suae coniugis tunc vicem gerentis dicti Domini, qui feliciter regnat hodie, ex quibus unusquisque, diversis temporibus, fecerant leges, statuta et multas laudabiles ordinationes in additione honoris et reverentiae gloriosae Virginis Dominae nostrae et sanctae suae Conceptionis. » Et Marineus Siculus [2] memoriam faciens huius et alterius legis,

1 *In recap. com. Catalauniae*, vol. 1, lib. 1, tit. 2.

2 *De rebus Hisp.* lib. 12.

quae habetur libro de Tropheis regni Aragonum, pietatem Ioannis II sic demonstrat: « Festum quoque de Beatae Virg. Conceptione sicut et alia eius festa celebrari summa cum veneratione praecepit: et ne quis Virg. in peccato originali fuisse conceptam, neque publice neque privatim dicere auderet. »

Regum Austro et Gallico-Hispanorum pietatem et reverentiam commendare esset calamum in infinitum dirigere; et pro primis loquatur Imperator Occidentis et Hispaniarum Rex Carolus XI; pro reliquis Carolus III indelebilis memoriae. Iste sua regna Hispaniarum et Indiarum sub protectione B. V. Immaculatae collocavit, et ille confraternitates regias circa tam almum mysterium instituit. Sed, si Praesulum et Regum testimonia non sufficiunt, mentem Ecclesiae Hispanae et suorum divitum hominum et cunctae plebis, ostendunt Hispani insignes scriptores et oratores sacri Prudentius [1], Fulgentius [2], Ildephonsus [3], Dominicus a Guzman [4], Antonius Lusitanus communiter a Petavio [5], Raimundus Lullius [6], Vincentius Ferrerius [7], Alphonsus Tostatus [8], Bernardinus de Bustos [9], Ioannes a Turrecremata [10], Toletus [11], Sanctius Porta [12], Franci-

1 *In Apotheosi*, cuius verba citat S. Ildephon. *de part. et Virg. Mar.*

2 In serm. *de dup. Christ. Nativ.*, in serm. *de laud. Mar.* prope finem.

3 In lib. *de parturit. et Virg. Mar.* pleraque testim. per totum hunc trat. sparsit, et in serm. 1 *de Annunt.*

4 In libello *de Sacram. corp. Christ.*, contra Albigenses scripto.

5 Dom. 1 post Epiph. et Dom. 3 Quadrag.

6 In speciali tract. *de pura Virg. Concept.*

7 In serm. *de eadem Concept.*, in 1 *de Nativit.*, sed expressius in 2 serm. *de Nativit.*

8 Super prol. D. Hier. c. 6, et in c. 23 *Exodi*, q. 8.

9 In suo *Mariali*, in suis undec. concion. *de Immac. Concept.*, et o ffic. hac de re composuit, quod probavit Sixt. IV in Bulla, quae incipit: *Dilecti fili.*

10 *In 3 dist. 3, q. 1*, et in libello spec. *de Imm. Conc.*

11 In Ioan. cap. 3, annot. 9; in Luca cap. 10, annot. 119; et in cap. 5 *Epist. ad Rom.*

12 In *Mariali* et proprio serm. *de Concept.*

scus de Ossuna [1], Ovando [2], Michael de Palacios [3], Ludovicus de Carvajal [4], Thomas a Villanova [5], Dominicus a Soto [6]. Et ex Iesu Societate Ignatius a Loyola [7], Iacobus Lainetius [8], Alphonsus Salmeron [9], Maldonatus, [10] Pererius [11], Gabriel Vasquesius [12], Valentia [13], Martinus del Rio [14], Henricus Henriquez [15], Ioannes Fernan [16], Sebastianus Barradas [17], Ioannes Pineda [18], Petrus de Ribadeneira [19], Ioseph a Costa [20], Petrus de Morales [21], Ioannes Salas [22],

1 Duos dedit serm. *de pura Concept.*

2 *In 3 dist.* 3.

3 *In 3 dist.* 3, *q.* 1 et passim alibi per alia sua opera.

4 In praelegant. exclam. expostulat. *pro Immac. Concept.*

5 In serm. 1 *Assumpt.*

6 In lib. *de nat. et grat.* lib. 1, cap. 7, et cap. 5 *Epist. ad Rom.*

7 In codice illo, in quem illustrat. Dei, habitas 40 dierum spatio coniiciet.

8 Defensor ardentior Immacul. Concept. in Conc. Trident.

9 Tom 1, tract. 12 *de infantia Salvatoris*, sed uberius tom. 13, in cap. 15 *Ep. ad Rom.* a disp. 49, usque ad 52.

10 In cap. 9 MATH. ad illa verba : *Non veni vocare iustos.*

11 In DANIEL cap. 4, ad illa verba : *Germ. radicum in terra sinite.*

12 3 part. disput. 117.

13 Tom. 4, disput. 2, q. 1, punct. 2.

14 *In Florina Mariana* in fest. Concept., et lib. 4 *Magic. Disquisit.* cap. 1, f. 3, sect. 4 et in cap. 2 *Canticor.*

15 Lib. 2 *de Missa*, cap. 7, tit. S, *in Glossa et de fide hominis*, cap. 10, tit. B, *in Glossa.*

16 *In thesar.* scripto verbo Calcaneus num. 1.

17 Tom 1, lib. 6 concord. cap. 3.

18 In cap. 14 lib. IOB, super illud : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* in serm. pereleg. quem de hac thesi in vulgus dedit, et in tract. illo pervenusto, quem ita inscripsit : *Advertentiae ad privilegium undecimum.* IOAN. *S. Aragonum Regis*, ac denique in respons. ad eorum obj.

19 *In flore Sanctorum* 8 decemb.

20 *De Christo revelato* cap. 1, num. 18.

21 In cap. 1 MATH. lib. 3, tract. 1 *de Praeservat.*

22 Tom. 2, in 1, 2, Divi THOM., q. 81, tract. 3, Deip. SS. sect. 5, num. 68.

Ioannes Ossorius [1], Ludovicus a Ponto [2], et Conchenses Petrus de Oieda [3], et Ferdinandus Salazar [4].

Pateat V. Paternitati Sanctissimae non tantum istos, sed alios plurimos Hispaniae filios egregios assertores fuisse Conceptus Immaculati Virg. Mariae in Annae utero, nam ex exemplo Academiae Valentinae digno in Universitatibus et Gymnasiis, et doctores, et magistri, et iurisconsulti, et Parochi solemniter Deum in testem adhibent, antequam peculiaria sua munera fungantur, se credere et propugnaturos esse tam almum mysterium, quia de facto tale est apud Hispanos. Et si, secundum S. Irenaeum, cum disceptatio est in aliqua quaestione, oportet in antiquissimas occurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione, sumere quod certum et reliquidum est [5]; nonne P. B., haud sumes quod in Ecclesia Apostoli Iacobi Maioris certum et perliquidum semper fuit? Absit.

Superest, B. P., ut perpauca de nostro grege ad Vestram efformandam sententiam enarremus. Devotio erga Immaculatam Conceptionem B. Virg. Mariae adeo radicavit in hoc populo honorificato (Conchensi) quod est vere et absque hyperbole pars praecipua suae christianae hereditatis. In pauperum tabernis sicut in turribus magnatorum, in pagis illitteratis, ut in civitatibus studio et arte cultis, peromnes absque sexus et conditionis varietate Beata Deipara sumitur ex antelucano pro terra, quam benedixit Dominus, ut averteret captivitatem Iacob, et quam possedit ab initio: pro mundo, quem valde bonum et mundum Deus Christo creavit, ut Paradysus hominis secundi; pro arca Noe, quae in diluvio culpae universam terram et excelsos Sanctorum montes operiente, elevata fuit in sublime et nullatenus submersa fuit, nec intus tacta per aquas; pro

1 In fest. Concept.

2 Tom. 1, part. 2, med. 3, punct. 4.

3 In libel. quem scripsit: *Informatio Ecclesiast. de pura Virg. Concept.*

4 In suo praeleganti opere, cuius titulus est: *Defensio pro Immaculata Virgin. Deiparae Concept.*

5 Lib. 3, cap. 4 adversus Haereticos.

rubro Moyses, qui inter flammas illaesus et splendorem et nitorem cum igne aquisivit; pro virga Aaron, quae inter caeteras sola germinavit et floruit; pro Throno, quem ad occupandum digne Divinus Salomon sibi fecit de ebore, et vestivit auro fulvo nimis; pro nubecula Eliae, quae de mare salsugine et amaritudine pleno, dulcis ascendit; pro terra Gessen, quae cum mundi Egyptus in tenebris densissimis iaceret, solis luce sola fruebatur; pro columna nubis deserti, quae decorata solis luce per diem, tota nocte illuminatione ignis maculam obscuritatis nescivit; pro vapore, de quo Sapientia dicit, est enim virtutis Dei et emanatio quaedam Omnipotentis Dei syncera, et ideo nihil inquinatum in eam incurrit; pro speculo sine macula Dei maiestatis: pro columba perfecta et immaculata, iuxta Hebraicum textum; pro luce, quam fecit Deus Verbo suo, ad chaos de humanitate eliminandum; pro horto concluso ubi cinnamomum et myrrha, casia et gutta, terebinthus et cypressus, oliva et palma, quercus et platanus, rosa et lilium cum sint, et faetor et corruptio ad sua maenia non accessere; pro fonte signato, ex quo Deus bibit; pro urbe sancta, quam ipse Deus fundavit; pro templo Divi Salomonis, ubi ad ingressum non Pontificis Iudaei, sed ad introitum Regis gloriae ornatum fuit mane diluculo auro gratiae, et setine virtutum, et cedris donorum; pro thymimiamate odoriferante inter Arabiae aromata; pro manna ex coelo descenso ad Iesu nutrimentum; pro domo aurea ad instar eius in Apocalypsi descripta, ad inhabitandam per Deum constructa; pro amica Dei, ad quam alloquens ipse, veni: et deserto non existentiae ad vitam progressa fuit deliciis affluens innixa super dilectum suum, circum amicta sole, luna et syderibus; pro secunda Eva, de costa munda ex mundo limo condita; pro Esthere sponsa, quae in conspectu mentis aeterni Assueri, ut se praebet, ad genus humanum ex Aman inferni deliberandum, videt sceptrum humiliatum et audit magnifica verba: « Non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est: » et demum pro Iudith, quae ad Holophernem abyssi; pro Iahele, quae ad Sisaram averni et pro *Muliere* quae ad caput serpentis conterendum, ut eques Apocalypsis ad vitam venit. « Vincens ut vinceret. »

Ea est, P. B., fides, quam publice et per domos noster Senatus ex hac Basilica sancta et Clerus huius Matricis Civitatis, et caeterarum Paraeciarum, et Optimates et plebs cuncta uno ore profitentur, nam patres nostri annuntiaverunt nobis ab omni retro antiquitate.

Hac in aetate per vestigia piorum nostrorum maiorum praesens generatio feliciter progreditur. Etiam nunc tanto in vigore est et adeo subsistit adhaesa Hispanorum praecordiis devotio erga Immaculatum Conceptum Sacrosanctae Virg. M. ut infantuli non indigeant illo Scripturae consilio: « Interroga Patres tuos et dicent tibi. » Matres praecipue quibus cum crescit dilectio, et devotio maximum munus Matrum statuunt in eo ut ubera sua sugentibus, inter oscula blandimentaque ad aures indesinenter dicant: « Ave Maria Purissima, » et ad responsionem excitantes prosequantur « Sine peccato concepta. » Post quam lactentes haesitante voce loquelae primitias Deo per Immaculatum Conceptum Deiparae offerunt . . . Hac salutatione simul prolata Matres suam Cathecheseos inchoant hac vere Hispana oratione: « Benedictum et laudatum sit altaris mysterium, et pura et munda Conceptio M. SS. absque macula conceptae originalis peccati primo in instanti naturalis sui esse. » Ex ore infantium et lactentium, B. P., perfecit et perficit Deus laudem Genitricis suae in hac Ecclesia Conchensi contra inimicos eius immaculati Conceptus. Propterea absque admiratione passim atque passim auditur haec salutatio, et ipsa Elisabeth et Hispana traditione composita, quam parvuli in Civitatibus, et in rure etiam iuvenes et senes, Sacerdotibus et optimatibus frequentissime dirigunt: « Ave Maria Purissima, » respondentibus istis, « sine peccato concepta. »

Ex hac congenita Hispanorum devotione et consuetudine procedit, ut vix videre sit, non dicam Urbem, Oppidum sine templo, templum absque altari, et domum sine icone Conceptus Immaculati. Inter quae memoriam facere licebit, effigiei, quam apportarunt Equites militiae S. Iacobi annum versus 1193, quae etiam nunc asservatur in domo Urcesensi suae iuresdictionis spiritualis, sed intra nostrae tractum, et Missalis mixti secundum consuetudinem

Almae Ecclesiae Conchensis, quod typis Ioannis a Canova Conchae traditum fuit anno 1559, complectens Missam propriam de Immac. Virg. Conceptione: et inter monumenta sub tam glorioso titulo per pietatem erecta constet templum in oppidulo Villaconejos Conceptui Immaculato Virg. Mariae dedicatum et litteris Pontificis Innocentii XIII munitum. Deiparam Virginem fuisse primo suae almae Conceptionis instanti, intemeratam, illibatam, immaculatam et immunem ab omni prorsus, etiam levissimo, originalis peccati halitu, est similiter sententia, doctrina, et ampla et profunda convictio huius parvuli inter Vestros filios, Conchensis Episcopi. Quare si haec aliquid ponderis in Vestra elucubratissima et sapientissima consideratione, habere potest, acclinis piis Hispaniae et universalis Ecclesiae traditionibus, exopto, desiderio desidero, impetro, obsecro, exoro, et iterum atque iterum supplex rogo, ut ad honorem Iesu Christi, ad gloriam Mariae Deiparae, et laetitiam et triumphantis et militantis Ecclesiae, et ad Satanae et satellitum eius maiorem confusionem, definire velitis infallibili Vestra voce: Mariam B. Virginem Immaculatam fuisse primo glorifico instanti, quo in ventre suae Matris Annae fuit concepta et semper et pro semper immunem, liberam, et praeservatam ab omni peccati originalis labe.

Vestrum osculat pedem

Beatissime Pater

Datum Conchae die 12 martii anno 1850

Obsequentissimus inter Filios
Fr. FIRMINIUS, *Episcopus Conchensis.*

CDI.

DEL VESCOVO

DI ALBA

BEATISSIME PATER

Priusquam ad ea, quae ab omnibus catholici Orbis Episcopis Encyclicis Literis diei 2 Februarii anni mox praeteriti Sanctitas Tua petit, respondeo, veniam mihi plurimam a B. T. deprecandam sentio, quod non citius, ut par erat, atque equidem voluissem, muneri meo satisfecerim. Nec id tribuendum negligentiae, quae certe in re adeo expetita atque acceptissima nulla esse poterat: ipsae tantum temporum vicissitudines quibus factum etiam est, ut nec tempestive admodum mihi Apostolicae Sanctitatis Tuae Litterae redderentur, in causa fuerunt cur non maturius rescriberem.

Certe si id tantum abs me nosse B. T. voluisset, quam scilicet laetus exultansque excepturus essem oraculum B. V. M. Conceptionem omni prorsus labe caruisse definiens, non utique diu haerendum dubitandumque censuissem; responsio erat in promptu, nil mihi optatius, nil mihi accidere posse suavius, quam si hac honorificentissima corona dulcissimam Matrem Apostolico decreto Beatitudinis Tuae, antequam diem extremum clausero, adauctam ornatamque exaudirem. Primus etenim omnium in Subalpinis pro summa mea a teneris unguiculis hausta in pientissimam Parentem ac patronam perpetuam observantia, reverentia, grato animo et amore, ut eam sine labe conceptam, eius Conceptionem Immaculatam in litaniis lauretanis et in praefatione Missae praedicare liceret enixis precibus impetraveram. Laetissimo insuper experimento senseram id ad Cleri populique meae curae commissi affectus in purissimam Matrem inflammandos plurimum valuisse.

At quia praeter id quod egomet velim, tum quid Clerus ac populus exoptet, tum vero illud maxime nosse Te velle edixeras quid sentiam de re ipsa, Cleri voluntatem accuratius tentandam, mihique rei ipsius momenta subtilius disquirenda ac religiosius expendenda intellexi.

Feci utrumque, B. P., et Cleri populique voluntatem quam amplissimis Capituli Canonicorum Ecclesiae meae Cathedralis, ac Ecclesiarum Parochialium Rectorum Literis testatissimam habeo, eam Tibi nulla dubitatione securus lubensque esse confirmo, ut quemadmodum mihi ita et Clero ac populo meo nil possis facere iucundius quam si optatissimam definitionem incunctanter protuleris.

Quaestionem totam compressis quidem affectibus, ne forte desiderata magis quam quae exploratiora sint pro certis complecterer, cura vero intentissima, adhibitis quoque prudentum virorum consiliis, reque cum venerabilibus FF. Coepiscopis aliquot studiosius communicata, versavi quantum potui diligentissime. Factum hinc est, ut animo carior usque sententia evaserit, quae B. V. ab omni vel minimula labe quovis tempore liberam tenet, ac magis magisque vetus meum desiderium accenderetur ut fide certum hoc credere aliquando liceat quod humanis argumentis verissimum habeo : rei tamen gravitate territus (fateor enim B. P.) a me impetrare nusquam potui, neque nunc possum, ut Te instantissime rogans, ut exoptatissimum decretum, si Deus tantum benignus adspiret, edas, alias pene quam obsequentis simul atque obfirmati et cupidissimi deprecatoris partes apud Te agere audeam.

Novas Canonicas horas de Conceptione Immaculata liberalitate Tua usi, iam in solemni eiusdem festo, ac per octavam volentissimi recitavimus, et in posterum prae veteribus in Dioecesi recitabuntur. Preces quoque quas indicendas iusseras, publice privatimque Clerus populusque obivimus. Has si Deus, ut confidimus, clemens exceperit, si Potentissima Virgo his votis favens annuerit, et desiderium nostrum de edendo oraculo B. P. explebis, et ipsa Virgo quae Te difficillimarum tempestatum furoribus agitatum suo Numine protexit, plenam perfectamque tranquillitatem Tibi Ecclesiaeque suo cum

Rectore laboranti impetrabit, Te ad Romanam Pontificiam Sedem Tuam quam citissime prospereque restituet, Teque diu nostrùm, totiusque Catholici Orbis venerationi atque amori sospitem felicemque praestabit. Quae dum a Principe Pastorum, atque ab Immaculata eius Matre votis omnibus vehementissime cum Clero et populo efflagito quotidieque dum vixero efflagitaturum despondeo, Apostolicam Benedictionem mihi ac Dioecesanis omnibus a Te B. P. humiliter expostulo.

Datum Albae die 25 Martii 1850

Humillimus atq. Obseqmus Famulus et Filius
CONSTANT. MICHAEL FEAS *Ep. Alb. in Subalpinis.*

CDII.

DEL VESCOVO
DI SOISSONS

BEATISSIME PATER

Epistolam Vestram Encyclicam de Immaculata Beatae Virginis Mariae Conceptione gratanter accepimus, eamque statim ad animarum Rectores Dioecesis Suessionensis transmisimus, una cum documento pastorali et Mandato de praescribendis precibus ad intentionem Vestrae Sanctitatis. Itaque Litterae Apostolicae in omnibus nostris perlectae fuerunt Ecclesiis; unde eadem ac nos consolatione affecti sunt fideles. Immaculatam enim Dei Genitricem fuisse, praeter ordinem naturae lapsae, absque peccato originali conceptam pie credunt. Nil ergo, in hac Dioecesi, obstare videtur quominus Sancta Sedes statuat in favorem Immaculatae Conceptionis Mariae;

quin etiam, Nos huius Ecclesiae Pastor, Canonici, Directores Seminariorum, Sacrae Theologiae Professores, aliique Presbyteri sacrum ministerium exercentes, necnon omnes pii fideles, expostulamus ut, veluti Ecclesiae Catholicae doctrinam, solemniter definire velit Sanctitas Vestra Beatissimae Virginis Mariae Conceptum Immaculatum omnino fuisse, atque omni prorsus originalis culpae labe immunem: ita ut, etsi per definitionem istam proponatur de Immaculata Deiparae Conceptione sententia pientissima tanquam in Universalis Ecclesiae doctrina fundata, nec proinde possit absque erroris nota contradici, nec etiam sine damnanda temeritate, in dubium revocari, non assimiletur tamen expresso fidei articulo, ne forte infirmi in fide offendantur.

Nihilominus, Beatissime Pater, quidquid ea de re definire Sanctitati Vestrae placuerit, decretum Sedis Apostolicae ut veram ac firmiter tenendam credendi agendique regulam accipiemus. Confitemur enim cum Patribus Florentinis totaque retro antiquitate Christiana, Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi universalem Ecclesiam a Domino Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Sanctitatis Vestrae, Beatissime Pater

Suessione in Galliis die 27. Martii 1850.

Devotissimus et Obsequentissimus in Christo Filius
P. ANS. ARM. *Ep. Suess.*

CDIII.

DEL CARD. VESCOVO

DI CORNETO E MONTEFIASCONE

BEATISSIME PATER

Erga SSmam Dei Genitricem sine originali labe conceptam vetus iam est tum in Falisca, tum in Cornetana mea Dioecesi pietatis ac devotionis studium. Innumeri ex utroque sexu ibi sunt tertio Franciscalium Ordini adscripti, qui peculiarem se cultum immaculato Deiparae Virginis Conceptui profiteri gloriantur. Corneti praesertim in eiusdem festi pervigilio omnes pene sunt familiae, quae ieiunium pane et aqua observare in Eius honerem constantissime solent. Dici autem vix potest, quam grato et exultanti animo dilectissimi mei ex utraque Ecclesia filii illud acceperint a Te, Beatissime Pater, benigne concessum meis precibus, Indultum, addendi nimirum in Praefatione Missae de Conceptione B. V. Mariae *et te in Conceptione immaculata*, et in Litaniis Lauretanis *Regina sine labe originali concepta*, et quo sanctae laetitiae sensu illas Tuas audiverint venerabiles sub die 2 Februarii proxime elapsi anni 1849 Encyclicas Literas, quibus publicas indixisti preces ad Divini Spiritus auxilium implorandum, ut mens Tua coelesti lumine illustrata illud de Conceptu Immaculato Virginis consilium, quod ad maiorem tum Sancti Dei Nominis gloriam, tum Bmae eiusdem Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem conferat pro rei veritate assumere valeas. Itaque in honorem Deiparae, tam in duabus Cathedralibus Ecclesiis, quam in aliis Parochialibus publicae adhibitae fuere precationes. Et generalibus consulto habitis utriusque meae Ecclesiae Comitiis Capitularibus, responsum mihi est, nihil Clero ac populo gratius et

optatius contingere posse, quam ut de immaculato Mariano Conceptu dogmatica tandem aliquando definitio edatur.

Et sane in ipsa S. Scriptura testimonium habemus ex quo res insinuari videtur. Etenim *Genes. cap. III, v. 14, 15*, legimus: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen « illius, ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius. » Hoc loco daemoni sub serpentis forma latenti denunciatur fore aliquando, ut mulier caput eius conterat; seu innuitur victoria mulieris in peccatum, quod daemonis suasu patratum in mundum est propagatum. Iam vero haec mulieris victoria incompleta foret, si mulier peccato et daemoni ullo temporis puncto fuisset obnoxia. Praeterea ex eodem Gen. loco perspicuum esse videtur eiusdem generis futuras inimicitias serpentem inter et mulierem (Mariam,) et semen illius (Christum). Iam vero inimicitiae serpentem inter et Christum fuere perpetuae; ergo et perpetuae habendae sunt serpentem inter et Mariam, ut eam proinde ullo unquam tempore serpentis labe infectum dici sit nefas.

Accedit et Ecclesiae Patrum auctoritas. Nimis certe longum foret eos hic omnes recensere. Sed paucos seligam, qui rem acu, ut dicunt, tangunt. Pulchrum enim in iis est legere: « Mariam modo ser« vatam incorruptam, et usque ad caput benedictam, » ut in Dionysio Alexandrino; modo « Eam idoneum esse Christo habitaculum non « pro habitu corporis, sed pro gratia originali, » ut in S. Maximo Antistite Taurinensi; modo « venenosis serpentis afflatibus minime « infectam, » ut in Origene; modo « Virginem innocentem sine ma« cula omni vacantem culpa, non doctam Evae mala, » ut in Theodoto Ancyrano Antistite; modo « integram fuisse per gratiam ab « omni labe, » ut in Ambrosio; modo « Mariam ex mundo forma« tam luto Deum sibi extraxisse Virginem velut domum, quam inco« leret, ideoque eam prorsus mundam aedificavit, » ut ait Sanctus Proculus in Orat. VI.

Anonymus auctor tractatus contra quinque haereses ad V saeculum spectans idipsum tradit, dum Christum ita loquentem inducit: « Ego Matrem de qua nascerer feci; ego viam meo itineri praeparavi

« atque mundavi [1]. » Ergo si Deus praecipuo studio Matrem sibi effinxit, eam profecto peccati sorde coinquinari non est passus, secus sibi et Matri iniuriam fecisset. Sed argumentum hoc evolvit clarius Paschasius Rotbertus in lib. *de perpetua virgin. S. Mariae et de eius parturitione*. Hic enim negat, carnem Mariae fuisse carnem peccati, siquidem ut ipse affirmat: « Constat eam ab omni originali peccato « fuisse immunem, per quam non solum maledictio matris Evae so- « luta est, verum etiam et benedictio omnibus condonatur; » et paulo infra subdit: « Eam ab omni contagione primae originis alie- « nam. » Librum hunc quidam perperam S. Hildephonso Archiepiscopo Toletano adscribunt.

Sanctus Ioannes Damascenus homilia prima in Nativitatem Mariae Virginis ait: « Natura gratiae germen antevertere ausa non est; sed « mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet ». Ex versione *Le-Quien num. 2*. Quo in loco mens S. Doctoris est, gratiam praevertisse naturam, et tunc editam Virginem, cum eius animam protulit gratia. Digna vero, quae legantur sunt verba, quae idem S. Doctor paulo inferius subdit: « Unigenitum Dei ex hac terra Virgine « et impolluta seipsum in hominem efformasse. »

Iis tandem plures addendi sunt Scriptores, graves illi quidem, nec numero pauci, quos inter videndi et Ioseph hymnographus, et Gregorius Metropolita Nicomediensis, et S. Petrus chorepiscopus, ac tandem S. Petrus Damianus, qui adeo luculenter id testatur, ut nullus dubitationi superstes sit locus. « Caro Virginis, ait, ex Adam as- « sumpta, maculas Adae non admisit. »

Ex liturgiarum autem testimonio innotescit quae mens super hac re alicui Ecclesiae constanter inhaeserit, quod argumentum eo est firmius, quo nobilior Ecclesia et Liturgia vetustior.

In perantiqua liturgia, quae Iacobi nomen praefert, haec legimus: « Commemorantes Sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam « Dominam nostram Matrem Dei et semper Virginem Mariam [2] »

1 In appendice *operum S. Augustini*, edit. Maur. tom. VII.

2 Vide Euseb. Renaudotium, *Collect. Liturg. Orient.* Paris 1716, tom. 2, et Bibl. Maximam PP. Lugd. tom 2, part. 1, pag. 3.

« Commemorationem agimus SSmae, Immaculatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae Matris Dei et semper Virginis Mariae. [1] »

In ritu ordinationis chorepiscopi, qui apud Syros Maronitas obtinet, quemque ex vetusto codice vulgavit Morinus, legimus: « Omnes pro eo oremus Sanctam et laudatam et Immaculatam Dominam nostram, beatam omni tempore Mariam Genitricem Dei commemorantes [2]. »

In liturgia Alexandrina S. Basilii legitur: « Praecipue vero Sanctissimae, Gloriosissimae, Immaculatae, benedictionibus cumulatae Dominae nostrae Deiparae et semper Virginis Mariae [3]. »

In liturgia S. Marci haec novimus: « In primis Sanctissimae intemeratae etc. [4] »

Passim itaque nobis multa occurrunt, quae magnae Dei Parentis omnimodam immunitatem a quavis labe peccati commendant.

Huc accedit quod festus dies Conceptionis Beatissimae Virginis ab aetate remotissima penes Graecos et Orientales fuerit institutus. Vestigia vero non incerta huius festi saeculo quinto nobis occurrunt, ut constat in typico S. Sabae, qui floruit an. 484 [5], et ex S. Andrea Cretensi, qui floruit anno 636 [6].

Iam vere S. Sabas, tum Andreas Cretensis loquuntur de Conceptione passiva Beatae Virginis, cuius festum eodem die, eodemque sub titulo Graeci celebrare consueverunt.

Labentibus annis maiori cum solemnitate hoc festum fuit penes Graecos celebratum, eodemque die Patres ad populum verba habere consueverunt. Georgius Archiepiscopus Nicomediensis tres orationes in Conceptionem Virginis habuit, in quarum altera haec leguntur: « Cum itaque haec festivitas illustribus omnibus solemnitatibus praeat; par omnino est, ut tamquam principio et caussae universo-

1 Ibi Pag. 4.

2 *De sacris Ordinationibus* pag. 313.

3 Renaud, Op. cit. tom. I, pag. 72.

4 Apud Renaud, loc. cit.

5 Apud Cuper. in *Act. Sanct.* Boll. tom. VI Iul.

6 Bibl. Max. Patr. tom. X.

« rum bonorum, venerationem ei adhibeamus, impensiorique eam « gaudio celebremus [1]. »

Pronum vero est ex reliquis orationibus aliorum, quae supersunt, hanc festivitatem saeculo decimo longe lateque toto Oriente diffusam inferre. Sub idem ferme saeculum decimum in Occidentali Ecclesia festum de Conceptione Beatissimae Virginis institui coeptum est. Eiusdem primordia, iuxta Mabillonium, saeculo decimo in Hispania fuerunt, deinde vero in Anglia, exinde in Gallias, aliasque regiones penetravit.

Sane veteribus monumentis diligentius perpensis innotescit in Italia longe ante saeculum decimum Conceptus Virginis cultum viguisse. In perantiquo Kalendario Ecclesiae Neapolitanae, quod clarissime Alexius Symmachus Mazochius refert ad saec. IX habemus sub die IX Decembris haec verba: « Conceptio Sanctae Mariae Virginis ».

Si ergo in Ecclesia celebratum est tempus illud, quo B. Virgo est in utero sanctae Annae concepta, quomodo tunc temporis sorde originis inquinata, daemoni mancipata, Deoque inimica potest excogitari?

Non obscuris argumentis idipsum ratio nobis suadet. Nisi enim omnibus dotibus, quibus ornata praefulget Dei Parens valedicere velimus, eam omnis in origine expertem labis affirmare debemus. Siquidem si hac labe infecta Deipara fuisset, reliquae eius dotes veluti obumbratae delitescerent, ac atra macula inquinatae obnubilarentur. Dato semel, quod immunda eius fuisset origo, quaenam ex eius dotibus non eidem verteretur in probrum? Est Dei Parens? ast prius fuit filia culpae. Est coeli terraeque Regina? ast antea tartareae potestati subiecta. Est gratiae Mater? ast prius filia irae. Est advocata peccatorum? ast prius nobis socia culpae. Est Spiritus Sancti templum? ast antea diaboli diversorium.

Aliud praeterea nobis praesto est argumentum, quod ex relatione Virginis cum Sanctissima Trinitate efflorescit. Beatissima Virgo est Dei Parens. At quis filius, si matrem sibi efformare et seligere

1 Bibl. Max. Patr. tom. XII.

queat, non eam omnibus numeris velit absolutam? Ecquis filius non eam nobilem potius quam rusticam, pulchram potius quam deformem, divitem quam pauperem, puram et integram potius quam immundam velit? Absonum profecto est ab amore filii aliter velle.

Gloriosissima Virgo est Spiritus Sancti Sponsa. Ecquis autem sponsus non eam cupiat impollutam, intactam, nulla unquam sorde inquinatam?

Quo animo fuerit, sitque etiamnum Ecclesia erga Immaculatum Virginis Conceptum, colligere pronum est ex hactenus dictis, et clarius ex dicendis innotescet. Academiae discentium, regna, qua late patent, religiosae familiae pietatis ac doctrinae laude florentes, viri religione et bonarum artium cultura prestantes sese sacramento obstrinxerunt, Immaculatum Virginis Conceptum tueri, ac huiusmodi decus eidem vel capitis sui periculo vindicare. Summi Pontifices et indultis et constitutionibus hoc pium placitum suffulcire, cultumque hunc per omnes late Ecclesias amplificare non destiterunt. Ad aures omnium pervenere decreta. quae edidit Sixtus IV, quae Alexander VII, aliique Pontifices ediderunt. Id sane luculenter apparet in Constitutione Alexandri VII: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* edita 8 decembris ann. 1661. « Nos considerantes, quod « sancta Romana Ecclésia de intemeratae semper Virginis Mariae « Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale et proprium « super hoc officium olim ordinavit, volentesque laudabili huic pie« tati et devotioni favere, nec non tueri pietatem et devotionem « hanc colendi et celebrandi Beatissimam Virginem, praeveniente « scilicet Spiritus Sancti gratia *a peccato originali praeservatam*, « Constitutiones et decreta a Sixto IV, Paulo V, Gregorio XV edita « in favorem sententiae asserentis, Animam Beatae Mariae Virginis « in sua creatione et in corpus infusione *a peccato originali prae« servatam* innovamus etc. [1] »

Extremis hisce temporibus, quibus bellum in Religionem, et Religionis administros conflatum est, Deus in misericordiis dives no-

1 In Bullar. Rom. tom. V, part. V, pag. 181, § 4.

vum studium in animos fidelium erga Dei Parentem labe originis carentem immisit, omnesque Ecclesiae in cultu hoc fovendo mira certatim pietate contenderuut. Hinc festus dies solemnius celebratus, hinc nobiles per Urbes pompae, hinc novemdialia ante festum praemissa pietate ardentiori, hinc supplices libelli, quibus Praesules amplissimi pro suis Dioecesibus a S. Sede postularunt additionem verbi *Immaculata* in Missae Praefatione, ac elogii *sine labe originali concepta* in litaniis Lauretanis.

Quare cum habeamus et Scripturae testimonium, ex quo res insinuari videtur, cum habeamus traditionis instrumenta, sententias nempe Patrum, quorum auctoritas tanti est habenda in quaestionibus, quae Ecclesiam, fidemque respiciunt, libros liturgicos ad cognoscendum tradictionis obiectum, cum tandem habeamus mentem Ecclesiae, communemque fidelium sensum, qui, ut ait Melchior Canus: « In « quaestione fidei, haud levem facit fidem » et de quo Gregorius de Valentia ait: « Est in definitionibus fidei habenda ratio, quoad fieri « potest, consensus fidelium »; in votis et ego essem, ut Romana Sedes dogmaticae sanctionis robur addere possit sententiae affirmanti, Beatissimam Virginem labis expertem in Conceptione fuisse. Quin imo id humiliter a benignitate Tua efflagito nomine Dioecesum mearum, quae suas preces aliis per Orbem Ecclesiis consociant, nec eas in irritum fusas confidunt. Cum praecipue Tu, Beatissime Pater, consona Orbis Christiani supplicatione commotus, magnaeque Matris beneficiis recentibus cumulatus Angelorum Reginae decori impensissime studeas.

Quae omnia dum ea, qua par est reverentia ac obsequio sapientissimo Sanctitatis Tuae consilio subiicio, Apostolicam benedictionem ut mihi, fidelibusque meae curae commissis impertiri digneris devotissime postulo

Corneti XV. Kalendas Maias 1850.

Humill. Addict. et Obseq. Famulus
NICOLAUS *Card. Ep. Corneti et Montisfalisci.*

CDIV.

DEL VESCOVO

DI MILTO *IN PARTIBUS*

AMMINISTRATORE DELLA DIOCESI DI LIVORNO

BEATISSIMO PADRE

Il Vescovo di Milto, Amministratore della Diocesi di Livorno, avendo sempre reputato suo precipuo dovere, e primo suo vanto di obbedire ai comandi, e ai desiderii del Supremo Pastore; ricevuta che ebbe l'Enciclica della Santità Vostra de' 2 Febbraio 1849 colla quale Ella fa sentire quanto Le stia a cuore di conoscere il sentimento di tutte le Chiese dell'Orbe sulla dottrina dell'Immacolato Concepimento della Beatissima Vergine, ordinò nella Diocesi ridetta ripetute e protratte preci per implorare il lume del Santo Spirito all'oggetto predetto.

Non omise quindi di riandare le Opere antiche, e di procurarsi ancor le moderne che espressamente trattano l'argomento; aggiungendo opportune Consultazioni; tuttochè le dottrine in appoggio della Immacolata Concezione si abbiano qui può dirsi sempre tra mano, per la divozione che le ebbe sempre Livorno, e per essere stata sempre fervorosamente predicata ai Fedeli.

Al che può e devesi aggiungere esplicitamente che questo Clero, e questo Popolo è stato sempre decisamente parziale della eccelsa prerogativa che pone anche sotto questo rapporto l'Augusta Madre di Dio, dopo il Divin suo Figlio, al di sopra di ogni creatura.

Questo Clero è convinto che le autorità scritturali non si oppongono alla dottrina dell'Immacolato Concepimento di Maria, e che anzi mediante gli argomenti de' Santi Dottori, e delle Scuole, e le

gravissime ed invitte ragioni di congruenza, quelle Autorità ridette ricevono in proposito adeguata interpretazione, e risultane pur anco appoggio e favore.

Fedelissimo poi il Clero stesso in tutto e per tutto alla S. Sede, non solamente ha osservato in ogni tempo con piena esattezza lo Statuto analogo della f. m. di Sisto IV Sommo Pontefice; ma inoltre per sentito affetto e venerazione verso la Vergine incomparabile, avrebbe risguardata siccome una irriverenza, quasi direbbesi bestemmiatrice, un sentimento ed una espressione men pia contro il di Lei Immacolato Concepimento.

Ond' è senza meno desideroso di quel maggior onore che può venir tributato alla Augusta Signora, siccome è da tenersi per fermo che sia stato sempre ricercatore industrioso di quei migliori argomenti che corroborano la dottrina medesima.

Ed il Popolo non ha udito su di ciò che una parola uniforme, nè i Sacri Oratori gli han tenuto mai diverso linguaggio. Quindi è che desso, non gran fatto alla portata di distinguere tra Domma e dottrina della Chiesa tenuta e favorita, onora lo Immacolato Concepimento che gli è stato sempre predicato e provato, e la discussione e la controversia piuttosto recherebbegli scandalo, inteso sempre al maggior onore della Santissima Vergine che venera con specialissimo culto.

Nè dai desiderii, e dagli affetti del Clero, e del Popolo furono mai, nè mai saranno per essere dissenzienti quelli del Pastore, che sè stesso, e la Greggia constantemente si adoprò a riparare sotto il manto della Invitta Conculcatrice del serpente, e che ogni santo impulso si fa, e si farà sempre un debito di avvivare. E per la illimitata venerazione che sempre nutrì e nutre verso la Suprema Cattedra, ed il di Lei infallibile Oracolo, reputando non esser uopo di riprodurre argomenti già notissimi, non osa altronde formular giudizi sul gravissimo oggetto di aggiungere un nuovo articolo a quelli della Cattolica Fede, protestando che non ebbe, e non mai avrà altra dottrina in fuor di quella della S. Sede Apostolica, e che sarà sempre sua consolazione il maggior esaltamento di Maria.

Quindi il Vescovo predetto rinnuova fervide preci a quel Dio che La fece sì grande, e sì portentosa, affinchè si degni inspirare la Santità Vostra, ed anco di operare se facesse d'uopo un singolar prodigio pel bramato intendimento.

Nella viva fiducia che l'Altissimo anco in ciò stesso si degnerà manifestare la portentosa ecònomia di sua Provvidenza rispetto alla sua Chiesa sempre combattuta e sempre trionfatrice; confidando il sottoscritto di aver satisfatto per quanto era in sè alle cinque interpellazioni contenute nell' allegata Veneratissima Enciclica della Santità Vostra, ogni bene ripromettendosi da Colei per mezzo della quale tutto ne volle dare il Signore, da colei che è tutta Miracolo; prostrato al bacio del Sacro Piede, ed implorando l' Apostolica Benedizione sopra di sè, e sopra questi Diocesani, con profondo ossequio si protesta

Di Vostra Santità

Livorno 1 Maggio 1850

Umilissimo Servo, e Figlio Obbedientissimo
GIROLAMO *Vescovo di Milto Amministratore della Chiesa di Livorno*

CDV.

DEL VESCOVO

RI S. GALLO *NELLA SVIZZERA*

BEATISSIME PATER

Persolutis diutius ardentibus ad Deum Patrem luminum precibus, auditisque Consiliariorum nostrorum Ecclesiasticorum sententiis, devotissime ac humillime transmitto responsum meum ad quaestionem omnibus totius Catholici Orbis Episcopis propositam circa statuendum Dogma *de immaculata Conceptione B. V. Mariae.*

In Dioecesi Nostra omnes vere Christifideles Clerici et laici firmiter credunt, B. V. Mariam absque macula peccati originalis esse conceptam, semperque immaculatam fuisse. Nam 1.° gratia plenam salutat Angelus Gabriel Beatissimam Virginem. 2.° Nullo momento potuit displicere Deo. 3.° Christus Iesus aeterni Patris Filius consubstantialis carnem et sanguinem peccaminosum assumere non potuit. 4.° Omnipotentiae divinae facile est, et sanctitati eius infinitae consentaneum, excipere B. Matrem Filii sui a peccato originali. 5.° Denique relatio singularis S. Dei Genitricis ad Sanctissimam Trinitatem exigere omnino Nobis videtur, eam sicut ab omni peccato actuali, ita etiam a peccato originali immunem, intactam et immaculatam, adeoque in conspectu Divinitatis semper totam pulchram extitisse.

Quare quilibet sanae mentis vere Catholicus immaculatam Conceptionem B. V. M. firma fide credit, nec ullus contrarium asserere praesumit.

Cultus B. V. Mariae in regionibus nostris eximie viget. Festa eius solemniter ac devote celebrantur. Frequentia eorum qui in festis Beatissimae Virgini Mariae dedicatis adeunt Poenitentiae tribu-

nal, et Sanctissimam Eucharistiam, permagna in omnibus Paraeciis existit. In qualibet parochiali Ecclesia Altare secundum in honorem B. Dei Genitricis erectum habetur.

Nulla invenitur Parochia, in qua non sint Confraternitates in eiusdem honorem, e. g. Confraternitas S. Rosarii, S. Scapularis, sanctissimi et immaculati cordis B. V. pro conversione peccatorum et infidelium etc. Scapularia vel nusmimata cum imagine B. V. M. non solum plurimi ruricolae, sed etiam devotiores fideles urbani portant.

Coronam B. M. V. seu Rosarium omnes vere Catholici, nondum spiritu mundano correpti vel qualibet die, antequam cubitum eunt, vel saltem diebus sabbati in communi, vel in domibus, vel in Ecclesiis aut sacellis recitant. Diebus dominicis et festivis sub Missis privatis alta voce Rosarium cum litaniis de Beatissima Virgine recitare moris est. Idem fit in Missis quotidianis non solemnibus a populo congregato assistente.

Salutationem Angelicam ad sonum campanae ter in die in omnibus Ecclesiis resonantem religiose ac devote recitant.

Singulis mensibus Processiones publicae in honorem Immaculatae V. M. fere in omnibus Parochiis solemniter habentur.

Denique in angustiis et adversitatibus ordinarie confugiunt ad B. V. Mariam, refugium peccatorum, auxilium Christianorum et consolatricem afflictorum. Frequenter peregrinantur ex devotione ad templa Beatissimae Virgini dedicata et ob exauditas preces celebria, v. g. ad Monasterium miraculis insignitum « loci Eremitarum » (Einsielden).

Haec omnia luculenter probant, Beatissimam Dei Genitricem in Dioecesi nostra aliisque Helvetiae partibus prae omnibus creaturis summo honore Hyperduliae nulli aliae creaturae debitae coli, atque populum Christianum maiori cum fiducia ad Matrem pulchrae dilectionis, Reginamque coeli confugere, quam ad alios Sanctos et Angelos cuiuscumque Ordinis.

Ex quibus omnibus mihi, meisque Consiliariis persuasum est, venerationem B. M. Virginis, quam immacutate conceptam, et a

peccato originali exceptam immunemque cum SS. Patribus et S. Ecclesia firmiter credimus, decisione vel definitione dogmatica, quod immaculate concepta sit, augeri non posse, talemque definitionem dogmaticam pro tempore esse superfluam.

Quae autem nostris perturbatis et undique falso lumine mundano seductis temporibus *suadere* videntur, inpraesentiarum non statuere Dogma de Immaculata Conceptione, sed potius id differre ad novam aeram, uti speratur, Religioni Catholicae, et obedientiae erga Christi Vicarium ac S. Ecclesiae Episcopis magis amicam, sunt sequentia.

Tali Decreto dogmatico supervacaneo dato et publicato in Helvetia et Germania acatholicis et novatoribus infecta variae disputationes causarentur, libelli odio et calumniis pleni ederentur, in foliis publicis ubique grassantibus hoc dogma impugnaretur, ac nefarie deformaretur; quare multorum seductio timenda foret, acatholicorum autem obstinatio firmaretur, iique longius a veritate averterentur. Folia publica et libelli contra Religionem scripti longe copiosius in lucem sparguntur, quam Catholicam Religionem defendentes.

Materiam de Conceptione admodum delicatam, et tractatum de ea in publicum edere absque necessitate, consultum non videtur. Nimis magna foret tentatio malorum, et carnalium litteratorum, obscena eructandi in modum infelicis Voltairii (Voltaire), eiusque successorum.

Attamen his rationibus non obstantibus nec momentum haesitabo me subiicere decisioni Sanctitatis Tuae, persuasus, eam a Spiritu Sancto esse infusam. Hoc devotissimo animo supplex Benedictionem Apostolicam petens summa qua par est, veneratione perenno

Sanctitatis Tuae

Ad S. Gallum die 25 maii 1850.

Devotissimus Humillimus Servus
IOANNES PETRUS *Episcopus San Gallensis.*

CDVI.

DEL VESCOVO

DI CARRA *IN PARTIBUS*

COADIUTORE ED AMMINISTRATORE DI KINGSTOWN NELL' *ALTO CANADÀ*

All' Emo Sig. Card. Fransoni Prefetto della S. C. di Propaganda Fide.

Illustrissime ac Eminentissime Domine

Votis Sanctissimi D. D. Patris Nostri Pii IX Papae cupientis cognoscere, annuens, qua devotione huiusce dioeceseos Clerus populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Mariae Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret ut eiusmodi negotium ab Apostolica Sede decernatur; pergratum est mihi Eminentiae Vestrae reverenter annunciare, devotionem ac pietatem fidelium mihi commissorum erga Immaculatae Virginis Mariae Conceptionem ita flagrantem esse, ut non pauci eorum ingenio, virtute, pietate, doctrina praestantes viri valde mirantur quod nondum ab Ecclesia et Apostolica Sede hic Sanctissimae Virgini decernatur honor, quem communis fidelium pietas ei ex eiusdem Ecclesiae auctoritate tribui tantopere exoptat.

Equidem huiusmodi devotio periucunda est mihi qui vel a teneris annis nihil potius, nihil antiquius habui, quam intimo cordis affectu Beatissimam Virginem Mariam colere, et ea peragere quae ad maiorem ipsius Virginis gloriam et laudem procurandam, cultum promovendum conducere posse videntur. Itaque summo quidem studio in tanti momenti negotium curam habui, cogitationes meas serio impendere atque humiles fervidasque Deo Optimo Maximo pu-

blicas preces effundere non cessavi; ut coelestis suae gratiae lumine mentem Sanctitatis Suae collustrare velit quo cognoscere possit quid in hac re sit peragendum. Etenim tali animatus confidentia non esse auditum a saeculo quemquam ad Sanctissimae Virginis Mariae currentem praesidia aut sua implorantem auxilia esse derelictum, non dubito quin clementissimus luminum Pater Sanctitati Suae mentem superna Divini Spiritus luce illuminare dignetur, ut veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam definire velit Beatissimae Virginis Mariae Conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem. Interea ad Sanctitatis Suae pedes provolutus inviolabilem Sanctae Sedis Apostolicae ex imo corde profitens obedientiam, venerationem et obsequium, Apostolicam Benedictionem pro omnibus Christi fidelibus in hac dioecesi humiliter imploro.

Hanc opportunitatem non omittam renovandi meam reverentiam animumque gratum

Eminentiae Vestrae

Regiopoli die 7 mensis Iunii anno 1850.

Frater Devotissimus et Humillimus
PATRITIUS *Episc. Carrensis Coadiutor. Admin. Dioec. Regiopolitanensis.*

CDVII.

DEL VESCOVO

DI BETELEMME *IN PARTIBUS*

ABATE DI S. MAURIZIO *NEL BASSO VALLESE*

BEATISSIME PATER

Cum magno gaudio ac summa laetitia cognovimus ex Encyclica, Caietae data die 2 februarii anno 1849, permultos Antistites, collegia canonicorum, et familias religiosas, postulasse, ut ab Apostolica Sede, solemni iudicio decerneretur, Sanctissimam Dei Genitricem, omniumque nostrum amantissimam Matrem Immaculatam Virginem Mariam, absque labe originali fuisse conceptam. Non possumus non adhaerere tali desiderio, quo semper flagravimus, praesertim nunc quando Sancta Sedes propensa videtur obsecundare votibus fidelium omnium.

Apud nos, Sanctissime Pater, Beatissima Virgo, ubique, sive a clero, sive a populo fideli colitur sub invocatione Immaculatae Conceptionis, cuius festum publicum nec non ex praecepto celebratur die 8 decembris. Sub hac invocatione praesertim honoratur ab omnibus et cum inscriptione huius praerogativae, imagines Beatissimae Virginis, sive in numismatibus, sive in picturis representantur. Testamur igitur, Beatissime Pater, ut patet sive ex publico cultu, sive ex privatis interrogationibus, Clerum ac populum nostrae iurisdictioni submissum, summa devotione erga Immaculatae Virginis Conceptionem animatum esse, nec non desiderio flagrare ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur. Nos vero, Beatissime Pater, pro humili scientia nostra credimus, ac intime persuasi sumus, Sanctam

Sedem tuto posse ex cathedra, hanc veritatem ut dogma declarare. Quod valde desideramus ac speramus brevi eventurum fore.

Sanctitatis Tuae

Agaunii in Vallesia die 15 Iunii 1850

Filius Humillimus et Obedientissimus
STEPHANUS, *Episcopus Betheleem Abbas Agaunensis*

CDVIII.

DEL VESCOVO

DI IRINA *IN PARTIBUS*

AMMINISTRATORE APOST. DI LIMBURGO

Illustrissime ac Excellentissime Domine [1]

Encyclicas Sanctissimi Domini nostri Literas de die 2 Februarii, pro memoria tantum ad me datas fuisse arbitratus sum; idque vel ideo: 1.° Quod exemplaria Parisiis essent impressa: 2.° quod ex parte excellentissimae dignitatis vestrae ne verbulum quidem iis habebatur adiunctum, ac 3.° quod huiusmodi Encyclicas ad Diocesanos solummodo directas iudicaverim.

Cum autem ex Literis Vestris de die 9 huius mentem Sanctissimi Domini clarius intellexerim, hinc libenter, (abstrahendo semper ab ipsis quaestionis principiis, et licet in hacce materia melius amem

1 Non sappiamo a qual personaggio sia indirizzata la presente, cui fedelmente riportiamo.

credere quam argumentare), quid in subiecta materia sentiam cum omni submissione vobis manifestum faciam.

1.° Quaestio haec olim nimium et absque ullo animarum fructu exagitata fuit.

2.° Utraque sententia defensores habuit viros omni quidem exceptione maiores, immo sanctos.

3.° Ipsimet negantes seu opponentes tantopere addicti erant Beatissimae Virgini Mariae, ipsamque venerabantur, quantum defendentes.

4.° Hodie quaestio haec, saltem in hacce regione, extinta est omnino, ipsaque sancta et Immaculata Virgo Mater Dei ubique prout decet colitur, veneratur, et invocatur, ac

5.° fideles hanc quaestionem aut ignorant aut male capiunt etc.; ergo *opinor* ego, non dari praecise necessitatem edendi definitionem in hac re dogmaticam.

Verum ex altera parte: 1.° exquisita fuit, iuxta mentem Sanctissimi Domini, omnium Episcoporum etc. in hac re sententia.

2.° Fideles de ipsa re fuerunt instructi et ad fundendas preces in finem exhortati.

3.° Quaestio ergo revixit aliquatenus, et si non sequatur definitio ignoratur illius eventus.

4.° Pro sententia affirmativa adsunt motiva in ratione theologica ac praxi hodiedum fere generali fundata; ergo in hac parte contrarium sentio, atque definitionem dogmaticam edi posse iudico.

Interim Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX in sua prudentia ac infallibilitate iudicabit, atque iudicium illius nostrum est.

Et ecce, Excellentissime Domine, candidam opinionem meam: quod placuerit de ea faciat.

Interim sincero cordis affectu sum

Ruremundae hac 2 Iulii 1849.

Devot. et Obed. vester Famulus.
I. A. PAREDIS *Ep. Hirin. Adm. Ap.*

CDIX.

DEL VICARIO APOSTOLICO

DI SVEZIA E NORVEGIA

(*Estratto di Lettera comunicato dalla Cong. di Propaganda Fide.*)

Quant' a la Lettre Encyclique de notre Saint Père, que votre Eminence m'a bien voulu envoyer, et qui tracte l'importante question de l'*Immaculée Conception*, je ne sais comment exprimer ma joie de ce que Dieu a inspiré au Saint Père de s'en occuper plus que jamais, dans ce temps qui a plus besoin que tout autre de l'intercession et de la protection puissante de la S. V. Certes, la solution catholique de cette question viendra mettre en rage tout l'enfer, mais sera de même le triomphe complète de la Mère de Dieu sur la terre, et fixera les yeux de l' Univers catholique d'une manière spécial et ranimante sur le saint Siège, et même ceux des hérétiques de *bonne foi*. Le monde chrétien est attaqué aux entrailles, donc le reméde doit aussi tenir aux entrailles, et c'est ce que fera la définition finale de la doctrine catholique sur l' Immaculée Conception. Nos cinq prêtres catholiques dans la peninsule Scandinavique en sont ravis, en prévoyant que la décision de cette importante doctrine par le Saint Siège tombera comme la faudre du haut du ciel sur le monde incredule.

STUDACH *Vic. Ap.*

Concorda col suo originale salvo ec.
Dalla Propaganda 10 Luglio 1850.

AL. BARNABÒ *Segretario.*

CDX.

DELL' ARCIVESCOVO

DI PARIGI

TRÈS-SAINT PÈRE

Je me suis empressé, à la réception de l'Encyclique de Votre Sainteté du 2 fevrier de l'année dernière, de m'occuper du sujet important sur le quel Elle appelle l'attention la plus sérieuse de tous les Evêques du monds catholique.

J'ai consulté les hommes les plus graves, les théologiens les plus habiles de mon diocèse. J'ai ensuite examiné moi même et pesé toutes choses devant Dieu avec le plus grand soin. Il est résulté de tout cela un travail dont les conclusions sont:

1.° Que d'après les principes de la théologie, l'Immaculée Conception de la T. S. Vierge n'est pas *définissable*, comme vérité de foi catholique, et, dans aucun cas, ne peut être imposée comme croyance *obligatoire sous peine de damnation éternelle;*

2.° Qu'une définition quelconque, alors même que l'Eglise ou le S. Siège croiraient pouvoir la porter, ne serait point *opportune;* car elle n'ajouterait rien à la gloire de la Vierge Immaculée, et elle pourrait être nuisible à la paix de l'Eglise et au bien des âmes, surtout dans mon diocèse.

Ce travail, Très-Saint Père, est fait depuis bientôt un an. Des motifs que Votre Sainteté me permettra de taire, m'ont fait hésiter jusqu'ici et me décident enfin à ne pas le laisser sortir de mon Cabinet. Mais, afin de décharger ma responsabilité devant Dieu et pour obéir aux ordres du Vicaire de Jésus-Christ, j'ai cru devoir lui faire connaître confidentiellement, sur cette question, *ce que je pense et ce que je désire*, comme s'exprime l'Encyclique de Votre Sainteté.

J'ajouterai seulement que déjà souvent sollicités de terminer par un décret solennel la controverse relative à l'Immaculée Conception de la T. S. Vierge, vos illustres prédécesseurs ont constantemment réfusé de le faire. C'est ce qu'on a vu en particulier sous Paul V et Grégoire XV, au témoignage de Benoit XIV; sous Clement XII, au témoignage du P. Perrone, et beaucoup plus recemment sous Grégoire XVI de sainte et heureuse mémoire.

Le grand et bien aimé Pie IX, marchant sur le traces de ces glorieux Pontifes, résistera, nous ne pouvons en douter, aux mêmes sollicitations. Cependant si nos prévisions étaient trompées là dessus, nous n'en accueillerons pas avec moins de respect et de joie la décision suprême; car nous soumettons ici, comme en toutes choses, nos sentiments et nos désirs au jugement infaillible du Vicaire de Jésus-Christ.

Je suis, Très-Saint Père, avec la plus profonde vénération

De Votre Béatitude

Paris, le 26 juillet 1750.

Le Fils très-Dévoué et très-Obéissant
M. D. AUGUSTE *Archev. de Paris.*

CDXI.

DELL' ARCIVESCOVO

E DEL CLERO DI LIMA

BEATISSIME PATER

Qua decet reverentia receptis Sanctitatis Tuae circularibus Litteris Caietae datis IV. nonas Februarii proxime elapsi anni MDCCCXLIX illico ac fuit mihi fas huius Ditionis legibus ad illarum executionem publicas preces indicere, praefatas Litteras pronuntiavi, meoque edicto decrevi fidelem populum mihi concreditum, trium mensium spatio primum hacce in Metropolitana solemniter, dein paraccialibus, necnon utriusque sexus regularibus dioeceseos ecclesiis ad obsecrandum in unum convenire. Quod revera factum est ita: dignetur ergo Omnipotens Deus, fons lucis et origo veritatis, in quo nostros coniecimus cogitatus, totius Ecclesiae suae preces benigniter exaudire, et sapientia sua Sanctitatis Tuae mentem instruere, ut dogmaticum decretum de Immaculato Sanctissimae Virginis Mariae Conceptu expedire valeat!

Officio functo, mea interest iussum exequi « ut maiori qua fieri « potest celeritate, significem Sanctitati Tuae qua devotione meus « Clerus populusque fidelis erga immaculatae Virginis Conceptionem « sit animatus, et quo desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Aposto- « lica Sede decernatur, atque in primis quid ego de re ipsa sentiam, « quidque exoptem ».

Quod ad meam attinet sententiam, existimo, Sanctissime Pater, me in generali Episcoporum caetu quo Dominus sicut promisit affuturus, divina assistentia fretum, pro affirmativa starem, plurium venerabilium Patrum Tridentinae Synodi in hoc prementem vestigia, qui ut ita definiretur optavere. Etenim sic, etsi subobscure ac velu-

ti velis obvoluta apparet haec veritas in verbis quibus Creator omnium nostrum Deus, dum in antiquum generis humani hostem poenam irrogaret ita minatur (*Genes. III, 14 15*): *ipsa conteret caput tuum* quovis modo haec verba legantur, vel *ipsa* iuxta antiquam et authenticam Vulgatae editionem, vel *ipse* aut *ipsum* prout alii contendunt. Sic etiam praefata veritas verbo Dei tradito aperte fulcitur, prout monumentis traditionis quae attingunt aetatem Apostolorum, tam in Patribus scriptoribusque ecclesiasticis vetustissimis, quam in priscis Ecclesiae liturgiis; necnon in communi constantique fidelium sensu apparet; ex quibus necessario concluditur catholicam esse sententiam, quae docet B. Virginem nulla prorsus originalis culpae labe infectam.

Sane non est meum de huius sententiae fundamentis disserere, nec inquirere an hocce Virginis privilegium sit *proxime definibile*, dum verba facio Sanctitati Tuae, quae tametsi res haec anteactis saeculis per Theologos magni nominis fuerit dilucidata; ut decisio fiat praevia matura ac libera discussione, adhuc vult « gravissimum hoc « argumentum ex omni parte accuratissime examinari per viros ec- « clesiasticos pietate spectatos, ac theologicis disciplinis apprime « excultos, et nonnullos selectos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardina- « les, » ac ut veritas magis elucescat, insuper decernit illorum sententiam novo per se ipsum examini subiicere, ut de eius decisione, Episcopis idem sentientibus, dici queat quod *ita visum fuit Spiritui Sancto et Nobis*. Neque ad me est modum perpendere quo haec catholica veritas definienda veniat, an *directe* vel *indirecte* cum hoc maxime Sanctitatis Tuae sapientiae et prudentiae sit relictum. Verumtamen asserendum mihi est, dogmaticam definitionem Apostolicae Sedis hac super re, peramanter a me, Clero, universoque populo curae mae concredito pari pietatis affectu ac reverentia demisse suscepturam; non ut verbum hominum, sed prout a Spiritu Sancto dictatam, in memoriam revocans ipsiusmet Divini Spiritus promissum quo Ecclesiae suae se affuturum pollicetur, non tantum in oecumenicis conventibus qui per tempora fiunt, sed etiam *omnibus diebus* quibus supremo Ecclesiae magisterio sit de fide disserendum.

Equidem magnopere concupit anima mea Sanctitatem Tuam properanter agere ad Deiparae Virginis immaculatum Conceptum dogmatico decreto stabiliendum, et una mecum hoc ipsum exoptant clerus, et devota plebs mihi per fidem et charitatem adunata. Iam tum cum Sanctus Archipraesul Divus Thuribius Mogrovejo hanc gregem sua pastorali solicitudine provideret, Litaniam ad Virginem Mariam contexuit, quam Paulus V. felic. recordat. approbavit. Ab hinc harum ditionum fideles ad verbum ediscunt Dominam Nostram ita adprecari *Per immaculatam Conceptionem tuam libera nos*. Posterius Limana Civitas fervidi optati erga hoc tam dulce ac iucundum Christianis omnibus Dei Genitricis privilegium, haud levia praebuit testimonia. Retro saeclis duobus typis hac civitate mandabatur opusculum pro mysterio, illoque fertur Romanae Sedis esse hanc veritatem iam inter fidei dogmata adrevelata referre. Dies in saeculum ruunt quibus fideles Limani novendiale pensum annuatim obeunt, et individuam Trinitatem ita efflagitant: « cum fletu et lachry-« mis ex praecordiis nostris humiliter exoramus ut Conceptio sine « labe originali Virginis Mariae de fide proponatur et definiatur. »

Sed in quo, magno mei gaudio, flagrantiora fidelium vota pro definitione mysterii sunt patefacta, fuit omnium ordinum se gratulantium concursus, cum ex illo quamplures sacram exomologesin, et ad sacratissimam synaxim accessissent die ipsa a qua exordium sumpsere obsecrationes solemnes a Sanctitate Tua indictae. Nec minus solamine meum affecit animum brevis theologica dissertatio de definibilitate mysterii a quodam Sacerdote Minorum de observantia Collegii de Ocopa alumno in hac Archidioecesi concinnata. Vernacule praelo excussa fidelium mentes sua pietate communiet, atque optata pro definitione dogmatis de Immaculata Conceptione acriora ac vehementiora efficiet. Praefatus discursus, cuius auctori in honore fuit Sanctitati Tuae sacrare, huic expositioni adiungitur [1], non pro illius aestimatione, inter tot de hac quaestione clariora opera; sed pro argumento ut fidelium harum ragionum magis, magisque Sanctitati Tuae sint nota desideria pro definitione mysterii, et ita

1 Si troverà nella III. Parte.

dogmaticam Bullam expedire digneris. Illa enim erit ad omnipotentis Dei gloriam provehendam, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis christianae, maxime vero in maiorem laudem, honorem et venerationem Sanctissimae Virginis Mariae, qua intercedente Unigenitus Filius suus Dominus Noster Iesus Christus nobis salutaria liberaliter largitur. Nam ipsa est nobis solatium et levamen, in illa fixa nostra sunt corda, ac iure merito expectare debemus remuneraturum obsequium definitionis sui immaculati Conceptus, ita ut convertendo ad nos suos misericordes oculos, Ecclesiae catholicae tempora nubila, diesque magnopere aerumnosos quibus opprimimur, ac Sanctitati Tuae amariores sunt absinthio, ad quietam et perpetuam pacem traducat.

Clerus tam saecularis quam regularis qui una mecum supplicem hunc libellum subscribunt, firmiter ita expectamus, et instantes orationi assidue vota nuncupamus, hostiasque offerre satagimus, ut Spiritus Domini Sanctitati Tuae assideat in huius definitione mysterii, ac ita firmum semper maneat, quod « in cathedra unitatis possuit Deus doctrinam veritatis. »

Faxit ipsemet Deus Sanctitatem Tuam diu incolumen servare, ac sapientiam et fortitudinem ei tribuere ad gubernandam Petri naviculam tantis exagitatam fluctibus, malis iandudum vexatam, et undequaque diebus nostris procaciter oppressam.

Sanctitatis Tuae ad pedes humiliter provoluti ac comiter deosculantes Apostolicam Tuam Benedictionem iterum, iterumque adprecamur.

Beatissime Pater

Datis Limae XI Kalendas Septembris, octava Assumptionis Sanctissimae Virginis Mariae anno christiano 1850.

FRANCISCUS XAVERIUS, *Archiepiscopus Limensis.*

IOSEPHUS EMMANUEL *Episcopus de Extria in part. Archidiaconus.*

Doctor Lucas Pellicer *Decanus.* — Doctor Augustinus Guillelmus Charun *Praeceptor.* — Carolus ex Orbea Scholasticus *Vicarius Generalis.* — D. Emmanuel An-

tonius Urrismendi *Thesaurarius*. — Marianus Ioseph Arce *Canonicus*. — D. Ioseph Nicolaus Garay *Canonicus*. — D. Emmanuel Esculano Concha *Canonicus*. — Iosephus a Cazenes. — Bartholomaeus Herrera *Canonicus*. Matthaeus Gomez *Portionarius*. — Doctor Emmanuel Innocens Menache *Portionarius*. — Petr. Paul. Rodriguez *Portion*. — Doctor Ioachim Jordán *Portionarius*. — D. Petrus Iosephus Fordoya *Dim. Portion*. — Michael á Sancti Bermeso *Dimidius Portion*. — Iosephus á Cebrian *Dimidius Portion*. — Marianus Basilius de Axaieta Metropolitanae Ecclesiae *Parochus Rector*. — Emmanuel Villaran et Loli *Paroch. S. Mariae de Valle Huanuguensi, et Vicarius illius Provinciae*. — Franciscus de Ossueta Metropolitanae Ecclesiae *Rector Parochus*. — Ioannes Chrysostomus Castro *Parochus S. Marcelli*. — D. Petrus a Benavente *Parochus S. Sebastiani*. — D. Matias Pastor *Parochus S. Annae*. — D. Ioseph Eusebius de Casaverde *Parochus Vicarius Provinciae litoralis del Callao*. — Martinus Fernandez *Vicarius Foraneus de Sancto Parochus de Coayllo et Malao*. — Philippus Iacobus Rosales *Vicarius Foraneus de Taugos, Parochus de Huanco*. — D. Gaspar Romero, *Vicarius Foraneus de Huerrochiri et Parochus de Matucana*. — D. Franciscus Maria a Danda *Vicarius Foran. de Cunta Parochus de Huamantanen*. — Frater Iosephus V. a Seminario *Prior. C. SSmi Rosarii*. — Fr. Lazarus Villanova *Guardianus S. Francisci*. — Fr. Laurentius Eraurozeta *Commendator S. Mariae de Mercede*. — Fr. Emmanuel a Roxas *Prior S. Augustini*. — P. Franciscus a Rio *Praefectus Clericorum Regularium Ministrantium infirmis*. — P. Emmanuel Bengoechea *Praepositus Congregationis S. Philippi Nerii*. — Fr. Carolus Segura *Prior Recollect. S. Dominici*. — Fr. Antonius Faconera *Guardianus Discalceatorum S. Francisci*.

CDXII.

DEL VESCOVO

DI MAXULA *IN PARTIBUS*

VICARIO APOST. DELLA PROVINCIA DI SUT-CHUEN

BEATISSIME PATER

Statim ac hoc anno mihi pervenerunt Litterae a Beatitudine Vestra datae die 2 Februarii 1849, Coaudiutorem meum, Missionarios Europaeos ac Sinenses Sacerdotes verbo aut scripto rogavi, ut quantocius mihi notum facerent suum sensum et desiderium de Conceptione immaculata Beatissimae Virginis Mariae ab Apostolica Sede decernenda in articulum fidei. Omnes igitur unanimi consensu declararunt se firmissime credere Sanctissimam Dei Genitricem, immaculatam Virginem Mariam sine labe originali fuisse conceptam, et ideo ardentissime postulare, ut id veluti fidei doctrinam definire velit Beatitudo Vestra. Ego autem ita firmissime credo, et vehementissime supplico. Nos proinde omnes Beatitudinis Vestrae pedibus provoluti humillime et ardentissime efflagitamus, ut mature a Beatitudine Vestra ut fidei dogma decernatur Immaculatum omnino fuisse et ab omni prorsus originalis culpae labe immunem Conceptum Beatissimae Virginis Mariae. Quae quidem definitio magnam Sanctissimae Trinitati afferet laetitiam, et amantissimam Matrem nostram valde oblectabit, immensaque toti Ecclesiae, ipsa immaculata Dei Genitrice impetrante, conciliabit dona, ut speramus. Easdem vero preces iam ab anno 1845 Sanctae Sedi direxi, supplicans, ut ab ipsa definiretur Deiparam Virginem in sua Conceptione ab omni originali labe praeservatam fuisse.

In Sutchuensi Missione omnis populus fidelis immaculatam fuisse

Beatissimae Virginis Mariae Conceptionem firmiter credit, et precibus quotidie profitetur, maxime numismatis miraculosi (ut vocant) precem saepius in die recitando ardenter et fidenter. Magna idcirco laetitia afficietur populus noster, quando ei declarabitur praefata Ecclesiae definitio.

Quanto maerore conturbaverunt me tribulationes cordis Vestri, tanto gaudio me perfuderunt laetitiae Vestrae, Roma ab impiis liberata, pax ditioni Apostolicae restaurata, Vobis restituta libertas Romae degendi, regendi Ecclesiam facilius, composita pax in omni Europa, etc. Maximas Vobiscum Deo egimus gratias, et diutissimam Beatitudinis Vestrae conservationem in omni prosperitate ardenter a Deo postulavimus et postulamus indesinenter.

Plenam autem de Statu Missionis Sutchuensis relationem Eminentissimo Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis P. F. transmitto, quam certe Beatitudini Vestrae notam faciet, ut obsecro. Quapropter nihil de Missione hic referam.

Humillime et enixe Beatitudinem Vestram oro atque obtestor, ut iugi oratione me et meos adiuvare dignetur, obtineatque, ut Deus misereatur nostri, et benedicat nobis; ut cognoscamus in Sinis viam eius, et confiteantur ei populi omnes; ut indulgeat Deus mihi, qui sum cum profundissima veneratione et promptissima obedientia

Beatissime Pater, Beatitudinis ac Sanctitatis Vestrae

Datum in Provincia Sut-chuen, die 22 Aug. an. 1850

IACOBUS LEONARDUS *Episcopus Maxulensis*,
Vic. Ap. Provinciae Sutchuensis in Sinarum Imperio

CDXIII.

DEL VESCOVO

DI SURA *IN PARTIBUS*

VICARIO APOST. DI KOUEI-TXEOU

BEATISSIME PATER

Deiparam Virginem in sua Conceptione, ab originali macula singulari Dei beneficio, praeservatam fuisse, pietas fidelium nullo tempore non tenuit. Nemo enim qui de Deo, eiusque Sanctissimae Matris ineffabili dignitate recte sentiret, sibi persuadere unquam potuit eam quae ab aeterno designata fuerat, ut Mater Dei efficeretur, quaeque antiqui serpentis caput conterere debuit, aliquo tempore sub daemonis fuisse potestate, aut obiectum esse potuisse Divinae aversionis, quae tot ornata fuit gratiis, tantoque honore dignata est; vel decuisse Christi Sanctitatem; ut ipse tamquam novus Adam nasceretur ex terra maledicta et peccato contaminata; vel demum matrem Dei, quae omnibus Angelis et hominibus antecellit, sine gratia sanctificante conditam, atque caruisse in ortu suo illa praerogativa, qua non tantum Angeli omnes etiam mali a prima sua creatione ornati fuerunt, sed et primi parentes, quos constat Deum rectos et innocuos finxisse.

Haec porro doctrina quae in Ecclesia Dei, maiora in dies incrementa sumpsit, nostris hisce temporibus, Deo ita disponente, huc usque apud nos et ubique crevit et firmata est, ut non immerito credatur diem illum imminere quo a Sancta Apostolica Petri Sede, solemne de ea iudicium proferatur, illamque in verbo Dei aut scripto aut tradito contineri infallibili auctoritate declaretur et definiatur.

Liceat ergo mihi, Beatissime Pater, pro hac solemni Ecclesiae declaratione aliorum Episcoporum votis et precibus adiungere etiam meas qualescumque preces et vota; ad hoc enim, mense maio praeterito, voto conditionali me obstrinxi, nempe si a Deipara favorem specialem pro quo illam deprecabar obtinerem, quem revera accepi: firmam ergo spem habeo Deum, pro hoc erga Beatissimam suam Matrem honoris et cultus augmento, fontes omnium gratiarum in filios Ecclesiae fore derivaturum.

Ad sacrorum pedum osculum provolutus Apostolicam Benedictionem supplex exoro.

Sanctitatis Vestrae

Scribebatur in Kouei-iang-fou Vicariatus Apostolici Kouei-tzeou apud Sinas, 31 die Augusti 1850.

Obseq. et Amant. Filius

STEPH. RAYMUNDUS *Episcopus Surensis V. A. Kouei-tzeou.*

CDXIV.

DEL VESCOVO

ELETTO DI HISPAHAN *IN PERSIA*

(*Comunicata dalla S. Cong. di Propaganda Fide*)

La Circolare di Sua Santità il regnante nostro Sommo Pontefice, di cui Vostra Eminenza Reverendissima mi favorì una copia, mi giunse ai 10 di agosto. Avuta che io l'ebbi, subito ho accorso a fare le publiche orazioni nella Nostra Chiesa, giusta l'ordine di Vostra Eminenza secondo le intenzioni del Santo Padre, e mi affretto a corrispondere ai suoi comandi, umiliandole la risposta analoga animato dalla esortazione Vostra, circa il parere del Clero, e la disposizione del popolo verso la Concezione immacolata di Maria Santissima.

Prima anche della solenne decisione della S. Sede su d'un tale articolo, avendo noi avuto dai nostri Istitutori questo pio sentimento della Gloriosa Madre di Dio, come dottrina universale quasi di tutta la Chiesa, io, ed il mio Clero la seguimmo volentieri con ogni rispetto, e venerazione dovuta ad un grave sentimento della Madre Chiesa. Onde ciò che ora spetta a me ed al mio Clero è di seguire di conforme passo ed abbracciare con umil cuore ciò, che piacerà ai Principi della Chiesa, al Venerabil consesso dei Vescovi insieme col Capo della Chiesa in ciò che torna più di onore alla Santissima Vergine.

La devozione poi ed inclinazione della mia piccola gregge, la quale essendo già retta ed istruita dai miei sentimenti, la abbraccia come un sacro dovere verso la Santissima Vergine ed onorala con tal sentimento, onde si consolerà assai essendo ciò conforme ai suoi

desiderii se così piacerà al comun Padre dei fedeli. Gradisca a Dio che una tale decisione si conceda.

GIO. DERDERIAN.

Dalla Propaganda li 17. Gennaro 1851.

Attestiamo che la presente lettera è conforme all' originale.

A. BARNABÒ *Segr.*

CDXV.

DEL VESCOVO

DI TOLEMAIDE *IN PARTIBUS*

VICARIO AP. DI AVA E PEGU

BEATISSIME PATER

Ex quo accepi Epistolas Beatitudinis Tuae datas Caietae die 2 februarii ann. 1849, praecipua loca Vicariatus, quem Tu, Beatissime Pater, meae curae commisisti, Deo adiuvante peragravi: atque sic magis magisque, quod aliunde iam noveram, indagare potui: quid nempe Missionarii in hac vinea Domini mecum laborantes de Immaculata Virginis Mariae Conceptione sentiant. Ipsi omnes, una mecum, vehementer exoptant ut quod iam nos omnes ex imo corde credimus, hoc Tu, Beatissime Pater, solemni iudicio decernas, scilicet; Beatissimae Virginis Mariae Conceptum Immaculatum omnino fuisse atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem. Neque ullum dubium habemus quin fideles huius Vicariatus laetantes audiant excipiantque vocem Beatitudinis Tuae Immaculatam Virgi

nem Mariam absque labe originali conceptam, ut Catholicae Ecclesiae doctrinam definientis.

Demum ad pedes Beatitudinis Tuae provolutus, pro me et pro grege meo benedictionem Apostolicam humillime ardentissimeque expostulo,

Beatitudinis Tuae

Dat. Maulmain, die 21 septembris an. 1850.

Humillimus ac Devotissimus Filius
IOANNES *Ep. Ptolemaidensis, Vic. Ap. Avae et Pegu'.*

CDXVI.

DEL CARD. ARCIVESCOVO

VESCOVO DI VVESTMINSTER

BEATISSIME PATER

Mirum fortasse at verum est, nullam ad S. V. missam fuisse a Londinensi Vicariatu Epistolam, quae de definitione dogmatica super immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione edenda pertractaret. Huiusmodi tamen in scribendo mora neque casu evenit, neque dubietati alicui, quid in re tam gravi sentiendum esset, debet attribui.

Etenim cum a biennio et amplius catholicis Angliae spes affulserit, quod Hierarchia Ecclesiastica ab amantissimo Pontifice instauranda foret, mihi summopere decere videbatur ut primus omnino actus restituti huiusce regiminis Gloriosissimae Virgini Mariae consecraretur, primaque Metropolitani, quisquis tamdem ille fuisset, subscriptio iis litteris subiiceretur, per quas a S. V. optatissima

haec definitio dogmatica postulanda erat. Ita enim, non solum ampliori quodam modo Londinensis Urbis suffragium communi omnium Ecclesiarum voto accederet, sed et ipsius populi fidelis erga purissimam Coeli Reginam devotissimi affectus publicum et memorabile testimonium praeberetur: atque insuper declararetur nos tam insigne beneficium, restitutae nostrae Hierarchiae, eidem Immaculatae Dei Genitrici acceptum referre.

Et re quidem vera, quid magis rationi consentaneum, quam ut illa terra, in qua Conceptionis B. M. V. publicus cultus, sponte veluti sua effloruisse creditur, nunc iterum sanae fidei diffusione, atque hierarchici ordinis dignitate condecorata, primum inde decerptum sertum dulcissimae Matris arae appendat, ipsique dicare cupiat? Anglia enim, B. P., Anglia illa cuius infelicem lapsum Romani Pontifices deplorarunt, et cuius ad orthodoxam fidem conversionem procurare studuerunt, prima fuisse fertur, quae festum nunc ubique terrarum celebratum instituerit.

Quid aequius quam quod ille qui B. Anselmi Sedem, meritis licet imparibus, esset occupaturus, doctrinam Anselmi, voce veluti haereditaria, coram Ecclesia pronunciaret, et ipsius etiam nomine precaretur, ut S. V. definitionem piae illius sententiae, quae Anselmo in terris placuit, et cuius diffusioni, per intercessionem suam iu Coelis favere credimus, tradere dignetur?

Quapropter cum impositum mihi videam, per summam S. V. in me benignitatem, paternamque benevolentiam, onus Metropolitanae Sedis Anglorum occupandae, gratum mihi est, atque iucundum, quod, officium meum sic auspicaturus, ad thronum Apostolicum hodie accedere possim, ut nomine meo, atque dioecesis Westmonasteriensis meae, necnon Santhwarcensis administrationi meae commissae, enixe atque instantissime rogem, ut in Cathedra Petri constitutus, et confisus illius orationi qui oravit, et exauditus pro sua reverentia a Patre impetravit, ut Fides Tua non deficeret, et Tu fratres confirmares, dogmatico decreto declarare velis, Beatissime Pater, Mariam semper Virginem absque ulla peccati originalis labe conceptam esse.

Per quantum enim mihi licuit, post accuratam totius rei considerationem, attentamque meditationem, absque ulla dubietate mentis, hanc mihi certitudinem comparasse sentio, quod haec pia sententia, quam a teneris annis colui, quamque fideles Angli, per plura devotionis, atque orationum exercitia honorarunt, ac professi sunt, doctrinae a SS. Patribus, et Apostolis traditae, atque ab Ecclesia semper receptae plenissime conformari, atque in ipsius Christi Fundatoris revelatione contineri.

Insuper saepe saepius a Deo Patre luminum enixis precibus, publicisque indictis supplicationibus, fidelium communi oratione suffultus postulavi, ut meam hac in re sententiam dirigere vellet. Opem quin etiam Pientissimae Matris ipsius exoravi, ut praeclarum hoc privilegium, per Sedis Apostolicae solemne decretum, credendum praeciperetur et traderetur.

Fideli etiam populo Urbis Londinensis, in qua perpulchra nuper Ecclesia, sub titulo immac. Concept. dicata est, hanc piam sententiam enixe commendavi, atque omni argumentorum genere solide comprobare studui.

Quamobrem omnium bonorum nomine polliceri me posse arbitror, quod inter tot beneficia nobis a S. V. collata, praecipuum hoc sit futurum, si Tu, ex Petri Cathedra loquutus, declarare volueris, Matrem nostram B. M. V. sine labe originali fuisse conceptam.

Ita precor atque rogo

Sanctitatis Vestrae

Romae, die 30 Sept. 1850

Humill. Obseq. atque Dev. Filius et Creatura
NICOLAUS CARD. WISEMAN *Archiep. Ep. Westmon.*

CDXVII.

DEL VESCOVO

DI ISAUROPOLI *IN PARTIBUS*

VICARIO APOST. DELLA CONCINCHINA OCCIDENTALE

BEATISSIME PATER

Vix ad me pervenerunt S. V. litterae, datae die 2. februarii anno elapso, cum, S. V. desideriis et mandatis, omni cura et studio, quam libentissime obsecutus, publicam precem in meo Vicariatu indicendas et peragendas curavi, iuxta S. V. intentionem; scilicet ad invocandum divinum Sancti Spiritus lumen, quo cognoscere possit S. V. utrum expediat solemni Apostolicae Sedis iudicio decernere Sanctissimam Dei Genitricem absque labe originali fuisse Conceptam. Nunc data occasione, S. V. quaesitis responsum dare propero.

Omnes huius Vicariatus Sacerdotes, sive Europaei, sive indigenae, eximia devotione circa omnium nostrûm Sanctissimae Matris Immaculatam Conceptionem animati videntur. Fideles etiam firmissime Virginis Mariae Conceptionem immaculatam credunt, utpote qui, ab anteactis temporibus, circa hoc dogma ab omnibus missionariis edocti fuerunt. Laudabilem etiam habent consuetudinem devotas preces in honorem huius immaculatae Conceptionis quotidie recitandi, et preces nuper indictas cum alacritate susceperunt; adeo ut minime dubium sit quin cum gaudio accipiant, si quod fuerit, Sanctae Sedis Apostolicae decretum definiens Beatissimae Virginis Mariae Conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni originalis culpae labe immunem.

Ego autem et Illustrissimus Episcopus Dansarensis, coadiutor

meus, pro ea pietate, obsequio et intimo cordis affectu quibus Beatissimam Virginem Mariam colere intendimus, illius Conceptionem, iuxta Sanctorum Patrum traditionem, immaculatam fuisse omnino tenemus, et vehementer exoptamus, ut tandem aliquando hunc articulum tanquam fidei dogma inconcussum nobis credere et docere liceat. Interim, ad pedes S. V. provoluti, illam enixe rogamus ut Suam benedictionem apostolicam nobis cunctisque clericis et fidelibus curae nostrae commissis impertiri dignetur.

Datum in Conchinchina die 1. Octobris anno 1850.

Uti Filius humillimus et obsequentissimus
DOMINICUS *Episcopus Isauropolitanus*
Vicarius Apostolicus Cochinchinae Occidentalis.

CDXVIII.

DEL VESCOVO

DI ALMIRA *IN PARTIBUS*

VIC. AP. DI AGRA

(Estratto di Lettera comunicato dalla S. C. di Propaganda Fide.)

Parlando della Immacolata Concezione ho la consolazione d'informare l'Eminenza Vostra Reverendissima, che avendo in particolar lettera diretta a tutti i Missionari domandato qual fosse la loro opinione circa la Concezione di Maria Santissima, *tutti* ad una voce mi risposero esser Maria Santissima Immacolata. In quanto a me desidero il momento di sentirla proclamare Immacolata. Non entro in spiegazioni, perchè non potrei dire altro, che il già da molti ripe-

tuto; onde solo domando benigna indulgenza per non avere più presto resa analoga risposta alla Lettera Circolare del S. Padre già da lungo tempo ricevuta.

26. Ottobre 1850.

GAETANO CARLI V. A.

CDXIX.

DEL VESCOVO

DI BOBBIO

BEATISSIME PATER

Inter caeteras peculiares sollicitudines quae mihi multiformiter, ut pote ad Episcopale munus, licet meritis impari, novissime evecto se se obiecerunt, Literas Sanctitatis Tuae ad Episcopos totius orbis incip. *Ubi primum* principem locum tenuisse non diffiteor. De re enim in eis agitur, qua, ob argumenti excellentiam, sive fidelium expectationi, sive cordis mei affectibus nulla possit esse conformior. Quid profecto iucundius, quidve suavius a me requiri posset, qui Divina opitulante Gratia, Ordini Seraphico Immaculatae Virginis Conceptionis propugnatori semper invictissimo, ab iuvenili aetate nomen dedi, quam de hoc singulari Dei Genitricis privilegio sermonem habere, et votum proferre? Gaudebat utique animus, exultabant viscera, gestiebat affectus, et iam iam festinus ad rescribendum transvolabam, humiliter petens ante pedes Beatitudinis Tuae in spiritu provolutus, ut veluti articulum ex fide credendum Deiparae immaculatum fuisse Conceptum tandem aliquando proponeres. Quod eram calamo prompturus, iam mihi cogitatione pingebam.

Hinc argumenta se se offerebant ex Scriptura hausta, in qua, si

non explicite, implicite tamen Coelorum Reginae ab originali peccato exemptio aliqualiter insinuatur. Ex Scriptura, inquam, et potissimum ex Geneseos III, ubi Deum sic legitur serpenti esse comminatum: « Inimicitias ponam inter te et mulierem . . . ipsa conteret caput tuum. » Quibus verbis, utpote in Vulgata descriptis, ab Ecclesia in Trid. Synodo sess. 4 pro authenticis habitis, non nisi Beata Virgo indigitari videtur; quae serpentis domatorem, et humani generis Redemptorem erat paritura. Quod si de Virgine Ipsa Beatissima ibi est sermo, quomodo serpentis caput contritura, ubi peccato originali fuisset obnoxia, et non potius ab illo contrita dicenda foret? Sed ut alios omittam Scripturae textus, et figuras, sub quibus adumbrata Maria Virgo inspici potest, uti de Esther, cui dictum est: « Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est » (*Esth. cap. XV*); illud prae omnibus mihi arridet, quod habetur Lucae 1mo in cantico Deiparae, quae beneficia et favores recolens a Deo sibi collatos « exultavit spiritus meus, » sic gaudens effata est, « in Deo salutari meo » sive ut in nova legitur « in Deo Servatore meo. » Ex quibus vocibus vel parum attendenti facile concludendum erit, Spiritum B. Virginis ante unionem cum corpore illibatum fuisse servatum, unde et eius spiritum exultasse Ipsa testata est.

Hinc Doctorum et Theologorum huic sententiae faventium Augustini scilicet, Hieronymi, Anselmi, et ipsius D. Thomae (*in 1 Sent. dist. 44, art. 3 ad 3*) Bellarmini, Petavii, Suarez et quos refert S. De Ligorio (*Theol. Mor. lib. VII, cap. 2, art. 3*) innumera testimonia, nec non universalis Ecclesiae consuetudo, et communis fidelium sensus auribus meis personabant, et res denique eo mihi deducta videbatur, ut contentioni locus vix esse possit.

Accedebant insuper Concilia, septimum scilicet Generale, ipsummet Trid. et praecipue Basileense os partis adversantis in perpetuum occludens; accedebant et Pontificia Diplomata quae ipsimet Dei Genitricis privilegio celebrando, officium Canonicum, Missam, festumque decreverunt. Quid tandem, aiebam, sibi volunt Episcopi fere universi, quid religiosorum familiae, quid celeberrimae tot Acade-

miae una voce, et uno spiritu definitionem huiusmodi instantissime flagitantes?

Quoniam vero Sanctitati Tuae, non sine altissimo Dei consilio, visum est non tantum a singulis Episcopis, sed et per ipsos a Clero populoque sibi commisso, de piissima hac et tanti momenti sententia votum accipere; hinc factum est ut a RRmis Canonicis huius Cathedralis in Capitulo, et a RR. Parochis huius dioecesis in unoquoque Vicariatu, per praescriptum a me pervulgatum, simul collectis, vix hodie nunc responsum acceperim, quod, utpote ex omni parte menti et cordi meo consonum, Beatitudini Tuae laetanter notum facio.

Hoc, Beatissime Pater, est Episcopi, Cleri, populique Bobiensis votum, quinimmo et totius poene Orbis Cathedrae Petri consociati, quod humillime Sanctitatis Tuae pedibus sistitur, non sine dulcissima spe quod aliquando ex sapientia, qua Ecclesiam sanctissime gubernans, ad hanc suspiratissimam definitionem sis deventurus: Deiparam scilicet quam « creavitDeus in Spiritu Sancto » *(Eccli. 1)* sine labe originali fuisse conceptam.

Datum Bobii die 30 Octobris anno 1850

Fr. PETRUS IOSEPH Ord. Cap. *Ep. Bobien.*

CDXX.

DEL VESCOVO

DI SAMOS *IN PARTIBUS*

VICARIO APOST. DEL GIAPPONE

(Estratto di Lettera comunicato dalla S. C. di Propaganda Fide)

J'étais aux plus mauvais jours de ma longue maladie, lorsque m'est parvenue la Lettre adressée par Notre Très-Saint Père à tous les Évêques du monde sur la question de l'immaculée Conception de la Très-Sainte Vierge. Je ne pu y répondre alors, et je ne sais s'il est encore temps d'y répondre; mais je veux toujors assurer Votre Eminence et par Elle Notre Très-Saint Père, s'il y a lieu, de la joie bien vive et bien sincère, que personellement j'éprouverais, si Sa Sainteté voulait bien définir que la Conception de la Très-Sainte Vierge, Mère de Dieu, et Notre Mère, a été immaculée. Mes Missionaires et tous ceux qui m'entourent sont, je dois l'ajouter encore, dans les mêmes sentiments.

Octobre 1850.

THEODORE AUGUSTIN FORCADE V. A.

CDXXI.

DEL VESCOVO

DI CARCASSONA

BEATISSIME PATER

Ubi primum Litteras Vestras de Beatissima Virgine Maria accepimus, publicas preces in cunctis Dioecesis nostrae locis indiximus, ut Deus Optimus Maximus, votis annuens, mentem dignaretur Sanctitatis Vestrae coelestis gratiae lumine collustrare, quo cognoscere posset an tempus esset opportunum definiendi veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam, secundum communem pientissimamque sententiam, Sanctissimae Dei Genitricis Conceptionem fuisse immaculatam atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem. Quodnam esset nostrum totiusque Cleri nostri de re tanti momenti iudicium Sanctitas Vestra quaesierat.

Respondere in animo erat, cum a nostro Venerabili Metropolitano proxima Concilii Tolosani indicta fuit celebratio. Tunc vero comprovincialibus Episcopis visum est quaestionem a Sanctitate Vestra propositam communi disceptatione maturius esse pensandam cum essent una congregati. Attamen intra Concilii sessiones placuit hanc materiam inexploratam relinquere, ita ut unicuique Episcopo suam privatim fas esset declarare sententiam. Sic, caeterum, a quibusdam actum iam fuerat.

Qua de causa, Beatissime Pater, nostrum tamdiu dilatum est responsum.

Nunc autem gaudentes Sanctitati Vestrae notum facimus summam esse Cleri fideliumque huiusce Dioecesis pietatem erga Beatissimam Virginem Mariam, atque hic fere omnes, Ecclesiae praecepta servantes, Genitricis Domini Nostri Iesu Christi immaculatam Conceptionem palam profiteri.

Hisce vero miserrimis luctuosissimisque temporibus, quamplures, in fide Domini nostri Iesu Christi baptizati, fidem hanc deserunt; vel, eius elementis servatis, tot eam falsis doctrinis implicarunt, ut ipsorum mens, semper veritati reluctans, ad omne sit scandalorum genus promptissima. Quapropter veremur ne, dum ita res se habent, solemnis et dogmatica definitio de immaculata Sanctissimae Virginis Mariae Conceptione impiis et haereticis occasionem praebeat Ecclesiam disputationibus contristandi, Salvatorisque Matrem, quam singulari veneratione atque intimo cordis affectu prosequimur, contumeliis blasphemiisque insectandi. Unde nobis dubitandi locus esse videtur an huiusmodi decreti promulgatio, quae, si alia essent tempora, gaudio cor nostrum perfunderet, in praesenti futura sit opportuna.

Dignetur Sanctitas Vestra altissimae venerationis ac filialis obsequii testimonium benigne habere.

Carcassi, die Solemnitatis Immaculatae Virginis Mariae, 8 Decembris 1850.

HENRICUS *Episcopus Carcassonensis*

CDXXII.

DEL VESCOVO

DI ZENOPOLI *IN PARTIBUS*

VICARIO APOSTOLICO DI XANTUM

colla quale accompagna la seguente di lui medesimo.

BEATISSIME PATER

Libentissimo animo subscripsimus omnia, quae in isto folio continentur, probantia Beatissimam Virginem Mariam conceptam fuisse sine labe originali; nec tantummodo nostra opinio est, sed et omnium Missionariorum, tam Europeorum, quam Indigenarum, qui in meo Vicariatu sunt; nec non et accedit consensus omnium Christianorum meae curae subiectorum.

Ad sacrorum pedum osculum provolutus, Apostolicam benedictionem supplex exoro

Sanctitatis Vestrae

Die 10 Decembris anni 1850.

Obsequentissimus Amantissimusque Filius
Fr. ALOYSIUS A CASTELLATIO Ord. Min. Obser. *Epis. Zenopolitanus, ac Vic. Apost. Provinciae Xantum in Sinis.*

CDXXIII.

BEATISSIME PATER

Deiparam Virginem in sua Conceptione ab originali macula singulari Dei beneficio praeservatam fuisse, pietas fidelium nullo tempo-

re non tenuit. Nemo enim qui de Deo, eiusque SS. Matris ineffabili dignitate recte sentiret, sibi persuadere unquam potuit eam, quae ab aeterno designata fuerat, ut Mater Dei efficeretur, quaeque caput conterere debuit antiqui serpentis, aliquo tempore sub Daemonis fuisse potestate; aut obiectum esse potuisse aversionis divinae, quae tot ornata fuit gratiis, tantoque honore dignata est; vel decuisse Christi sanctitatem, ut ipse tanquam novus Adam nasceretur ex terra maledicta et peccato contaminata; vel demum Matrem Dei, quae omnibus angelis et hominibus antecellit, sine gratia sanctificante conditam, atque caruisse in ortu suo illa praerogativa, qua non tantum Angeli omnes, etiam mali, a prima sua creatione ornati fuerunt, sed et primi parentes quos constat Deum rectos finxisse, et innocuos. Haec porro doctrina quae in Ecclesia Dei maiora in dies incrementa sumpsit, nostris hisce temporibus, Deo ita disponente, huc usque apud nos et ubique crevit, et firmata est, ut non immerito credatur diem illum imminere, quo ab ista sancta apostolica Petri Sede solemne de ea iudicium proferatur, illamque in verbo Dei aut scripto aut tradito contineri infallibili auctoritate declaretur et definiatur.

Liceat ergo mihi, Beatissime Pater, pro hac solemni Ecclesiae declaratione aliorum Episcoporum votis et precibus etiam meas qualescumque adiungere preces et vota, firmam enim spem habeo Deum pro hoc erga beatissimam suam Matrem honoris et cultus augmento, fontes omnium gratiarum in filios Ecclesiae fore derivaturum. Ad sacrorum pedum osculum provolutus, Apostolicam Benedictionem supplex exoro

Sanctitatis Vestrae

Die 10 Xbris an. 1850.

Obsequentissimus, Amantissimusque Filius
F. ALOISIUS A CASTELLATIO Ord. Min. Obs. *Episc. Zenopolitanus*
Vicarius Apostolicus Provinciae Xanfum in Sinis.

CDXXIV.

DEL CARD. VESCOVO

DI FRASCATI

ARCIPRETE DEL REVMO CAPITOLO VATICANO

BEATISSIME PATER

Dum ex universis Orbis partibus omnes fidelium ordines ferventissime exoptant, enixeque postulant, ut, quod hactenus pie tenere gloriati sunt de immaculata Bmae Virginis Mariae Conceptione, inter sacrosanctae nostrae fidei dogmata supremo Petri Cathedrae decreto adnumeretur; Vaticanae Patriarchalis Basilicae Archipresbyter, Capitulum, et Clerus nulli erga Deiparam devotione pioque adfectu secundum, haud potest quin sua quoque vota suasque preces humillimas ad maiorem Omnipotentis Dei, eiusque Genitricis Sanctissimae gloriam adiiciat.

Cupit itaque Capitulum vehementer, idque instantissime precatur a Sanctitate Vestra, ut solemni Apostolicae Sedis iudicio tandem sanciatur, ac tamquam Fidei dogma credendum proponatur insignissimum illud privilegium, quo immunis ab originali labe praedicatur Mulier illa inter alias omnes benedicta, quae cooperatrix mundi salutis ab aeternitate designata fuerat: quam, statim ac in culpam lapsi misere fuerunt protoparentes, clementissimus ipse Deus praenunciavit, maligni serpentis caput esse contrituram; quae demum tali ac tanta decoranda erat dignitate, ut humani generis reparatorem, aeterni Patris Filium conciperet et pareret, quae uno verbo, Dei Genitrix erat futura.

Maxima profecto laetitia perfundetur Christianus populus, cum tandem viderit, definitivo Apostolicae auctoritatis oraculo absolu-

tissimum accedere cumulum sententiae, quae pluribus iisque gravissimis nixa fundamentis pie ubique invaluit ac magis magisque percrebuit de Immaculato SSmae Virginis Conceptu: cui quidem sententiae iamdiu Episcoporum, Patrum, Conciliorum, Doctorum, Theologorumque, Ordinum religiosorum, Universitatum suffragatur opinio, communis populorum favet consensus; et, quod denique maximum est, ipsamet Sancta Sedes indubia adiecit favoris argumenta.

Novo autem hoc honore ab Ecclesia exhibito Mariae Matri amantissimae, praestantissimaeque patronae, singulari scilicet privilegio illo per dogmaticum decretum adserto ac roborato, maiorem semper in spem erigemur, fore ut benignitatis, clementiae, ac misericordiae, quam semper a dulcissima Virgine sumus experti, uberiores usque sentiamus effectus.

Gratissima fiducia freti, nostra haec vota, quae totius Christiani orbis desiderio concinunt, impletum iri, ad oscula beatissimorum pedum provoluti Apostolicae Benedictionis largitatem a Sanctitate Vestra obsequentissime imploramus.

Ex Aula Capituli Basilicae Vaticanae VI Idus Decembris 1850.

Humil. Obseq. Addict. Filius et Famulus
MARIUS CARD. MATTEI *Ep. Tusculanus, Archipresbyter.*

MARINUS MARINI *Canonicus a Secret. Capituli Vaticani.*

CDXXV.

DELL' ARCIVESCOVO

DI PARIGI

TRÈS-SAINT PÈRE

J'ai eu l'honneur, au mois de juillet dernier, de faire connaitre à Votre Sainteté quels étaient mes sentiments au sujet de la grave question de l'Immaculée Conception de la S.te Vierge. La facilité avec la quelle dans ces temps de passion et de lutte, l'esprit de parti se substitue partout au véritable esprit de Jésus-Christ et envenime jusqu'aux intentions les plus droites, m'avaient fait hésiter alors à Vous envoyer un travail assez étendu et fort serieux que j'avais fait sur cette matière [1]. J'avais cru remplir suffisamment mon devoir par la simple Lettre, que Votre Sainteté doit avoir reçue. Mais les circonstances nouvelles où nous nous trouvons, le soulèvement qui vient d'éclater en Angleterre contre les doctrines catholiques, me donnant lieu de craindre qu'une décision à ce sujet ne fût plus que jamais inopportune, je me fais une obligation de conscience de mettre sous Vos yeux ce travail où j'insiste particulièrement, vers la fin, sur les inconvénients qu'aurait cette décision doctrinale.

Si la sollicitude de tous les Églises ne permettent pas à Votre Sainteté de lire toute la dissertation, je la prie de vouloir bien en parcourir les dernières pages, à partir de la page 16.

Je dépose de nouveau à Vos pieds, T. S. Père, l'hommage du profond respect avec lequel je suis

De Votre Sainteté

Paris, le 17 Décembre 1850.

Le Fils très-Dévoué et très-Obéissant

M. D. AUGUSTE *Archev. de Paris.*

1 Si troverà al suo posto.

CDXXVI.

DEL VESCOVO

DI S. CROCE DELLA SIERRA *NELL' AMER. MERID.*

SANTISIMO PADRE

Nos hallábamos en las remotas regiones del departamento del Beni, términos limítrofes de este Obispado de Santa Cruz de la Zierra, practicando la Santa visita de nuestra amada Diócesis, cuando con el mas profundo respeto y satisfactorio placer recibimos con Vuestra Santa bendicion las Letras Apostólicas datadas en Gaeta á 2 de Febrero del corriente año, por las cuales Vuestra Santidad se ha dignado inquirir el pensamiento, deseo, y creencia que animan al Clero, al pueblo, y particularmente á nuestro Ministerio Episcopal « sobre si la inmaculada Concepcion de María Santísima Virgen y Madre de Dios fue absolutamente sin mancha y del todo esenta del peccado original » á fin de que unida nuestra respuesta á las piadosas solicitudes hechas á Vuestra Santitad, y á Vuestro ilustre Antecesor el Sumo Pontifice Gregorio XVI de felis memoria, por varios Prelados, Comunidades y distintas corporaciones del Orbe Católico sobre esta interesantisima materia, pueda la Santa Sede Apostólica, vido el comun y acorde parecer de todos los Prelados de la Yglesia, declarár como dogma y doctrina universal « Que la Inmaculada Concepcion de la Bienaventurada Virgen Maria fue absolutamente sin mancha y libre de pecado original. »

Ademas, siguiendo Vuestra Santidad las pias y sábias huellas de Vuestro ya citado Antecesor, ha determinado como lo espresan Vuestras mismas respetables Letras, se agregue en el Prefacio de la Misa á cerca de la Concepcion de la Beatísima Virgen, la palabra *inmaculatam*, y que el Clero Romano cumpla lícitamente con el rezo

de las horas canónicas segun las nuevamente compuestas en lugar de las contenidas en el Breviario comun, cuja facultad se ha dignado transmitir Vuestra Santidad para nuestra Diócesis, sin necesidad de ocurrir á la Congregacion de sagrados Ritos, lo que ciertamente en sumo grado nos place y observaremos con todo nuestro Clero inmediatamente que dicho nuevo rezo llegue á nuestras manos.

Al propósito y para espedirnos en lo principal de Vuestras respetables Letras con el acierto que deseamos, hemos ecsaminado con la mas interiorizada calma, maduro acuerdo y circunspeccion, el Cánon del santo Concilio de Trento: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam etc.* Seccion 5.ª del pecado original, las Constituciones de Vuestros Augustos Antecesores los Papas Sixto IV, Paulo V, Gregorio XV, Alesandro VI, y Pio V de felis recordacion y cuantas otras doctrinas ha sido menester á fin de poder daros el parecer informativo que Vuestra bondadosa munificencia se ha dignado pedirnos en una materia tan árdua, grave y delicada que ha escitado toda nuestra fé, tocado nuestra religiosa pietad y movido todo nuestro celo pastoral. Hemos hecho aun mas para contestar al esclarecido Pontífice que tan dignamente ocupa hoy la suprema Cátedra del Pontificado Apostólico: hemos orado intensamente con todo nuestro Clero y pueblo, elevando nuestras fervorosas preces al Cielo en tres dias de rogaciones públicas invocando humillados el poderoso aucilio del Padre de las luces para que nos inspire con la gracia de su Divino Espíritu nuestra débil y escasa inteligencia: alentada nuestra alma con el inefable consuelo de que al invocar los miserables mortales el nombre del Dios eterno en alabanza y gloria suya, no podrán jamás ser engañados en su fé y creencia, por que los preside con su ayuda; y anonadada no obstante y sobrecogida de temor nuestra humildad, y agoviada con el peso de tan inmensa confianza con que Vos, Santísimo Padre, habeis quesido honrarla Sobremanera desde el encumbrado Sólio Pontificio; como podrá el último Ministro del Santuario emitir su opinion al Ciervo de los Ciervos de Dios y que se escuche su débil voz en el grande Colegio Apostólico? Os podíamos contestar con el Profeta Jeremias. *Nescio loqui quia puer*

ego sum. Empero, puesta toda nuestra confianza en Dios y estimulados con Vuestro noble ejemplo, sin vacilar por un momento de que las súplicas que se os han dirigido para conmover Vuestro piadoso sensible corazon, son impulsadas por el dedo visible del Omnipotente para dar mayor culto, honra y gloria á la Virgen Madre del Redentor del mundo, y sea mayormente adorado su santo Nombre, os vamos á dar nuestro informe, nuestro juicio y parecer de acuerdo con mi Clero y fieles de mi Diócesis en la siguiente declaracion.

« Creemos, cree mi Clero y el religioso pueblo Cruzeño que Ma-
« ria Santísima Virgen y Madre de Dios fue concebida en gracia sin
« mancha ni deuda de pecado original desde el primer instante de
« su ser natural ».

Con estos luminosos principios de tan sana doctrina se instruye la juventud de las escuelas, por que es el aprendizage de la Religion cristiana en toda la masa popular: esta misma doctrina elemental enseña el padre al hijo en el hogar doméstico desde que en él empieza el uso de la palabra y se repite frecuentemente en forma de alabanza en todas las casas á todas horas del dia y de la noche, viniendo á ser el Credo simbólico de todo el pueblo. Es la accion de gracias al Ser Supremo con que terminan las devociones religiosas de los fieles tanto públicas como privadas. Es la salutacion con que se adora al Santísimo Sacramento del altar; y finalmente es tan acendrada la devocion, amor y ternura que cordialmente se le profesa y profesamos, que todos se hallan y nosotros mismos nos hallamos predispuestos á recibir como dogma de fé católica; « Que la biena-
« venturada Virgen Maria fue concebida en gracia sin mancha de
« pecado original », siguiendo la creencia transmitida de padres á hijos y de generacion á generacion.

A esta creencia nos induce necesariamente la consideracion de que Maria Santísima Madre de la pureza y de la santidad por esencia, no podia ser sinó santa y pura desde el primer instante de su ser; y el Arca que vió la luz del mundo por disposicion del Altísimo para que fuera el sagrado depósito de la hostia de espiacion mediadora entre Dios y el hombre, no podia ser maculada sinó esenta y libre

de pecado original. Verdad es esta tan consolidada en la fé como lo es por la naturaleza misma de la Concepcion de Maria Madre del Verbo divino. *Quia quem coeli capere non poterant tuo gremio contulisti.*

Maria Santísima no fue sin duda embuelta en la corrupcion universal que legó á toda su posteridad la prevaricacion del primer padre en el paradiso terrenal. Dios maldijó á la serpiente tipo del demonio seductor. *Maledicta eris super terram . . . . ipsa conteret caput tuum.* He aqui la muger predestinada *ab aeterno* por medio de la cual debia obrarse el grande misterio de la Redencion del mundo! Es Maria preservada del pecado original por un especial privilegio de gracia estraordinaria decretado en los altos é inescrutables consejos del Eterno Padre á la que habia de ser Madre del Verbo divino. *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* El Arcangel la saludó: « Llena de gracia » compañera del Señor y bendita entre todas las mugeres. *Gratia plena Dominus tecum et benedicta tu in mulieribus.* El Espíritu Santo bajó sobre ella y la virtud del Altísimo la iluminó. *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* En este conjunto de dones y gracias era imposible ecsistiese ninguna mancha de pecado original, por que en el Habitáculo de un Dios autor de la gracia, no podia hallarse el pecado como no puede la luz confundirse con las tinieblas. *Quae neque serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta est.*

La Yglesia saluda á Maria por el Cántico de los Cantares con el epiteto de amiga sin mancilla. *Tota pulchra est Maria, et macula non est in te.* Al libro de la Sabiduria la hace nacer de boca del Altisimo con el renombre de primogénita ante toda criatura. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Es la Virgen en quien no hubo reato de culpa actual. *Haec est virgo in qua nec nodus originalis nec cortex actualis culpae fuit.* Es la fuente signada con el cello de la Santísima Trinidad, y desde niña sue el objeto de la predilecion del Todopoderoso. *Quia cum essem parvula placui Altissimo.* Estaba predestinada para ser Madre de Dios desde el principio de una eternidad, y criada en la mente divina antes de todos los

Siglos. *Ab initio et ante saecula creata sum.* Por consiguiente no podia haber comprendido á Maria esa ley fatal establecida para todos como una consecuencia del pecado original. *Non enim pro te sed pro omnibus haec lex constituta est.*

Es pues una necesidad imperiosa que la Ylesia debe rendir á Maria virgen purisima, el honor de ser tan inmaculada en su Concepcion, como fue incólume el tálamo que concibió á un Dios hombre, no obstante de que él quiso humillarse hasta el punto de vestir el ropage de nuestra mísera naturaleza. *Exinanivit*, lo que no implica con la inmaculada Concepcion de Maria Santisima que fue y es la plenitud de toda la gracia.

Podriamos agregar otras muchas razones de congruencia y de autoridad sagrada y Eclesiástica con la opinion de los Santos Padres en apoyo de nuestro juicio, si ellas no fuesen muchas para enumerarlas y analizarlas, y si por otra parte no estuvieran fundadas en las muy culminantes ya espresadas.

Al concluir, Santisimo Padre, séanos permitido pensar que el Cielo ha dispuesto que el Supremo Pontificado de Vuestra Santidad, labre en la Yglesia de Jesu Cristo, una memoria perdurable si nuestra respuesta, como confiadamente lo esperamos del Señor, es conforme al sentimiento y creencia de nuestros hermanos los Venerables Prelados del orbe Católico para que la sabiduria de la Santa Sede Apostólica declare y establesca el dogma de la inmaculada Concepcion de Maria Santisima, y no se agote jamás en el corazon de todos los fieles de la Cristiandad, esa fuente perenne de tan inconmensuradas esperanzas de la Madre de Dios hijo, que fue concebido en las purísimas entrañas de la hija de Dios Padre, de la Esposa del Espiritu Santo, del Templo y Sagrario de la Santísima Trinidad.

Dignaos, Señor, al recibir esta nuestra humilde respuesta, de acojerla como emanada de lo mas íntimo de nuestra libre conviccion y creencia con que se alimenta y nutre toda nuestra Diócesis, que hoy ve entre los mas inesplicables transportes de júvilo religioso ser llegada la hora que la Reina del Cielo y de la Tierra goze en la Yglesia universal triunfante y militante, el justo honor que le es debido. E-

speramos, Santísimo Padre, os digneis concedernos Vuestra bendicion Apostólica é imponernos Vuestros respetables preceptos.

Santísimo Padre.

Casa Episcopal en Santa Cruz de la Zierra á 28 de Diciembre del año del Señor de 1850.

MANUEL. ANG. *Ob. de Sta. Cruz.*

CDXXVII.

DEL VESCOVO

DI BIBLO *IN PARTIBUS*

COADIUTORE DEL VIC. AP. DELLA CONCINCHINA ORIENTALE

BEATISSIME PATER

Nuperrime tantum recepi Epistolam Vestram Encyclicam datam die 2°. februarii anni 1849. Illam cum maximo gaudio et solamine perlegi. Antea ex toto corde adhaeseram desiderio caeterorum totius orbis catholicorum Episcoporum, qui rogabant Sanctitatem Vestram, ut solemni iudicio decernere dignaretur B. V. M. sine labe originali conceptam fuisse. Tota spes nostra in istis regionibus diuturnis tribulationibus tentatis, posita est in Sanctissima Matre nostra a qua salutem expectamus. Quanta ergo felicitate et alacritate et Pastores et oves audient, nullum deinceps a quovis posse dubium moveri de Immaculata Conceptione amatissimae Matris nostrae, de qua ipsi nullo modo iam dubitant. Nuper legi opus ab Illustrissimo

et doctissimo Episcopo Lingonensi gallice recens de hac re scriptum. Omnibus quae in hoc opere continentur me adiungo.

D. O. M. deprecor ut Sanctitatem Vestram diutissime, pro felici Ecclesiae statu, servet; et ut semper speciali iuvamine protegat, sicut huc usque adiuvit in omnibus. In istis dissitis regionibus non potui clare cognoscere quae in Europa acta sunt; sed audivi Sanctitatem Vestram summis doloribus oppressam fuisse et omnibus adversitatibus maiorem se praebuisse. Benedictus Deus qui Ecclesiam sanctam, dilectam Christi sponsam nunquam deserens, suscitavit Hominem secundum cor suum, qui illam tantis procellis agitatam strenue gubernaret.

Ad pedes Sanctitatis Vestrae prostratus, illius benedictionem pro me et pro christianis Cocincinensibus supplex exoro.

Sanctitatis Vestrae Beatissime Pater

Ex Concincina septentrionali die 2 Januarii 1851.

Obsequentissimus, Amantissimusque Filius
FRANC. MAR. BEN. AG. PELLERIN *Episcopus Bibliensis*
et Coad. Rep. Vicarii Apost. Cocincinae Orientalis.

CDXXVIII.

DEL VESCOVO

DI HILDESTHEIM *IN GERMANIA*

SANCTISSIME PATER

Litteris Sanctitatis Vestrae die 2 februarii 1849 ad totius catholici orbis Episcopos Caietae datis, ut Sedi Apostolicae nunciaretur: 1.° Qua devotione clerus populusque fidelis erga immaculatam Virginis Conceptionem sit animatus, et 2.° Quo desiderio flagret, ut haec immaculata Conceptio a Sede Apostolica veluti Ecclesiae catholicae doctrina definiatur; antecessor meus, piae memoriae Iacobus Iosephus, debitum praestare obsequium non intermisit. Ipse Encyclicas Sanctitatis Vestrae mox Ecclesiae cathedralis capitulo et reliquo clero communicavit, et a singulis super quaestionibus propositis sententiam manu propria scriptam sibi expetiit, indictis ad implorandum Spiritus Sancti auxilium precibus. Quae hoc modo a singulis, paucis exceptis, de immaculata B. Virginis Conceptione ad ipsum relata sunt, quaeque morte praeventus nunciare non potuit; dein, quid ipse de ea sentio, in sequentibus exponam.

Moram usque ad hunc diem protractam excuset Sanctitas Vestra; non enim tam cito ex omnibus Dioeceseos partibus relationes advenerunt; praeterea tempora difficillima curis occupationibusque plena, subsecuta Reverendiss. Iacobi Iosephi mors, dilationis causae fuerunt.

Relationes itaque, quae super quaestionibus supra expositis a singulis advenerut, fere unanimiter in hoc conspirant:

1°. Generatim populum fidelem magna erga B. V. Dei Genitricem devotione animari, cuius testis sit confluxus poenitentium in festis eius diebus, et in festo quoque Immaculatae Conceptionis. In hoc

celebrando, Beatissimam Virginem a populo considerari totam pulchram et sine macula, quin cogitet, id posse in controversiam venire; hinc decisionem ab illo non exoptari.

2° Vix spem esse, fore, ut tali decisione populi devotio augeatur, immo timendum, ne mirentur tale decretum in materia sibi certa, et ne iuniores eius publicatione et expositione incitarentur ad cogitationes minus puras. Quoad reliquos vero, qui ab Ecclesia catholica sunt alieni, periculum esse, ne ansa inde sumeretur, novis calumniis cultum B. M. Virginis impetendi.

Quare maxima pars sensit, decretum dogmaticum, neque necessarium, hisce saltem in regionibus, esse, neque exoptabile.

Quod ad clerum attinet, divisae fuerunt sententiae. Maior pars sententiam de immaculata Virginis Conceptione profitetur, alii eam ut piam tantum considerant, innixi decreto Concili Tridentini *Sess. V*, de peccato originali.

Superest, ut meam de immaculato Virginis Conceptu proferam sententiam. Profiteor, eam mihi a dignitate Matris Dei inseparabilem, et propter Ecclesiae consensum hac tempestate certam videri. Utrum vero dogmatica eius definitio, pro nostris saltem regionibus, sit in votis, et in bonum id cedat Ecclesiae et maiorem Beatissimae Virginis honorem, nec ne? id propter rationes a clero supra expositas, et non omnino spernendas, affirmare non ausim.

Haec pro officii mei parte humillime ad Sanctitatem Vestram deferens, sapientiori eiusdem iudicio ulteriora relinquo, ac summa reverentia et devotione emorior

Sanctitatis Vestrae

Hildesii die 15 Ianuarii 1851.

Obedientissimus et Humillimus
EDUARDUS IACOBUS *Episcopus Hildesiensis.*

CDXXIX.

DEL VESCOVO
DI BRESCIA

Beatissime Pater

De Beatissimae Virginis Mariae illibata Conceptione decreto fidei definienda quid sentirem prolaturus, ad orationis praesidium potissimum mihi confugiendum esse duxi, ne quid temere assererem, sed in re tanti momenti eius lumine, qui Pater est luminum, iudicarem. Agitur enim de Dei Matris honore, illi adeo accepto, ut ab eo Ecclesiae incolumitatem seiunctam esse nunquam voluerit; sed agitur simul de illo fidei deposito, quod ne pietatis quidem specie prodi aut temerari sine impietate potest.

Multa igitur argumenta, eaque gravissima, quibus viri docti traditionem de Immaculata Virginis Conceptione confirmant, attentius consideranti, ita mihi in Domino statuendum est visum, ut nunc statuo, et coram Beatitudine Tua declaro: *De B. Virginis Mariae Immaculata Conceptione divinitus revelata ita constare, ut ad eam dogmatice definiendam tuto procedi possit.*

Sane, si tot tantisque privilegiis, quibus B. V. Mariam a Deo cumulatam fuisse fide tenemus, haec quoque praeclarissima addatur gloria, et fidelium omnium erga Patronam et Matrem dulcissimam devotionem mire auctum iri, et Beatitudini Tuae Ecclesiaeque universae in tot, quibus premitur, angustiis solamen et praesidium additum iri firmissime teneo. Siquidem fel. rec. Clemens XI festum B. Virginis immaculatae solemni decreto Ecclesiae universae indixit quia: *Super choros Angelorum exaltata pro populo Christi sedula exoratrix apud eum quem genuit, assidue intercedit in coelis,*

potentissimam opem in tot tantisque, quibus premitur Christianae Reipublicae et Catholicae Ecclesiae necessitatibus.

Haec, quae Beatitudini Tuae humiliter aperire vehementer desiderabam ut benigne accipias, ac Brixiensi Ecclesiae indignoque pastori Apostol. Benedictionem impertias, etiam atque etiam rogo.

Datum Brixiae 10 Kalendas Feb. an. 1851.

Humillimus Filius
HIERONYMUS *Episcopus.*

CDXXX

DEL VESCOVO

DI IASSO *IN PARTIBUS*

VIC. APOST. DEL MAYSSOUR *NELL' INDIE ORIENTALI*

SUMME PATER

Quam Sanctitas Tua, circa quaestionem Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis, ad totius orbis Episcopos etc. direxit Encyclicam praeterito februario maxima cum veneratione recepi : illam omnibus Missionariis huius Vicariatus Maïssourensis celeriter circum mittens, duos post menses tantum illorum vota colligere potui.

Istius Canarensis Missionis Cleri fideliumque, circa talem quaestionem illiusque decisionem, Vota et sententiam, imo ad Patrem luminum supplicationes ex omnibus nobis rogare non dedignata est Sancta Paternitas Tua.

Vota nostra precesque populorum, pro Summo Patre nostro, incessanter maximoque cum amore, ad thronum gratiae, dirigi, pro certo teneas humiliter deprecamur ; sed quoad quaestionem Immaculatae Conceptionis, Christianorum nostrorum, in testimonium afferre nollem. Si quidem isti sunt ignari Neophyti pendentes ab ore nostro ; admittunt certe opinionem Immaculatae Conceptionis, quia nos ubique talem praedicavimus ; verum paenitus ignorant controversiam Theologorum . . . ideoque illorum desiderium circa decisionem futuram, inquirere prudens aut utile nobis non apparuit.

Quindecim sunt Missionarii in hoc Vicariatu. Tredecim firmiter credunt Immaculatam Conceptionem illamque desiderant definiri de fide. Unus illam tanquam probabiliorem admittit et si augmen-

tum gloriae ex decisione B. M. provenire possit, decisionem quoque desiderat. Unus nihil respondit.

Meam nunc, humiliter simpliciterque pedibus Sanctitatis Tuae sententiam subiicio.

1.° Quamvis omnes nos filii irae natura simus, etiam si omnes perierint in priore Adam, attamen neque fidei, neque rationi meae repugnat admittere mirabilem ac gratuitam exceptionem de facto erga Beatissimam Virginem; quin imo summe congruum mihi videtur talem contigisse exceptionem, unde naturaliter credo Deum tale privilegium, cum multis aliis gratuitis gratiis, B. M. Virgini concessisse.

2.° Verumtamen eo quod neque Scriptura Sacra, neque Traditio antiqua, talem exemptionem originalis peccati labe concessam fuisse B. M. V. satis clare probent, fide divina credere nequeo. Aliunde considerando Verbum Dei, multis aliis indignitatibus in vita suorum Avorum et Aviarum secundum carnem et non repugnasse, a pari matrem, saltem in momento originali, culpa, stricte non sua, maculatam accepisse absolute fieri potuisset: unde mea opinio, huc usque, stat solum in sensu naturali convenientiae erga Redemptorem meum et in pio desiderio gloriae et venerationis erga Matrem dilectissimam illius.

3.° Timens, ne Protestantes et Philosophi talem decisionem tanquam de Fide, Catholico Axiomati: quod semper, quod ubique, quod ab omnibus . . . contrariam esse obiiciendo, purasque opiniones, sub poena damnationis Romanam Ecclesiam imponere subclamando, certissima etiam recusent dogmata; praeterea christianorum confidentiam circa purissimam Mariam, fervorem sive in cultu Matris peccatorum refugii, tali decisione augeri posse, clare non perspiciens; praecipue nolens, hodie imponere tanquam de fide et sub poena damnationis, opinionem intra octodecim saecula liberam quamvis a multis piissimis et doctissimis Pontificibus perscrutatam nihilominus semper indecisam. Futuro Sanctitatis Tuae iudicio profundissime submissus, talem definitionem desiderare nullo modo queo et pro conscientia mea fateri cogor.

Ad Sacros Sanctitatis Tuae provolutus pedes, meae ignorantiae et libertatis veniam implorans, summo cum amore sincerissimaque devotione, me subscribo

Beatissime Pater

Bengalori 10. Aprilis 1851.

Ultimum ac Obsequentissimum Filium
S. L. CHARBONNEAUX *Episcopum Iassensem Vic. Ap. Maissuri.*

CDXXXI.

DEL VESCOVO

DI PRUSA *IN PARTIBUS*

VIC. APOST. DI COIMBATOUR *NELL' INDIE ORIENTALI*

Beatissime Pater

Cum non nisi iam ab aliquot mensibus, incoepto praesenti anno, Litterae Beatitudinis Vestrae datae Caietae die 2ª. Februarii 1849 ad me pervenerint, responsum meum simul cum aliis Catholicis Episcopis universi Orbis prius dare non mihi licuit. At vero nunc, peractis publicis precibus quas in Vicariatu meo ex iussione Sanctitatis Vestrae praescripsi, absque mora responsum meum reverenter dabo.

Et primo, Beatissime Pater, testificari urgeor quanto perfusi sumus gaudio legentes Epistolam Vestram, minime dubitantes magnam exinde orturam esse gloriam Divae Mariae, quae Alma Mater nostra est, Consolatrixque nostra, et firmissima post Dominum Nostrum

Iesum Christum spes nostra, inter acerba pericula quibus infelicibus temporibus nostris obnoxii remanemus omnes. Etenim ad quamquamque partem verteritis ex afflatu Spiritus Sancti iuxta definitionem dogmaticam de Immaculata Conceptione B. M. V. Epistola Vestra, Beatissime Pater, adeo solemne momentum est in favorem istius piae opinionis ut in perpetuum illam confirmaverit. Haud dubie deinceps ineffabilis haec praerogativa Matris Dei indubitanter vera habebitur, adversus quam nullum Catholicorum os loquens amplius audietur.

Evidens est egregios Doctores eximiosque Sanctos qui contrarium documentum quasi patrocinari videntur suas scripsisse sententias ex eo principio quod doctrinam a nobis professam non satis conformem existimaverint doctrinae S. Sedis, quae tunc temporis suam mentem non clare patefecerat. Ex contextu enim et praesertim ex serie operum suorum demonstratur praeclaros illos Viros sicut nosmet autumaturos fuisse si in nostra aetate vitam degissent. Si vocem audivissent Pontificum qui subsequenti tempore omni quo potuerunt modo faverunt doctrinae nostrae; si amantibus Mariae praetiosissimam Beatitudinis Vestrae legissent Epistolam; si testes fuissent gaudii et pietatis quibuscum a diuturno iam tempore in tota Ecclesia festum Conceptionis B. M. V. celebratur; si tandem studiosissimam diligentiam ex omni parte ostensam in novo suscipiendo officio a Beatitudine Vestra approbato, quod non *De Conceptione B. M. V.* tantum ut prius, sed *Immaculatae Conceptionis B. M. V.* nuncupatur ipsis admirari datum fuisset, profecto firmiter, ut et nos, Purissimam Sanctissimamque Virginem absque peccato conceptam fuisse existimassent, et nullum est dubium quin hanc piam veritatem exclusive in suis perennis memoriae scriptis consignassent.

Itaque, Beatissime Pater, mysterium Immaculatae Conceptionis B. M. V. ut certam minimeque dubiam veritatem tenemus; et hanc gloriosissimam dotem Matris nostrae dilectissimae piaque exercitia huic annexa propugnare et apud fideles vulgare munus nostrum erit ac filiale gaudium.

Quae opinio, Beatissime Pater, non solum mea est, sed et Chri-

stianorum meorum in quantum, suae ignorantiae habita ratione, suam mentem ostendere possunt; sed et iuvenis quasi e terra germinantis Cleri huius Vicariatus, qui aliunde cum contrariam opinionem proferri nunquam audierit, dubium de hac re ut gravem Mariae iniuriam haberet; haec opinio denique Missionariorum meorum est, qui omnes ardenti zelo ferventes in gloriam Mariae et Immaculatam eius Conceptionem credunt, et ut opinio nostra usque ad articulum fidei erigatur solemni S. Sedis iudicio desiderant.

Quoad hanc vero *definitionem*, Beatissime Pater, omnia quae in intima mente mea volvuntur, ante oculos Beatitudinis Vestrae cum filiali simplicitate explanare mihi liceat, quaeso. Siquidem vituperationis dignum me existimarem si non pari sinceritate qua opinionem meam professus sum et timores meos non patefacerem. Quamvis ergo, ut iterum dicam, nihil insit in me dubii de Immaculata Conceptione B. M. V., non possum quin timeam ex *definitione* istius doctrinae ut articuli fidei aliqua oriunda esse damna pro Ecclesia; non possum quin timeam ne talis definitio, salva reverentia debita numerosis et piissimis theologis qui eam urgent, quasi speciem quamdam novitatis prae se ferat, et imminuat vim maiestatemque Traditionis, cuius firmitas posthac magis ac magis exoptabitur.

Procul dubio si S. Sedes Immaculatam Conceptionem B. M. V. Articulum *fidei revelatae* declarabit, eo ipso Traditionem (nam, ut arbitror, haec revelatio super Scripturam solam, quod periculosius adhuc mihi videretur, nunquam fulcietur) talem semper fuisse definiet; quod quidem sufficiens erit animo in fide firmo et constanti. At vero quoad debiliores in Fide, imbecillitati quorum semper indulgendum erit, probanda sunt momenta Traditionis huius super quam innixa Ecclesia definitionem protulerit. Opus haud facile quidem. Non obstantibus piis conatibus et quasi industria recentiorum theologorum, nonne fatendum est demonstrationes eorum si rigorosae, non faciles esse conceptui plerumque fidelium? Porro magni referre mihi videtur traditionem aliunde praetiosissimam quae, in procellis quibus adhuc iactabitur Mater Ecclesia, anchora salutis erit, claram omniumque menti perspicuam inveniendam esse.

Forsitan, Beatissime Pater, timeo ubi non est timor. Sed fateor, timeo caliginosum mendacium quod magis ac magis humanam mentem obvolutum videtur. Huius auxilio fretus princeps tenebrarum multos seducet, nisi quasi scrupulosissime veneremur traditionem. Lactitent alii vanas scientias istius aevi, mundumque de die in die progredi asserant. Ego vero genus humanum in haud vitabile caliginosum barathrum preceps se dare, heu lugens prospicio! Portentosus abusus artis typographicae, Diariorum venenum quod usque apud barbaras gentes sese insinuat mentes corrumpit et a via recta sensim declinat, libertas scribendi, typis mandandi et ubique spargendi omnis generis libros, bonos ac malos, de quacumque re tractantes, quibus sacrum indigne prophano miscetur, elata ferrea fronte errorem sustinentes, nec non, sub specie sanae philosophiae vel theologiae, pravam doctrinam arte connexis obnubilatam argutiis propagantes, ita ut sapientissimae leges Ecclesiae de hac materia efficaciter etiam in omnino Catholicis imperiis protegi nequeant, haec, inquam, simul cum aliis pluribus causis adeo magnam perturbationem in intellectu hominum allatura mihi videntur, ut in posterum magis quam ante, forsan, Catholici ratiociniis diffidentes, sed documentis sacrae Traditionis inhaerentes illud tantum indubitanter verum, illud tantum *certitudine fidei* certum agnoscere cogentur « quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. » (Vin. Lir.)

Porro, ut ad incepta redeam, non obstante pia industria recentiorum theologorum, eorumque diligentia scrutandi opera Patrum et quidquid directe vel indirecte, evidenter vel deductive opinionem nostram tuetur producendi, difficile remanet, meo sensu, probare *semper* et praesertim *ubique* Immaculatam Conceptionem B. M. V. creditam fuisse. Ex tali vero difficultate nonne debiles in fide conicientur in discrimen dubitandi non solum de articulo illo definito, insuper de ipsa traditione quae huius revelationis sacrarium fuit? Exinde quaenam damna non timenda pro infirma fide, imbecillitati cuius indulgere nobis munus est?

Itaque, Beatissime Pater, veritatem de Immaculata Conceptione Mariae inter veritates quae piae creditae generaliter admittuntur remanere anteponerem. Nulla enim deinceps exceptio numerabitur.

Nec sine fructu remanebit pretiosa ac piam suavitatem redolens Epistola Beatitudinis Vestrae. Haec enim securim ad radicem usque infigendo controversiae, quondam infaustae sed nullo modo renovandae, finem absolutam dederit. In posterum nullus invenietur tam audax Catholicus qui renovare audeat et sustinere opinionem S. Sedis menti, fideliumque piae et communi autumationi apertissime oppositam. Si quis auderet infelix, merito temeritatis notam incurreret. Quid autem? Num pro vere catholico firmius quam talis nota aliud vinculum requiritur? Ille qui a tali nota non terreretur sane timendum est ne et haeresis notam non formidaret; et tunc praesentia novi cuiusdam temerarii minori damno esset Ecclesiae quam praesentia novi haeretici. Quamvis enim temerarius ille absolute loquendo factiosos quosdam sibi adunare possit, numquam ut haereticus ad novam sectam effingendam potens reperietur.

Hic est, Beatissime Pater, autumandi modus ultimi totius Christianitatis Episcoporum, humillimi filiorum Beatitudinis Vestrae. Si vero cogitatum meum integrum ante oculos Vestros proponendum arbitratus sum, simul testificor de omnimodo meo anticipato obsequio omnibus quae a Sanctitate Vestra iudicabuntur et definientur. Nec minimum quidem dubium ingero Beatitudinem Vestram, si ad bonum Ecclesiae dogmaticam definitionem requiri iudicaverit, ab ipso Spiritu Sancto afflari; statimque, Dei auxiliante gratia, tanquam articulum fidei firmiter credam quod nunc ut piam veritatem totis praecordiis profiteor.

Nihil nunc superest, Beatissime Pater, nisi ut ad pedes Beatitudinis Vestrae provolutus eosque humili affectu amplectens Paternam Apostolicamque Benedictionem Vestram pro meipso, pro Missionariis cooperatoribus meis, et pro missione mihi quamvis indigno credita efflagitem; D. O. M. deprecans ut Beatitudinem Vestram diu servare dignetur suae Ecclesiae incolumem et felicem.

Sanctitatis Vestrae

Prope Coïmbatore die 13 Maii 1851.

Humillimus et Obsequiosissimus Servus ac Filius

M. M. I. De Marion Brésillac Ep. Prusensis Vic. Ap.

CDXXXII.

DEL VESCOVO

DI SOUTWARK *IN INGHILTERRA*

BEATISSIME PATER

Quo tempore doctrinis scholarum almae Urbis et fidelis populi praeclaris virtutum exemplis erudiebar, pluries mihi laeta sese obtulit occasio cultum erga Beatissimam Virginem Mariam promovendi, cum aliorum nomine deberem a S. Sede impetrare concessionem gratiarum quae in honorem Conceptionis Immaculatae eiusdem Dei Genitricis, Matris nostrae dulcissimae expostulabatur.

Hodie vero cum ex amplissimo S. V. beneficio ad Sedem Suthwarcensem evectus consecrationis gratiam accepi, et genuflexus amplector quam ad me dignata est mittere benedictionis Apostolicae plenitudinem, meo tandem nomine et pro Dioecesi mihi commissa summa cum reverentia, instantissime tamen rogo ut S. V. cuius fides in B. Petro Apost. Principe confirmata non deficit, benigne velit excipere tot fidelium pias obsecrationes, tot Episcoporum ferventissimas preces, et dignetur per dogmaticam definitionem ex Cathedra decernere et declarare Beatissimam Virginem Mariam ab omni originali labe in sua Conceptione fuisse immunem.

Mihi rerum Theologicarum adeo imperito vix licet argumenta recensere quibus stabilitur huius sententiae, quam definitam optarem, veritas atque auctoritas; sed cum ex ore infantium et lactentium plerumque Deus velit laudem perficere, sinat, quaeso, S. V. ut infantilibus veluti labiis unum dumtaxat eorum humillime proferam.

Cum de aliqua gravi quaestione cum fidei Catholicae osoribus disceptatio instituitur, satis ad eiusdem veritatem dogmaticam evincendam, effecisse se arbitrantur Theologi si iis saeculis, de quorum

fide dubitare se fingunt haeretici constet fideles in suis orationibus publicis et privatis doctrinam nostram circa idem argumentum tenuisse et exhibuisse. Ita, ne in exemplis colligendis longior sim, ad preces Ecclesiae vel fidelium provocare solent Theologi, ubi cum haereticis contendant de Purgatorio aliisque doctrinis de quibus nulla habetur specialis definitio per ea saecula, ex quibus protestantes argumenta iactitant, ex silentio, ut ipsi autumant, Ecclesiae desumpta.

Attamen de nulla ex quaestionibus huiusmodi inveniri poterit ea plena consensio quam super Immaculata Matris dilectissimae Conceptione ubique viguisse et vigere exploratissima res est. Ecclesia eadem semper est, et nullas temporum vel locorum vices patitur, nihilque accipit quod a mente sui Divini Fundatoris sit alienum, et proinde ex hac unanimi fidelium voluntate, ex fervido animorum affectu quibuscum nomen ipsum Immaculatae Conceptionis ubique colitur, ubique honoratur, colligitur absque erroris formidine veritas quam pleno cordis sensu teneo et profiteor revelatam, scilicet fuisse hanc piam de immaculata Conceptione doctrinam, a Christo ipso fuisse Ecclesiae concreditam.

Lex orandi sequitur et comitatur legem credendi; fideles enim nequeunt a veritate quam corde credunt, voce et orationibus exprimenda se continere; ideo ut tenendum sit precibus per Ecclesiam usitatis huius sententiae veritatem magis magisque firmari.

Enixe propterea peto et ardenter oro atque obsecro ut S. V. pro singulari quo fervet erga Matrem nostram amore declarare velit decreto suo dogmatico Ipsam ab originalis culpae labe immunem fuisse in sua Conceptione.

Beatitudinis Vestrae

Romae extra Portam Flam. in Oct. SS. Apostolorum Petri et Pauli 1854

Humillimus et Devotissimus Filius
THOMAS GRANT *Episc. Southwarkensis.*

Le seguenti Lettere non essendo segnate di veruna data, le abbiamo collocate qui alla fine; e forse dal concetto di alcune di esse si potrà raccogliere il tempo in che furono scritte.

CDXXXIII.

DEL VESCOVO

DI MARSIGLIA

BEATISSIME PATER

Cum primum, ex alta Petri Sede personuerit vox Summi Pastoris, et ad omnium aures indubitanter pervenerit, undequaque reviviscere mirificum illud ac flagrantissimum desiderium, ut tandem definitivo solemnique iudicio ab Apostolica Cathedra decerneretur: Sanctissimam Dei Genitricem, omniumque nostrûm amantissimam Matrem Immaculatam Virginem Mariam, absque labe originali fuisse conceptam, summo, inenarrabilique gaudio affecti sunt omnes Congregationis Oblatorum Sanctissimae Virginis Mariae sine labe originali conceptae, sodales.

Inter densissimas calamitosi praesentis saeculi tenebras, procellosasque in hoc mari magno tempestates fluctus suos ex omni parte spumantes, subito refulsit, repentinus inesperabilisque fulgor. Eadem voce conclamarunt omnes nostri, sacram Petri Naviculam, adeo nunc, furentibus undis iactatam, ad felicem certo salutis portum mox appulsuram, duce Maria Immaculata, sub omnipotenti manu supremi Nautae et Gubernatoris. Sanctissima quippe Virgo Deipara et cunctas haereses invincibili pede semper contrivit, et luctuosissimas calamitates constanter, potenti dextera, ab Ecclesia procul removit. Uno igitur corde, unanimique ore, Deum Optimum, Maximum, alternis laudibus, celebrare et exaltare non desinunt istius sacrae Familiae alumni, de tam felici nuntio ad nos recenter perlato et de tam inopinata, vigilantissimi supremi Pastoris coelitus certo data, voluntate.

Illud etenim, quod erit pro toto Orbe Catholico causa maximae inauditaeque, a multis retro saeculis, laetitiae, suas, apud nos, et singulares, et ferme, ut ita loquar, ineffabiles obtinet obtinebitque gratiarum actiones. Enimvero, multis abhinc annis, venerandae memoriae, Sanctissimus Pontifex Leo XII, institutum, Congregationemque nostram per *Litteras Apostolicas* die 21 martii anni 1826, in *forma specifica* datas, in ordine hierarchico, *libenti alacrique animo* constituens, uberrimasque de *Rore caeli*, ut dicebat, Universae Congregationi, ex intimo cordis affectu largiens gratias, insignitam voluit splendido nomine, singularique titulo Oblatorum Sanctissimae Virginis Mariae *sine labe Conceptae*.

In spem etiam erigebatur cor sapientissimi praelaudati Pontificis, eamdem Familiam, quam *admodum perutilem* profitebatur, afflictis Ecclesiae rebus, non laevi, tum praesidio, tum ornamento, futuram.

Tandem omnes eiusdem sacri caetus praecones et Verbi Divini Seminatores, velut dilectissimos in Christo filios, in visceribus suae paternae charitatis alte recondens, significavit ipsi cordi esse, ut finem non facerent, illam admirabilem Dei Virginem Matrem celebrare, singulariaque ipsius amantissimae Parentis *privilegia* exaltare, ita ut efficaciter perducere valerent, ad eiusdem Matris Misericordiae sinum, homines, quos ut filios, Iesus Christus in ara Crucis illi voluit attribuere.

Tam laeta faustaque vota ipsemet Deus summe bonus, abundatiori constantique benedictione sancire non destitit. Pusillus ille et humilis sane grex, sub tanto auxilio, foecundaque manu illius Beatissimae Virginis sine labe Conceptae, quae iure et merito decantatur gratia plena et in qua, Christus Redemptor, totius boni posuit plenitudinem, longe et late propagine faustissime protulit. Mox enim, ut Beata manu supremi Agricolae in horto Ecclesiae, plantata vitis ista, faecundos, laetabunda, palmites emisit.

Exinde autem, de die in diem, protegente semper, et a supernis afflante Beatissima Virgine, Patrona Immaculata, operarii illi strenue praeliantes praelia Domini, non solum in omnibus Gallicanae ditio-

nis partibus, sed et in Anglia, in Hybernia, in Corsica; sed et in remotioribus Americae spatiis usque ad Oregonem; sed etiam in Indiis orientalibus, apud insulam Ceylanensem; et recenter in septentrionalibus Africanae Regionis oris apud Algerium, labores plurimos susceperunt, sedem ibi collocantes.

Quae omnia, adeo iucunda et tam pergrata fuere, venerabili Pontifici, Vestrae Sanctitatis decessori, Gregorio XVI, ut paulo ante *obitum*, uberrimos fructus et laetas segetes undique colligentes Missionarios Immaculatae Virginis Mariae Oblatos affectuose contemplans, ultima et quasi *Testamentaria* Benedictione illos ditare et communire voluit, ut patet Brevi Apostolico, *Valde Nostrum* laudativo et *Instituti confirmativo* dato, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20 martii, anno 1846.

Quasnam ergo nunc, omnes nos, rependere valeamus gratias supplicationesque pro tot tantisque heneficiis a Deo datis et pollicitis! Felix dies illa, dicimus, felix sane dies in quo Deus, afflante Spiritu dilectissimi Filii sui, posuit in corde sui Vicarii in terris, supereminentissimum honorem decernere Sanctae Virgini Mariae.

Felix indubitanter, et sancta dies in qua, Supremus ovium et agnorum Pastor ac Doctor, inter acerbissimas cordis sui angustias tristesque S. Ecclesiae vicissitudines et urgentes necessitates, elevavit mentem ad Immaculatam Matrem Agni Immaculati, oculosque direxerit ad fulgorem illius almi sideris, manu Dei positi in Coelis ut *arcus* foederis et *signum* victoriae.

Veniat, veniat illa tam exoptata hora in qua orbis universus exaltare valebit Sanctissimam Dei Genitricem vere et certo confregisse caput venenosi serpentis; fideque omnino tenendum Beatam Virginem Mariam, mirabili et unico uberioris gratiae Filii sui privilegio, ab omni prorsus labe originalis culpae verissime praeservatam.

Quae omnia summopere exoptans, desideriisque ardentibus accelerans, Praeses Generalis dictae Congreg. Oblatorum Beatissimae Virginis sine labe conceptae, nomine et voto omnium suorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime ac laetanter deponit, gratiam

plurimam Beatitudini Vestrae, enixi exorans, ut tandem feliciter perficiat quod tam suaviter incoepit.

Humillimus ac Devotissimus Filius
C. I. EUGENIUS *Episcopus Massiliensis Sup. Gen.*

I. I. M. LAGIER *Oblatus M. I. Secret. Gener. Congreg. Obl. M. I. Substitutus.*

CDXXXIV.

DEL VESCOVO
DI ACQUI

BEATISSIME PATER.

Qui iam ab anno 1844 supplices porrexeram preces immortalis memoriae Gregorio Papae XVI Sanctitatis Tuae Antecessori in Apostolica Sede, quibus vehementer eum rogaveram ut communissimum Patrum, Doctorum, Theologorum, Academiarumque catholicarum sententiam de Deiparae semper Virginis Mariae immaculato Conceptu supremo suo oraculo in dogma eveheret fidei nostrae SSmae, fortasse ultimus ero in obtemperando ex hac parte eloquentissimis Litteris Beatitudinis Tuae sub die 2 Februarii 1849. Ab animo doleo de hac cunctatione eo vel maxime, quod in reliquis in illis praescriptis promptissima, uti par erat, obedientia nihil omiserim exequendum. Quae huius rei causa fuerit, sincere aperiam. Novum desiderari votum ab illis, qui ante praelaudatas litteras Tuas suum iam panderant sensum, ignorabam.

Nunc autem nulla interposita mora impensissimae Sanctitatis Tuae erga eamdem Dei Genitricem devotioni pro tenuitate mea morem

gero supradictas preces renovando eo libentius, quod modo suffragium quoque accedat fere totius Cleri scripto expressum, nec non populi huius Dioecesis infirmitati meae concrediti ardens desiderium ad quod comprobandum indictis a me triduanis precationibus in unaquaque paroecia peragendis ferventi interfuit pietate eo animatus fine (sicut in edicto edisserueram), ut D. O. M. sapientiae suae radiis mentem Sanctitatis Tuae illustrare, propensissimamque voluntatem Tuam firmare dignaretur solemni ritu decernendi SSmam Virginem coeli Reginam in Adam non peccasse, hoc est, Divina Eam praeveniente Filii sui Redemptoris gratia a labe praeservatam fuisse originali, immo angelicis puriorem spiritibus primo suae Conceptionis momento a Deo creatam.

Momenta gravissima, quibus piissima et omnino tenenda innititur antedicta sententia, prout Epistolae Pastoralis natura concessit, declaravi anno supramemorato 1844 (cuius exemplar una cum altero praefati Edicti in obsequentissimi animi mei tesseram ad SSmos pedes Beatitudinis Tuae hic adnexum deponere audeo [1]) ac proinde ab illis repetendis, aut a novis congerendis argumentis supersedeo, animo reputans in re nunc iam extra controversiam posita perinde esse, ac si soli lucem quis addere suis demonstrationibus praetenderit. Nihil ergo aliud, meo videri, deest ut tanquam fidei catholicae dogma Immaculata Virginis Mariae Conceptio ab omnibus orthodoxis habeatur, et colatur, quam istius Sanctae Sedis formalis definitio, quam a Sanctitate Tua vivissima sollicito efflagitatione in firmam spem adductus, Ecclesiam hisce teterrimis temporum adiunctis, quibus cuiusque nationis impii machinantur omnimoda scelestissima arte, initoque inter se sacrilego foedere convenire adversus Dominum, et adversus Christum eius, velut navem in procelloso pelago saevissimis iactatam fluctibus, coniuratorum nempe irreligiosorum hominum infensissimo impetitam odio, adversis successura secunda plenam fore, optatamque consecuturam tranquillitatem illius potentia, cui venti

1 Si troveranno al loro luogo nella III. parte

et mare obediunt, quique benignissimae matri suae pro Ecclesia Sancta Dei intercedenti, et pro nobis omnibus, nihil denegat.

Hoc votum demissa quidem oratione expositum, sed ex intimo profectum corde quam reverenter Sanctitatis Tuae iudicio submitto Apostolicam interea Benedictionem Tuam super me, Clerum, atque super reliquos fideles exiguitati meae commissos enixe deprecans.

Beatitudinis Tuae

Humillimus, Obseqmus, et Obbedmus Filius
Fr. MODESTUS *Episcopus Aquensis (Taurin. Prov.)*

CDXXXV.

DEL VESCOVO

DI BODONA *IN PARTIBUS*

VIC. AP. DI FO-KIEN

BEATISSIME PATER

Fr. Michael Calderon, minimus inter catholicos Antistites, et, absque ullis meritis, Vicarius Apostolicus Provinciae Fo-kien in Sinis, Sedi Apostolicae libentissime obsequens, et maiori, qua potest reverentia, ad pedes Vestrae Sanctitatis provolutus, breviter exponit: se firmiter adhaerere doctrinae de Immaculata Conceptione Beatissimae Virginis Mariae: imo fideles omnes huius Provinciae eamdem tenere sententiam; siquidem in communibus suis precibus multa inveniuntur in honorem eiusdem Immaculatae Conceptionis; et apud illos frequentissimus est usus schedularum, quas Deiparae litteras vocant, et quae in honorem Immaculatae Conceptionis ipsis distribuuntur: praecipue pro pueris infirmantibus, et mulieribus parturientibus; quapropter gratissimum proculdubio ipsis foret, si Apostolicae Sedis solemni decerneretur iudicio, Beatissimam Virginem Mariam ab originalis peccati macula immunem omnino extitisse.

Caeterum post ea, quae S. Ligorius scripsit, nihil amplius in hac re desiderandum videtur, nisi solemne Sedis Apostolicae iudicium; quod ardenter exoptat, et humiliter postulat minimus inter catholicos Antistites, qui haec exponit, et S. S. pedes deosculatur toto cordis affectu

Obsequentissimus Filius
Fr. MICHAEL CALDERON *Vic. Ap. Fo-kien.*

CDXXXVI.

DEL VESCOVO

DI ANTIOCHIA *NELL' AMERICA MERID.*

BEATISSIME PATER

Non sine magna consolatione et laetitia summa Litteras Sanctitatis Vestrae Caietae, die secunda Februarii huius anni expeditas, accepimus, non solum propter benedictionem datam, et a nobis grate et submisse susceptam, magis etiam ob scopum eorum, quae, ad testimonium nostrum adipiscendum circa devotionem et adhaesionem gregis nobis commendati in cultum et venerationem Conceptionis Immaculatae Beatissimae Virginis Mariae, ductae fuerunt, verum et ad preces publicas faciendas, ut de supremo donorum Datore, numen et lucem, Spiritu afflante, obtineatur, ad tanti momenti rem consilium recipere, Beatitudo Vestra, valeat, ut in maiorem tum sanctissimi nominis Iesu gloriam, tum Sanctissimae Virginis laudem tum militantis Ecclesiae utilitatem doctrinae definitio de immaculata Virginis Conceptione continue optata, cedere possit.

Ut tanti negotii adimpleatur mandatum, et ut in nobis est illud satisfiat, quoad primum , iam antea sexto kalendas februarii anni Domini millesimi octigentesimi quadragesimi quarti Litteras nostra manu missas fuisse dico quibus, nostro nomine et nomine populi nostri humiliter exoptavimus ut a dignissimo Antecessore Beatitudinis Vestrae, definitionem illam, universa Catholica gente expetitam, sanciri dignaretur. Etenim non minus pro illo tempore, sed pro nunc et quotidie vehementius sentiuntur vota huius nostrae gregis ut in posterum non amplius dubietas admittatur, et ut pietas populi christiani firmetur circa admirabilem et optabilem Virginis Mariae a peccato originali immunitatem. Et quidem, ubi est civitas vel socie-

tas in Christo et Vicario Supremo unita, quae in Angelorum Reginam Immaculatam, cultum et adorationem non pie et devote tribuat? Nonne in tota Ecclesia ab initio suae existentiae, usque huc pro quocumque loco et omni tempore ita docetur et determinatur? Testimonium universale et aetate omni unanimiter praestitum, tum summorum Pontificum, tum Patrum, Doctorumque, tum Conciliorum atque Theologorum, tum in pia fide credentium, quod a Sanctitate Vestra, nemine melius cognoscente, ita testatur, et talem convictionem producit, ut non amplius trepidatio existat, Marialem Conceptionem ab omni labe exemptam esse, et ab aeterno sic praeordinatam ut mysterium fide dignum in populo christiano acceptum et professum adhibeatur. Siquidem maternitatem divinam in Maria gratia plena annuntiatam fuisse constat: difficillime autem tale attributum consistere nequit, quin in persona ad hoc designata, privilegium sanctitatis originalis, quod in Adamo protoplasto extitisse confitetur. Certe, quomodo, si in innocentia protoparentes permansi fuerant, filios eorum ut a patribus iustitia naturali praeditis necessario asserere natos potuissemus, non etiam Verbum Divinum potiore ratione praeeminentiam istam mereri debuisse affirmamus in carne? Si in Angelis, sanctitate creatis, Deus vitium originale odio habuit, quanto magis in Virgine Dei Genitrice illud noluisse fuisset dignum? Quare, in nostra dioecesi, non solum, quia antea in Ditione hispanica fuit comprehensa, et ob hoc in Mariam immaculatam, ut Patronam in toto regno iuratam, devotionem et cultum tribuere illa gaudet, sed, et potius, propter religionis a Iesu institutae cognitionem et amorem in dies illos crescere et decorare laeta pietate tendit. Ita templa et festivitates in eius obsequium multiplicantur: Congregationes variaeque institutiones promoventur, et tam laudabile in obiectum coadolescunt. Etenim dilectio fidelium circa Deiparam tam generaliter professa, in Conceptionem eius mundam uberrima praestruitur. In nostra cathedrali Ecclesia ut patrona veneratur, et parochiae multae aequaliter illam proclamant, et patrocinio ipsius honorantur. Noster Clerus et noster populus cum suo Pastore non minus ut Catholici gloriantur, quam devotione animati, Innocentem Virginem

colunt, praecipue dum illam in suo protoplasto sanctam vocant. Quapropter, statim ut accepimus Litteras Sanctitatis Vestrae, preces et orationes publicas indicendas et peragendas curavimus, perque epistolam pastoralem ad nostrum gregem missam, sic praescripsimus et ordinavimus, quo clementissimus luminum Pater, Sanctitatem Vestram, superna Divini Spiritus luce perfundere, ut in tanti momenti re, veluti, « ut ab Apostolica Sede iudicio solemni decernatur, Sanctissimam Dei Genitricem, omniumque nostrûm amantissimam Matrem immaculatam Virginem Mariam absque peccato originali fuisse Conceptam, » illud consilium suscipi valeat. Non aliud nostrum desiderium, non aliter optamus, quia istam immaculatam Conceptionem a teneris annis hucusque semper veneravimus.

Cum in nostro episcopatu horas canonicas peculiares pro Regno Hispanico maxime a Sanctissimo Patre nostro Clemente XIII dignissimo, Beatitudinis Vestrae Praedecessore, persolvere a Clero nostro permissum sit, credimus, nisi aliter a Sanctitate Vestra dicatur, non esse novandum in officio nostro. Attamen, gratias agimus Vestrae Beatitudini propter veniam nobis datam ut easdem horas canonicas quas Romano Clero recentissime editas constat, nostro concedere valeamus.

Ad finem huic epistolae ponendum non possumus, quin humiliter Sanctitatem Vestram petamus, ut in compensationem et satisfactionem tantae devotionis in nostro Clero et Populo circa Mariam integerrimam habitae, in nostra Dioecesi ad praefationem Missae privata et solemni, *Immaculata Conceptione* dicere nobis et illi tribuatur, dum mysterium hoc infallibiliter definiatur.

Benedictionem apostolicam optans ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus

Humillmus et Obediens Servus
IOANNES A CRUCE *Episcopus Antiochensis*

CDXXXVII.

DEL VESCOVO

DI FABRIANO E MATELICA

BEATISSIME PATER

Ad mentem Beatitudinis Vestrae, Literisque datis Caietae die secunda Februarii anni currentis, Episcopus Fabriani et Matilicae obsequendo preces indixit, ad quas fundendas populus et maxime Clerus alacriter pieque respondit; nam devotione et amore praecipuo erga Deiparam hic populus pollet. Gaudet ideo semper de maiori gloria et honore eiusdem Deiparae Virginis, et interpres idem Episcopus desideriorum Cleri et populi enixe postulat, ut a Beatitudine Vestra tandem *solemni iudicio* decernatur B. Virginem Mariam sine labe fuisse revera conceptam.

Abstinet humillimus Episcopus orator a rationibus intrinsecis huius iudicii; nam a doctissimis piisque viris iam ipsae rationes satis superque elocubratae fuerunt. Credit ipse tamquam de fide *Immaculatam* B. Mariae Conceptionem, nihilque aliud deesse nisi *iudicium cum solemnitate* edendum a Beatitudine Vestra, nam satis implicite, vel potius etiam expresse Cathedra Petri, et Ecclesia universalis locuta est.

Universa Ecclesia, nullo excepto fidelium, iam diu, Cathedra Petri adprobante, Deiparae Conceptionem solemni festo celebravit. Quis ideo dicere audebit Conceptionis festum expungendum et prohibendum esse? Sed si celebranda Conceptio, quomodo non immaculata? Quodcumque momentum Deiparae sanctum immaculatumque procul dubio semper fuisse, quis fidelium ausus est unquam negare? Nisi ergo et ipsum Conceptionis momentum fuisset immacu-

latum tota vita celebranda, honoranda, et veneranda foret praeter Conceptionem; quod absit.

Si Ecclesia detrectaret, vel dubitaret hodie de asserenda per solemne decretum Immaculata Conceptione, quadam animi perturbatione afficerentur fideles et maxime illi permulti qui peculiari devotione Virginis Conceptionem usque adhuc coluerunt; aliquid decerperetur honori Deiparae, nec non eiusdem summi Dei, nam ipsum Deum decebat servare ab omni labe animam ab aeterno destinatam ad informandum corpus, ex quo *Ipse* corpus sumeret.

Beatitudo Vestra igitur, lumine infallibili Spiritus Sancti secura, decernat, humillimeque Episcopus Orator audet subiicere proprium sensum, videlicet, quod non solum possit sed debeat tandem *solemniter* decerni illa *Immaculata* Conceptio iam probata et statuta, quamvis usque adhuc sine solemnitate, ab Universa Ecclesia, cum nullus amplius populus Catholicus, nullus ex fidelibus existat qui non credat, non canat, non celebret *Conceptionem Immaculatam*.

Post haec humillimus Episcopus Orator ad pedes Beatitudinis Vestrae provolutus, eosque devote deosculando Paternam Apostolicam Benedictionem super se ipsum, suasque Dioeceses exposcit.

FR. *Episc. Fabriani et Matilicae.*

CDXXXVIII.

DEL VESCOVO

DI VENTIMIGLIA

BEATISSIME PATER

Veneranda omnium temporum traditione, Beatissime Pater, ubique in Ecclesia servatum est, ut difficiliores causae fidei ad sacram Petri Sedem deferrentur, *ubi non potest fides sentire defectum* [1]. Hinc felicis recordationis Romani Pontifices Praedecessores Tui, qualibet aetate haereses emergentes Apostolici iudicii auctoritate prostrarunt. Tibi, Pater Beatissime, omnium fortasse merita in unum cumulaturo, specialis praerogativa servatur, ut omnium simul errorum conspirantes sustineas conatus, eiusque Petrae firmitate repellas, cui nec adversae virtutis robore, nec subtilis machinationis validitate portae inferorum unquam praevalebunt. Id autem facilius obtineri posse, optimo, ut arbitror ducis consilio, si peculiari zelo illius primitus tuearis honorem, cui cunctas haereses interemisse in universo mundo divinitus concessum est; eamque purissimam, multisque ab ortu omnium confessione gratiae donis cumulatam, ab omni etiam originis labe Immaculatam pronuncies. Hoc utique, Beatissime Pater, iamdiu in omnium votis fuit, qui speciali cultu, et filialis devotionis obsequiis Parentem divinam prosequuntur; idque sanctae huius Albintimiliensis Ecclesiae Clerus et populus enixe flagitant, ut quae nuper indictis auctoritate Tua precibus, indubia ediderunt signa, manifeste satis ostendunt, impensisque exoptant cordis affectibus, ut pia denique Magni Augustini

1 BERNARD. *Ep. 190 ad Innocent.*

vota compleantur, nullaque ultra, dum agitur de peccatis, de intemerata Virgine disputatio instituatur [1], quam purissimam, Immaculatam, et absque ulla originis labe conceptam iam in sacra liturgia Apostolicis concessionibus invocare consueverunt. Mea insuper ovium mearum votis, vota humiliter adiungens haud remissiori zelo flagrare profiteor, ut hunc, Pater dulcissime, divinae Matri impendere possis honorem, omniumque fidelium, ea de re, communem confessionem decernere valeas, et, quod multorum Ecclesiae Doctorum suffragiis roboratur, in catholicum Dogma denique convertatur. Hoc utique et Filii honor, quem genuit, et singularis eius conditio prorsus postulare videntur, quae *meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit* [2]. An vero id revelationibus divinis contineatur, praeter quas nihil unquam in Ecclesia evangelizatum est, illudque definitivo expediat statuere iudicio, ut qui in ea confessione religiose non consenserit, a mystico Christi corpore praecidendus, tamquam ethnicus et publicanus habendus sit, re mature perpensa, multisque Deo fusis precibus, a Te, Pater Beatissime, *discere libentius opto, quam dicere* [3], qui Haeres Apostolorum, Praesulumque Princeps, erudiendis in fide confirmandisque fratribus auctoritate Christi divinitus deputaris. Quod enim non inconsulto SS. Matris ab Evangelista praetermittuntur exordia, nativitas non describitur, *nec traditum est memoriae quomodo concepta* [4] ut inquit S. Valentinus Antistes, totumque elogium eius brevissima oratione perstringitur, qua divina illius Maternitas declaratur gravem formidinem ingerit, ne sanctam eius originem Spiritus Sanctus occultam manere inscrutabili voluerit sapientiae consilio, ut causa singularis honoris illius tantum gloria revelaretur immaculati Conceptus, qui caeteris purgationem allaturus Pontifex sanctus, et immaculatus apparuit. Haec sane nobis formidinem insinuant, Beatissime Pater, qui Tuo in terris magiste-

1 *De Nat. et Grat.* Cap. 36.

2 S. Greg. Pap. *de Exposit. in Lib. Regum.*

3 Aug. Lib. 5. *contra Iul.* Cap. 4.

4 Thom. Valent. *conc. 2. de Nativ. B. M. V.*

rio, et Apostolicae subiicimur auctoritati; Tuae autem sapientiae resolutiones retardare minime valent, cui Naviculam Petri *in altum, hoc est in profundum disputationum ducere divinitus est imperatum* [1].

Tuum itaque in hac perardua disputatione iudicium religiosissime suscepturus pro me, et fidelibus meae curae commissis, pedes sacratissimos reverenter deosculatus Apostolicam Benedictionem deposcor.

Sanctitatis Tuae

Humillimus Famulus
LAURENTIUS *Ep. Vintimillien.*

1. Ambros. Lib. 4. in Luc. Cap. 4.

CDXXXIX.

DEGLI ARCIVESCOVI

DI ARMAGH, DUBLINO, CASHEL E TUAM

DEI VESCOVI DI RAPHOE, ARDAGH, MEATH, OSSORY, KILDARE E LEIGHLING, WATERFORD E LISMORE, DOWN E CONNOR, CLONFERT, CLOGHER, KILMORE, FERNS, ELPHIN, LIMERICH, CORK, DI TITOPOLI *IN PARTIBUS* AMMINISTRATORE DI DERRY, DI CLOYNE E ROSS, DEL PROC. DEL VESC. DI KILMACDUAGH E DERRY, DELL' ABATE CISTERCIENSE DEL MONASTERO DI N. D. DI MELLEARIO E DEL PROCURATORE DEL VESCOVO DI ACHORNY

BEATISSIME PATER

Cum post interceptam per complura saecula Conciliorum totius huius regni celebrationem, tandem hortante Beatitudine Tua, Teque auspice in unum convenerimus, ut plenarium Hiberniae Episcoporum celebraremus Conventum, et de rebus ad Ecclesiam nostram spectantibus consilium iniremus; statim animo revolvere coepimus, quid imprimis Deo acceptabilius esset, quod ob fidem nostram inter plurimorum saeculorum calamitates servatam, et libertatem nostrae denuo Ecclesiae restitutam, in significationem grati animi praestare possemus. Nec cur diutius dubii haereremus opus erat. Nam Literae a Sanctitate Tua ad omnes Catholici orbis Episcopos die 2 Februarii an. 1848 datae, ad eorum de Beatissimae Virginis Mariae Immaculata Conceptione sententiam explorandam, id quod nobis in votis erat suppeditarunt. Persuasum enim erat nobis nihil Deo gratius esse, quam quod ii qui Pastorali funguntur munere pro viribus certarent ut Virginis Sanctissimae laudes et excelsae dotes magis magis-

que innotescerent et clariore luce ponerentur. Id vero praecipua quadam ratione nobis incumbit, cum ex veteribus documentis Virginem Ipsam ut Patronam totius Hiberniae singulari cultu invocatam iam apud nos fuisse pateat, et nos ipsi Eam ut Patronam nostram sub titulo Immaculatae Conceptionis in posterum colere statuerimus.

Quare, Beatissime Pater, inter prima huius nostri Concilii gesta statuimus supplicem hunc Tibi libellum exhibere enixe rogantes ut omni controversiae de Immaculata Beatae Virginis Conceptione, solemni iudicio edito, finem imponeres.

Eo autem confidentius hunc supplicem libellum exhibemus quod doctrina de qua agitur, quaeque in mentem nostri populi alte est infixa, sacrarum Literarum sensui, et Catholicae Traditioni apprime conformis existit. Quis autem ea omnia quae in Ecclesiae monumentis de SSma Dei Genitrice egregie habentur memorare posset? Maria quippe a crudelis Infernalis Hostis dominatu semper immunis, de tenebrarum potestatibus semper victrix teterrimum antiqui serpentis caput, Virgineo suo pede semper conterens, Maria ab omni vel minima peccati originalis labe semper Immaculata, ab ore, non dicimus imperiti vulgi, sed doctissimorum virorum, praeclarissimorum Antistitum, Scholarum et Academiarum quae omni scientia et eruditione florebant, unanimi consensu praedicatur et colitur. Et haec omnia non privatis commentariis aut sermonibus circumscripta continentur, sed ut in publicis Ecclesiae supplicationibus atque in ipsa etiam Divina Liturgia, in quibus lex orandi pro lege credendi iure meritoque habetur, solemni quadam ratione celebrantur, ipsa non modo annuente sed et duce illa, quae est ceterarum Ecclesiarum Mater et Caput, Sacrosancta Romana Ecclesia.

Haec cum ita sint, Beatitudinem Tuam enixe rogamus, quod et separatim iam cum aliis fere omnibus totius Ecclesiae Catholicae Antistitibus praestitimus, ut ex Suprema Cathedra Principis Apostolorum, cuius fidei et potestatis haeres existis, dogmatico et infallibili decreto Beatam Virginem Dei Genitricem absque ulla peccati originalis labe fuisse conceptam definias. Quae quidem defini-

tio Ecclesiam Christi tam regnantem in coelis, quam in terris militantem gaudio et laetitia replebit, et universum Christi gregem novo et opportuno augebit subsidio. Ad hoc praeclarum Christianorum auxilium et afflictorum perfugium certe nos in miseriis et calamitatibus, quibus obruimur, oculos convertimus, atque ab ea levamen in rebus angustis magna cum fiducia speramus.

Exurget utique haec misericordiae Mater, cum eius decus cordi nobis esse intellexerit, et dexteram suae virtutis extendens inter dirissimas procellas et tempestates quibus iactamur in portum salutis nos ducet: exurget et omnes haereses, quae in fidei nostrae detrimentum impune et audacter grassantur, poenitus interimet.

Dum vero haec quae ad Beatissimae Virginis Immaculatam Conceptionem spectant Sanctitati Tuae exponimus, hanc nacti occasionem suppliciter petimus, ut facultatem omnibus concedas qua apud nos non tantum Praefationi B. Mariae Virginis vox *Immaculata* et Litaniis Lauretanis in fine verba « Regina sine labe originali concepta » addantur, verum etiam ut Missa et officium quae nuper Romae edita sunt non solum in die festo et inter octavam festi Conceptionis, sed etiam omnibus sabbatis per annum in quibus iam antiqua Missa et officia permittebantur, introduci et adhiberi possint.

Tandem eandem Dei Matrem atque clementissimam Virginem ex animo precamur, ut Sanctitatem Tuam ad regimen Ecclesiae et christianae fidei per totum orbem profectum diu sospitem conservet, atque Apostolicam Benedictionem nobis et commissis nobis gregibus exorantes subscribimur

Sanctitatis Vestrae,

Obsequentissimi et Devotissimi Filii

PAULUS *Archiep. Armacanus.*
DANIEL *Archiep. Dublin.*
MICHAEL *Archiep. Casseliensis.*
IOANNES *Archiep. Tuamen.*
PATRITIUS *Ep. Raphoensis.*
GUILLELMUS *Ep. Ardacadensis.*

IOANNES *Ep. Midensis.*
EDUARDUS *Ep. Ossorien.*
FRANCISCUS *Ep. Kildarien.*
NICOLAUS *Ep. Waterfordiensis et Lismorensis.*
CORNELIUS *Ep. Dunensis et Connoriensis.*
IOANNES *Ep. Confleretensis.*
CAROLUS *Ep. Clogherensis.*
IACOBUS *Ep. Kilmorensis.*
MILESIUS *Ep. Fernensis.*
GEORGIUS *Ep. Elphinensis.*
IOANNES *Ep. Limerricensis.*
THOMAS *Ep. Alladensis.*
GUILLELMUS *Ep. Corcagiensis.*
FRANCISCUS KELLY *Ep. Titopolitanus*
Admin. Ecclesiae Derriensis.
TIMOTHEUS MURPHY *Ep. Clovnensis et Rossensis.*
IOANNES L. M. GURNY *Procur. Kerr. Ep.*
IOANNES MACHRILY *Procur. Duacensis et Fernensis Ep.*
F. BRUNO FITZ PATRICH *Abb. Cisterciensis*
Monasterii B. M. de Melleario.
BERNARDUS DUCEAN *Procur. Acradensis Ep.*

CDXL.

DEL VESCOVO

DI CUSCO *NEL PERÙ*

Beatissime Pater

Desiderio desiderans Beatitudo Vestra, Sacratissimam Virginem Mariam ad magnificum gloriae, quam promeretur apicem exaltare, inter singularia privilegia, quae illam usque ad solium Deitatis erigunt, eius a peccato originali praeservationem solemni iudicio decernendo; ad Episcopos in toto orbe Christiano dispertitos, actuali cum Sancta Sede communione, suis in Ecclesiis commorantibus, Apostolicas Vestras Litteras, Caietae die 2 Februarii anno 1849. scriptas, dare dignati estis, per quas egregiam nostram pietatem, atque Episcopalem sollicitudinem magnopere excitavistis; et postquam nobis inculcavistis, ut pro nostro arbitrio, atque prudentia in propria nostra Dioecesi publicas preces indicendas, ac peragendas curemus, optatis ut vobis significare velimus, qua devotione noster Clerus, populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur, atque in primis noscere vel maxime cupitis, quid nos ipsi de re ipsa sentiamus, quidve exoptemus.

Priusquam, igitur, iuxta Beatitudinis Vestrae desiderium, iudicium meum adhibeam; operae pretium est omittere, rigidum illud Conceptionis Virginis Immaculatae examen, a Doctoribus, et Theologis Scholasticis, speciatim a quatordecimo saeculo, tanto conatu fultum, ut etiam quando Concilium Tridentinum declaravit, non esse suae intentionis, comprehendere in decreto ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Xisti

Papae IV sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovavit; adhuc in suis sollicitis disputationibus prosecuti fuere, usque ad Constitutionem *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* ab Alexandro Papa VII anno 1661, qua animi Scholasticorum conciliati, pia opinio coepit plausu clarescere omnium, et progredi, ita ut communem hodie meretur assensum, et Universae Ecclesiae fidem.

Non asseram, festum Conceptionis Virginis Immaculatae in Apostolorum saeculo incoepisse, ut quidam volunt. Nec cum aliis firmabo praedictum festum in VI et VII saeculis iam in aliquibus Ecclesiis particularibus celebrari. Nec moratus ero mentionem facere de Xisto Papa IV, qui duas concessit Constitutiones pro mysterio: in prima, quae incipit, *Cum praexcelsa*, anno 1476 edita, in qua easdem ad festum Conceptionis concessit Indulgentias, quas Urbanus Papa IV ad solemnitatem Corporis Christi, eiusque Missam, atque officium approbavit: in secunda, quae incipit, *Grave nimis*, anno 1483 edita, in qua commendavit cultum, quem fideles exhibebant Immaculatae Conceptioni. Hic commendatus cultus in toto Catholico Orbe progressus est a Constitutione Clementis Papae XI an. 1708 edita, in qua festum Conceptionis in Universam Ecclesiam ampliavit, per sequentia verba *Ut festum Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae de praecepto ubique in posterum observetur*. Itaque, ergo, communis est hodie inter Theologos, quod quamvis mysterium Praeservationis non sit formaliter definitum; est tamen proxime definibile; ac proinde possit iam summus Pontifex absque ulterioribus aliis sedulitatibus, praeter illas, quae usque huc ab Ecclesia factae sunt, illud definire, si sibi placeret.

Attamen maxime breviter dicam de fundamentis Praeservationis, hodie Universae Ecclesiae fidem facientis, quod consideratione dignius sit. Et primo quidem cum Scripturis verba faciam. Scriptura Sacra nullibi Sanctissimae Virginis Mariae Praeservationi contraria invenitur. Speciatim nunquam nobis dicit non fuisse praeservatam. Generatim certum est, quod habemus hoc universale: *Omnes in Adam peccaverunt*. Sed non cernimus in Sanctissima Virgine Maria, (ait quidam vir sapiens) relaxationem propemodo generalem

omnium legum? In illa cernimus partum absque dolore; carnem sine fragilitate; vitam sine macula; mortem absque poena. Sponsus eius nihil aliud est, quam custos suae virginitatis: matrimonium suum, flammeum sacrum, quod obtegit, et protegit suam integritatem: Filius suus, flos quem sua puritas progerminat. Tandem natura stupefacta, atque confusa credit leges suas in Dei Genitrice Maria omnino eversas fuisse. Cur ergo illi non dispensaretur in ea, ut in peccato non conciperetur?

Haec ratiocinatio novum roborem capit a Concilio Tridentino, quod in generali extensione sui de peccato originali Decreti, noluit Sanctissimam Virginem Mariam comprehendere. Et quis dicere poterit hanc non esse authenticam sanctionem, qua declaratur, necessitatem non esse, ut Beatissima Virgo Maria in lege illa generali includatur? Non videtur Spiritum Sanctum, qui illis in Patribus loquebatur, dissipavisse praeoccupationem sapientum propter indefinitas phrases, vel locutiones Scripturae Sacrae? Non illi igitur adiudicabitur proprie quod dictum est de Esther, quae Dominam nostram praefigurabat: *Non pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est?*

Sed multopere suadetur argumento positivo. Locus ille *Gen. cap. III. vers. 15, Inimicitias ponam inter te, et mulierem . . . ipsa conteret caput tuum*, intelligitur de Virgine Maria, quae perpetuam habuit discordiam cum Daemone, usque ad conterendum caput suum, id est, funestam suam potestatem. Et hoc, quid sonat, nisi quod nunquam illi subiecta fuit? Quae significatur in Canticis, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias . . . et tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*, nisi integra et absoluta Dominae puritas? Constans est, praedicta verba ad litteram intelligi de Ecclesia: sed constans etiam est, Mariam post Iesum Christum, esse partem principalem Ecclesiae, et non est impedimentum ut intelligantur praecipue ad litteram de principali suo membro, quod de toto corpore dicitur. Hinc est, quod eadem Ecclesia ponit haec egregia verba in officiis Sanctissimae Virginis.

Multum est, quod afferter sumptum a Patribus pro praeservatione. Multitudo fere immensa Patrum citatur pro mysterio a Ferdi-

nando Chirino de Salazare. Etiam citantur, post Chirinum, a Petro de Alba in sua *Militia*, a Mercedario Saavedra in sua *Deipara Sacra* et ab aliis laboriosis Theologis. At sapientissimus Dionisius Petavius, forsan ut nullus Theologorum in Patribus versatus, et mysterii praeservationis devotissimus, ait, quod praedictae collectiones carent sagacitate critica, aliquando bona fide in suis citationibus, et frequenter ingenuitate in eorum interpretatione. Haec de Sanctissima Virgine locutiones *Immaculata, Incontaminata, ab omni peccato libera etc.*, non sufficiunt in Patribus ut illos faciamus mysterii fautores. Siquidem in iis ipsis qui dicunt Sanctissimam Virginem maculam habuisse originalem, similes inveniuntur locutiones. *Nam et immaculati et innocentes* (ait Petavius) *appellantur in Scriptura qui praesente iustitia, et sanctitate praediti sunt, cum ab originis vitio non fuerunt exempti.* Affert exemplum Davidis, qui cum confessus fuerit *in iniquitatibus conceptus*, ait tamen, *ero immaculatus cum eo*; et exemplum Virginum, quae dicuntur *sine macula ante Thronum Dei*, quamvis omnes antea fuissent peccato originali coinquinatae. Nihilosecius videamus Hipponensem Episcopum, qui valde nos adiuvabit.

Sanctus Augustinus libro de *Natura et Gratia* cap. 36 ait: *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem: inde enim scimus*, (*unde enim scimus* legitur in editione Monachorum sancti Mauri), *quod si plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Ex quibus verbis sequentes inferuntur reflexiones.

Prima. Sanctus Doctor ait, quod quando de peccatis agitur nullam vult habere quaestionem circa Sanctam Virginem Mariam; absque dubio, quia omne peccatum est illi alienum. Secunda. Ibidem affirmat sanctus Doctor, quod Virgo Maria habuit gratiam ad vincendum omni ex parte peccatum; ergo etiam habuit gratiam ad vincendum originale peccatum; nam si non habuisset gratiam ad vincendum peccatum originale, non vinceret peccatum omni ex parte. Tertia.

Si Virgini Mariae concessa fuit gratia ad vincendum omne peccatum personale, quia fuit Mater illius, qui nunquam peccatum personale habuit; consequens ad doctrinam sancti Doctoris est, quod concessa illi fuit etiam gratia ad vincendum originale; nam fuit Mater illius, qui nunquam habuit peccatum originale. Quarta. Si sanctus Doctor ait, quod quando de peccatis agitur, non vult quaestionem habere erga Virginem Mariam, ad sic maiorem servandum honorem Christi Filii eius, et propter hoc aiunt, Immaculatam Virginem nunquam habuisse peccatum personale, quamvis inter personalia multa sint tantum venialia; quanta ratione ad maiorem servandum honorem eiusdem Christi Filii sui, erit necessarium, quod sanctus Augustinus loquens de Matre, nolit illam includere in quaestione de peccato originali, quod est, sine dubio, maius omni peccato veniali personali; privat enim gratia, qua non privat veniale?

Ipsemet sanctus Augustinus libro 5 *contra Iulianum* numero 57, loquens de Christo ait: *Profecto etiam peccatum maius fecisset, si parvum habuisset: nam propterea nullus est hominem praeter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non habuisset infantilis aetatis exortu.* En, (infert sanctus Augustinus) Christum non habuisse peccatum personale, quia non habuit originale; si igitur, nec Mater eius habuit peccatum personale, ut omnes fatemur, etiam est, quia illam non tetigit peccatum originale: quia axioma sancti Augustini est, quod ad contagium peccati originalis, necessario sequitur contagium venialis.

Quamvis sanctus Thomas praeservationi videatur adversari, nihilominus possunt aliqua consequentia ex eius doctrina inferri pro mysterio. Siquidem articulo 4° quaest. 27 probat, Sanctissimam Virginem Mariam nunquam peccavisse, nec venialiter ex sequentibus rationibus. Prima. Quia si Beatissima Virgo peccavisset, non esset idonea Mater Dei, nam dedecus usque ad Filium resiliret. Secunda. Quia specialem habuit affinitatem, vel consanguinitatem cum Christo, qui ex Virgine Maria carnem et sanguinem assumpsit.

Tertia. Quia Filius Dei habitavit in ea corporaliter. Quarta. Quia in Canticis vocatur *Tota pulchra*, et additur, *et Macula non est in te.*

At: quis non videt, has rationes aeque probare suae Conceptionis sanctitatem? Non esset minus idonea Mater Dei, si nonnunquam ancilla fuit Daemonis? Non resaltaret aequaliter hoc dedecus usque ad Filium? Non dedignaretur hic Filius habere cum sua in origine immunda consanguinitatem? Esset omnino pulchra, et sine macula, si aliquando maculam habuit?

Articulo 1°. eiusdem quaestionis, ait: iuste, et rationabiliter esse credendum, quod illa, quae Unigenitum Patris genuit plenum gratiae et veritatis, accepit, magnisque cum praestantiis, omnia dona, quae alteri cuilibet sublimi creaturae largita fuere. Ex hac doctrina inferebat, quod fuit sanctificata antequam nasceretur; nam sic Ieremias, et Baptista sanctificati fuerunt; et credibile non est, quod Deus famulis et clientibus concessisset privilegium, quod suae Reginae denegasset. Ad rem: certum est, quod Angeli in gratia creati fuerunt; sic saltem affirmatur a maiori parte Theologorum, quibus suffragantur sanctus Augustinus, sanctus Hieronymus, sanctus Gregorius; ac de Patribus Graecis sanctus Basilius, et sanctus Ioannes Damascenus. Secundum sancti Thomae doctrinam, facit consequentiam, quod, hoc privilegium nobilibus his Spiritibus concessum, necessario concedatur Virgini Mariae; quia credibile non est sanctificationem clientibus concessam Reginae parce largiri. Si, ergo, certissimum est, quod Beatissima Virgo Maria, ex suffragio Ecclesiae, etiam Angelorum Regina est; sine ulla dubitatione, idem habuit privilegium, quod omnes Angeli, in eodem suae creationis instanti, ut egregie et laudabiliter docet Simmonet.

Iuxta Croisset observationem, a Sixto Papa IV. usque ad aetatem nostram omnes Summi Pontifices, exceptis duobus, vel tribus, quorum brevissimus Pontificatus, nihil illis facere permisit, aliquod expediverunt Diploma pro Virginis Mariae Conceptione. Et quantam non videtur facere vim, ut in quadrigentis plus annis, omnes Supremi Hierarchae Ecclesiae, qui in praedicto temporis spatio, quinquaginta fere numerantur, propensi se ostenderint in hoc myste-

rium? Et vere non est potissima, atque laudabilissima haec in gratiam Praeservationis conspiratio?

Theophilus Raynaudus unum confingit quasi Concilium Oecumenicum pro Conceptione, ex Pontifibus, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Theologis omnium Nationum, quae sub Coelo iacent, Universitatibus, et Religionibus compositum; quibus actualiter adiungitur venerabilis Dominicana Religio, prout in Vestris Apostolicis Litteris nobis indicare dignati estis.

Ex omnibus supra-dictis colligitur, ait Petrus de Alba in suo *Nodo indissolubili*, quod Auctores, qui pro Praeservatione scripserunt, usque ad sex millia narrantur; et usque adhuc, possumus dicere, omnino esse innumerabiles. Cardinalis Pallavicinus *Historia Concilii Tridentini* Libro 7. cap. 7. ait, quod tanta est pro sententia Praeservationis librorum copia, ut sufficeret ad magnam efficiendam Bibliothecam. In monumentis Frevoux mensis Iunii anni 1703, refertur Ephemeris italica Benedictini Montfaucon, in eaque leguntur sequentia « In Civitate Ticinensis Mediolanensis Bibliotheca Equitis « Beloreddi maxime erat numerosa; et nihilosecius non concinna« batur, nisi de libris, qui Virginis Conceptionem obumbrant abs« que peccato originali. »

Nolo hic omittere hoc breve sed formosum Theologi Suarez ratiocinium Tom. 2 in 3 p. *disputat.* 3 sect. 5. Talis est, ait, benevolentia nostra, talisque amor noster erga Sanctissimam Virginem Mariam, ut si in manu nostra fuisset eam praeservare, proculdubio, illam praeservavissemus: amor quo Deus illam amat, est multo maior amore nostro: quandoquidem ergo potuit illam praeservare, absdubio praeservavit eam. Etiam alio modo discurrit. Amor noster, inquit, nos faceret, ut si possemus, praeservaremus Dominam: praeservemus igitur illam in iudicio nostro, si id possumus facere, quando nihil est tam praepotens, ut nos deflectat ab hoc honorifico iudicio.

Constans ergo est, quod sententia, quae initio videbatur sapientum scandalum; hodie ad eorum venerationem transivit. Ecclesia

universa, magno cum gaudio, credit, defendit, et celebrat mysterium. Si cultus Praeservationis esset falsus; si terminaretur ad obiectum, quod existentiam non haberet nisi in aestuosis tempestatibus pietatis delirantis; haud diceremus universalem Ecclesiam Beatissimae Virgini Mariae, sub hoc mysterio cultum superstitiosum praebere?

Post omnem ratiocinationem, usque hic, explicatam; forte dicetur: Videtur non esse levem scrupulum, suspendere assensum ad mysterium, quod, pro se, non habet divinum aliquod testimonium, quod aperte et formaliter illud in Scripturis roboret; ad mysterium quod Ecclesia suis in primis decem saeculis ignoravit; ad mysterium, quod perspicuam commendationem non habet in Traditione nobis rectam doctrinam tradenti commissa; ad mysterium, denique, quod Patres non attrectavere, quodque potentes habuit oppositores in Divo Doctore Bernardo, qui sua in aetate Ecclesiae fuit oraculum, et in Sancto Thoma Aquinate, cuius tantum iudicium videbatur retinere aliquoties decisiones, quae inchoabantur. Ecce quod in existimatione mea aliquam simulat difficultatem. Sed audiamus eruditum Petavium, qui subtiliter illam evanescit.

Enimvero in suis Theologicis Dogmatibus lib. 44 *de Incarnatione* cap. 2. docet, posse dici, quod datur, vel est quaedam species revelationis pro Praeservatione Sanctissimae Virginis a peccato originali. Haec revelatio consistit in communi iudicio omnium fidelium, qui secundum vires suas, et facultates, vel ingenia, una voce fatentur, quod non datur res magis pura, magis casta, magis innocens, magisque maculae aliena, quam Beatissima Virgo Maria. Nos admonet cum Divo Paulino, quod omnes pendere debemus ex ore omnium fidelium; quia Spiritus Domini eis divinitus lumen affulget; quando efficit, quod omnes idem iudicium habeant circa aliquam rem. Eruditus, et pius Episcopus de Rochester Ioannes Phischer ait, quod maioris ponderis est hoc commune Catholicorum suffragium, non ex iussu, nec coactione proveniens, sed ex voluntaria, atque spontanea productione. Sanctus Augustinus lib. *de Praedestinatione Sanctorum* cap 3 et 4 docet similiter, quod Deus arcana sua

revelat, non solum ab extraordinariis mediis, sed etiam quando sibi placet, quod antea cognitum non erat, patefacere, in gratiam eorum qui Deum precantur; ianuasque suas pulsant, quodque, ut si in alia re occuparentur, ad solidae devotionis fervores dantur. Revelationem ergo vocat, Sanctus Doctor, obscurae rei manifestationem, quam Deus facit ex studiosorum hominum labore, et solertia commotus. Et haec est res, in qua sumus, (addit Petavius) circa Immaculatae Conceptionis mysterium. Manifestavit illud Deus populo suo; et inspiravit illi firmam, eamque stabilem persuasionem de hac originali puritate, quamvis adhuc non elevata ad eam sublimitatem, quae dogmatum fidei catholicae propria est.

Promoveamus hanc Petavii ratiocinationem. Cultus interior est illa firma, et stabilis persuasio, ac suavis propensio in obiectum quod colitur. Si ex mediis communibus obligationis communicatur, sua fides necessaria est. Si tantum inclinatio, vel propensio in obiectum, viam aperit ad interiorem persuasionem; quantum haec a praecepto libera est, tantum efficitur magis heroica. In communi fidei nostrae ordine, praecedit iudicium, quod vocant de credibilitate; sequitur pia propensio; et terminat firmus, et stabilis assensus. In particulari vero, id est, in mysterio Conceptionis, inversum video hunc ordinem, variatumque hoc systema. Nam in praedicto mysterio antecedit pia propensio; sequitur iudicium credibilitatis; et totum opus concludit firma, et stabilis persuasio. Illic mens movet voluntatem; hic voluntas menti imperat.

Simplices animae, in suae inflammatae devotionis extasibus, desideria concipiunt, ut Maria Virgo sit sancta, etiam in illo suae Conceptionis instanti, in quo nullus hominum desinit esse peccator. Imbecilles hi affectus transeunt timide ad alios spiritus suae classis: iam de communi concilio tractatur examinare, num mereatur credibilitatem, quod desideratur: apprehendit credibilitas insensibiliter multis in mentibus; et fere absque alio recursu, hae animae ingrediuntur in persuasionem interiorem.

Si divinae Providentiae consilium est, parvulis revelari, quando maioribus occultatur; est etiam in mentibus humanis effectus sui prae-

potentis dominii, efficere, ut sapientes adoptent, quod tantum manifestare humilibus degustavit. Et haec est manifestatio, quae a sancto Augustino vocatur quaedam revelationis species, qua Deus dignatur, quod antea ignorabatur detegere quibusdam famulis suis, quando preces suas ad Deum fundunt, suasque pulsant ianuas, et adhuc quando illam obtinere non cogitant *vel orantibus, ac pulsantibus, vel aliud agentibus.*

Et hoc est quod omnino demiramur in persuasione interiori erga originalem Virginis Mariae puritatem. Sine praecepto, quod compellat, absque lege, quae obliget, sine authentica decisione, sine definiente decreto, ingreditur Ecclesia in hoc mysterium; illud recipit suffragiis suorum illustriorum membrorum concordibus; et de ea consequitur pia propensio, quam solum inconcussa veritas adipiscitur.

Indecorum non est Ecclesiae maiestati, capere, in honorem Matris sui Sponsi doctrinam ex ore illorum eorundem filiorum, qui eam iuste pro oraculo suo habent. Sanctus Paulus organum erat animatum, per quod Deus consilia sua, suamque voluntatem fidelibus aperiebat; hi ex ore suo omnino pendebant: nihilominus, si hoc vas electum videbat suos inter Christianos propagatam aliquam doctrinam, quam ille ex labiis suis non diffudit, nihilominus credebat illam per divinam revelationem adipisci. Ita Philippensibus dicebat cap. 3. suae Epistolae ad eosdem: *et si quid aliter sapitis hoc quoque Deus vobis revelavit.*

Non longe ibimus de iuxta Ecclesiam idea, si eius methodum circa mysterium nostrum cogitaremus, similem illi, quam in Apostolo colimus. Non circumscribitur Deus ad glorias Matris Filii sui detegendas ad eas tantum doctrinae canales, quae Ecclesiam suam faecundant. Sicut in eius honorem non adstrictus fuit ad communes naturae leges, et adhuc mirabilibus incrementis gratiae leges amplificavit; ita etiam non vereor dicere, quod, ut cognosceremus gratias quas illi fecit, invertit partem ordinis, quo veritates suas fidelibus communicat. Sit semper Ecclesia Christianorum magistra: at non dedignetur audire aliquando Sanctissimae Virginis Mariae privilegia

per medium inspirationis particularis quorundam humilium. Dicat hic, quod illic Apostolis ait: *et si quid aliquid sapitis, hoc quoque Deus vobis revelavit.* Permutet sublime suum magisterium, cum eo, quod est simplicium animarum, quae promeruerunt praerogativis maioris, magisque humilis matris instrui.

Quum tantas, ac celebres video Universitates, quae absque ullo, qui eas obliget, sub solemni iureiurando protestantur puritatem Virginis Mariae originalem, doctrinam suam facere, quaeque in suorum sapientum inauguratione ab eis illud exigunt; quum tantas animadverto religiosas sodalitetes suorum institutorum muneribus, manus defensionis primitivae gratiae Beatissimae Virginis Mariae coagmentantes; quum cognosco multa narrari calamorum millia ad hoc originale decorum promovendum, cum certum est aequalem non esse sapientum conspirationem in favorem aliarum Virginis Mariae excellentiarum; quum observo, Sanctos Ecclesiae Praesules suae auctoritatis custodes, suaeque gubernationis arbitros, non existimare oves suis in caulis tutas sine invocatione Mariae absque originali peccato conceptae; quum agnosco ipsosmet Imperatores, Reges, ac Principes, qui Universum suis legibus subiiciunt, iucunde Dominae protectioni sub hoc mysterio subdi; eosque Dominae, quatenus in gratia conceptae, armorum suorum felicitatem, suorumque Imperiorum prosperitatem fidere; quum denique recogito in hoc totum, recordor illam exclamationem sacre, ac religiose audacem, qua Richardus Victorinus suo libro 1. *de Trinitate* cap. 2. licet in materia superiori quam haec, quam tractamus, biebat, quod ego nunc, cum debita proportione: *Domine, si error est, a te decepti sumus; iis enim signis doctrina haec confirmata est, quae nisi a te fieri non possunt.*

Cultus, igitur, Sanctissimae Virginis Mariae suarumque perfectionum cognitio, quotidie nova incrementa recipiunt, dicebat celeber Ioannis Gerson in Sermone de hoc mysterio; et addebat, necessarium esse confiteri, quod Ecclesia in antiquitate multa ignoravit Dominae praeconia, quae post, novo cum lumine amplectitur, ac colit. Voluit Christus, ait Richardus de Sancto Laurentio libro 4. de

laudibus Virginis, quod Sacrae Scripturae de Matre sua loquerentur tantum sub aenigmatibus, et figuris; easque explicare posterioribus saeculis reservavit.

Ea aenigmata, quibus Scripturae Sacrae abundant scilicet, Granata, Palma, Oliva, Rosa, Lilio, Vite, Flore sine aliis fructibus quam honor, et puritas, virgula fumi ex aromatibus myrrae, et thuris, fonte ex mare salso emanante, semper tamen dulci, throno ubi Rex tantum sedet, aliisque multis . . . . ; sunt, ut omnes noscunt, symbola puritatis Mariae hodie manifestata, virtute revelationis iam explicata in gratiam suae puritatis originalis. Priora saecula dicata fuere ad Christianae Religionis fundationem: quando autem eius veritates per totum orbem resonabant; investigatio praerogativarum Matris incoepit. Ideo in primis Ecclesiae Magistris aperte non invenitur haec doctrina, quae de aliis ad alios communicata, filum, vel iudicium perpetuae traditionis fingeret. Haec methodus, vel processio Ecclesiae cum Sanctissima Virgine, assimilatur ei quam cum eadem Domina habuit Christus. Sanctus Augustinus tractatu 2 in Ioannem ait, quod hic Dominus, quando in Cana Galileae dixit Matri suae, *quid mihi et tibi est mulier, nondum venit hora mea;* distulit suum amorem in Dominae gratiam explicare, in eam horam, in qua cum Spiritum suum Deo Patri commendavit, dilecto discipulo commendavit et Matrem. Tunc consummato iam Redemptionis opere incaepit palam suae Matris glorias curare. Sic ostendebat potestatem operandi miracula illi non venire de Matre, cuius solum habebat naturam, quam tunc in Cruce ad contumelias se exponebat.

Sic statuta hac, (ut possumus dicere) generali et publica revevelatione; iam non detinebimur in privatis revelationibus, quae citantur pro mysterio, et contra mysterium. Pro mysterio afferuntur, quae factae fuerunt Sanctis Gertrudi, Birgittae, Matildae, Elisabethae de Hungaria, Franciscae Romanae, et Oringae, Christianae. Contra mysterium, Caietanus aliam opponit Sanctae Catharinae Senensi factam, cuius auctoritatem (ait) esse superiorem, tantum propter huius Sanctae illustris qualitatem, quantum propter Sanctum Antoninum Archiepiscopum Florentinum, qui praedictam revelationem

tanquam certam refert. At, circa revelationum, et exstasum materiam, est maxime ad rem, egregia eruditi Danielis Papebrochii doctrina, qui in sua Appendice ad vitam Sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis, ait, quod nihil deduci potest ex revelationibus circa res controversas; quia Sanctorum, Sanctarumve extases includere possunt, non solum incertitudinem, sed etiam errorem, secundum naturales species, quas ante suam extasim habebant. Ecce aliqua exempla.

Beata Columba Reatina visionem habuit, in qua vidit Sanctum Hieronymum cum Leone suo, et hic Leo mansit tota nocte illam comitans. Quis propter hoc dicet, Sanctum Hieronymum semper in societate Leonis vixisse, nec hunc Leonem esse symbolum, vel analogiam significantem, quod Sanctus Doctor, tanquam Leo contra errores fremuit? Revelatum fuit (ut aiunt) Beatae Baptistae Veranae, Beatae Ierardescae, et Beatae Clarae de Montefalco, quod Christus Dominus fuit Cruci affixus tribus tantum clavis. Nihilominus, tanquam magnopere probabile receptum est, Christum quatuor clavis Cruci affixum fuisse: et citatur alia revelatio Sanctae Birgittae, in qua asseveratur, Christum Cruci quatuor clavis esse affixum. Dicitur, Sanctam Annam Matrem Virginis Mariae, Beatae Colletae apparuisse, secum afferentem filias, quas de altero marito, a Sancto Ioachimo distincto habuit. Dicitur, quod Sanctus Iacobus Apostolus, alteri apparuit, habitu peregrini indutus: quod Sancta Maria Magdalena de Pazzis ad Verbum divinum orabat, illique dicebat, quod Carmelitarum Regula erat antiquior Incarnatione: quod Sancta Theresia asseverabat, hanc Regulam originem ducere a Prophetis: denique, ad nostram rem, quod Sancta Catharina Senensis ad Virginem orabat, tanquam in peccato originali conceptam. Totum hoc, nihil aliud erat, (continuat Papebrochius), quam concipere quod (praedictae Sanctae) secundum anteriores praeoccupationes suas, et prout illud quod suimet Directores eas docebant, aliquae, secundum proprium suum sensum allucinabantur. Verumtamen quare Deus illas ex suis erroribus non educebat? Quia nihil conducebat, (respondet Papebrochius), ad spiritualem illarum animarum

utilitatem. Abbas Fleury libro 70 suae *Historiae Ecclesiasticae*, n. 18 hanc Papebrochii doctrinam approbat, et Summus Pontifex Benedictus XIV, nihil desiderare desinit in posthumis libri 3 *de Canonizatione Sanctorum capitulis*. Denique eruditus Gerson in suo *Tractatu de probatione spirituum*, ait, quod privatae revelationes, propter caussas varias, possunt esse fallaces, adhuc cum attenderemus tantum qualitatem personae eas habentis, ut si est valetudinaria, merore affecta, mirifice abstinens, maxime vigiliis dedita; si malum, et imperfectum habet cerebrum, vel imaginationem perturbatam. Considerare etiam debemus aetatem, et sexum. Quando aetas est decrepita, est delirii periculum: si aetas est puerilis, est periculum celeritatis, et fallaciae. Mulieres tanquam debiles, et imbecilles, vehementibus passionibus abundant; et, ut ait Episcopus Ludovicus Abelly, est sana, eximiaque quorundam observatio, quod in Scriptura Sacra paucae inveniuntur mulieres dono prophetiae praeditae.

Superest argumentum, quod visum est movere Sanctum Thomam ad Praeservationem negandam, potens, revera, retraxisse enim videtur Sanctum Doctorem ex felicitate Dominae hanc praerogativam concedendi, quando, alia ex parte tantum se in suis laudibus conatur. Si Christus est Redemptor omnium, fuit etiam eius Matris; et quidem haec Domina, hanc Redemptionem recognovit, quando canebat; *Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo*. At, de quo eam redemit, si peccatum originale non habuit? Nec quomodo dicetur redempta, si nunquam captiva fuit? Hoc est, quod Sanctus Augustinus affirmat in sua Epistola 157 novae editionis: *Nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus.*

Hodie post Scotum, solidissime respondetur ad hoc argumentum. Duplex est Redemptio; una, scilicet, captivitatis, in quam aliquis incidit; et alia captivitatis, in quam esset necessarium incidere, si alter manum non daret ad lapsum vitandum. Prima dicitur *Reparativa*, quia reparat, et remedium adhibet ad damnum iam factum. Secunda, vero, appellatur *Praeservativa*, quia antea vitat damnum. Maria ergo non reparative redempta fuit, quia nunquam incidit in damnum culpae, nec illud experta fuit: sed praeservative, quia

manus Domini illam sustinuit, ut nunquam incideret. Sanctus Augustinus ait, quod non appellatur redemptus, quia antea non fuit captivus, vel ad minimum non debuit esse captivus; et in hoc sensu Sanctissima Virgo captiva fuit; non in facto, sed in debito: id est; quod quamvis nunquam incidit, debuit incidere, et manere captiva, virtute filiae Adami, si Deus antea illam non sustinuisset.

Nec aliena est a Sancto Augustino haec doctrina; exponens, igitur, hunc locum Psalmi 85, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, ait: « Nescio quis mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit « eum; gratias agens, quid dicit? Eruisti animam de carcere. Su- « spendendus erat debitor; solutum est pro eo: liberatus dicitur de « suspendio. In his omnibus non erant; sed quia talibus meritis « agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent, inde se recte dicunt « liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci. » Ecce, iuxta sanctum Doctorem redempti hi, praeservative, a carcere, et de suspendio.

Est etiam sancti Bernardi doctrina. Sermone 22 in Cantica numero 8 huiusmodi loquitur: « Qui erexit hominem lapsum, dedit « stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut « hunc a captivitate defendens. Et hac ratione fuit aeque utrique « redemptio, solvens illum, et servans istum. » En redemptio praeservativa in Angelis recognita.

Ipsemet Angelicus Doctor docuit esse redemptionem proprie talem, et nihilominus, solum esse praeservativam; nam in *3 Sent. Dist. 19 art. 2.* sic interrogat: « An per passionem Chisti a poena « aeterna liberati simus? Et respondet affirmative. Quia Christus « praetium solvit suae satisfactionis, ut a poena, et a peccato libe- « remur. » Haec est redemptio praeservativa; quia ex inferno nullus est redemptus, postquam in eum incidit.

Egregie ait Scotus, quod Christus non esset Redemptor perfectus, si aliquem non redemisset praeservative; quodque haec est maior, atque nobilior redemptio. Quapropter in *3. Sent. Dist. 3. q. 1.* defendit, quod Maria Virgo indiguit redemptione magis copiosa, quam totum mundi residuum; quia tanto maior est redemptio,

quanto maius est bonum, quod confertur. Et quis ambigit innocentiam semper constantem, esse maius bonum, quam sit innocentia, post suam amissionem, restaurata?

Non satisfit Caietano cum praedicta Scoti ratione, et hoc modo arguit. Ea redemptio praeservativa consistit in eo, quod Deus purificavit carnem Virginis ante animae infusionem, ut, cum haec coniungeretur, vas iam inveniret mundum, et non contaminaretur. Si hoc ita est, iam redempta non fuit Maria in sua persona; quia ea caro sic purificata, ante unionem cum anima, non erat Mariae persona: ergo semper dicetur, quod Christus non redemit Matris suae personam; et remanet argumentum Sancti Thomae integrum. Hoc confirmatur sequenti exemplo. Sanctus Paulus natus fuit Civis Romanus; et quia natus fuit talis, non indiget privilegio Caesaris, ut talis sit; quamvis certum sit, quod aliquis ex suis maioribus indiguit illo privilegio Caesariano. Ita pariter Virgo Maria, ut conciperetur absque peccato, non indiguit gratia, nec privilegio, quamvis eius caro fuisset antea privilegiata.

Ad quod, sic respondetur. Quod redempta fuit persona Virginis Mariae: nam, ut explicat Suarez, Sanctissima Virgo in propria sua persona fuit ad culpam originalem obligata in ipso suae Conceptionis instanti, quamvis in praedicto instanti illam non contraxisset. Haec obligatio ad culpam, nihil aliud est, quam esse omnes causas dispositas, ad peccatum originale eo instanti influendum, ut vere illud influerent, si Deus illas non impediret. Nec repugnat, quod unus effectus procedat ex caussis, quae necessario illum efficerent; quod revera impediantur. Sanctus Thomas *1. 2. q. 81. art. 3* ait, quod ad incurrendam necessitatem moriendi, sufficit debitum, vel reatus mortem subeundi, quamvis aliquis possit gaudere praerogativa illam non experiendi. Dicente igitur Apostolo, quod peccatum, et mors aequaliter in omnes transcendunt, si obligatio moriendi sufficienter salvatur propter debitum solum illam subeundi, quamvis aliquis non moriatur; etiam vere salvatur necessitas infectionis peccati, propter debitum illud contrahendi, quamvis prae-

servatio faciat, ut actualiter non contrahatur. Idem Caietanus citat, et plaudit hanc doctrinam in suo opusculo *de Conceptione* cap. 3.

Alii respondent, necessarium non esse, quod Maria Virgo obiecta, vel exposita fuisset, in propria sua persona ad peccatum, sed tantum in radice; id est in patribus suis; vel in seminali materia, et formatione faetus in toto generationis tempore, usque ad animationem; ita ut in primo animationis momento non haberet periculum, quia tunc gratia illam praevenit, solumque illud habuit anteriori tempore. Haec est Ambrosii Catharini sententia; hoc sufficit, ait, ut Beatissima Virgo redempta fuisset; sicut domino unius arboris debentur eius fructus, antequam nascantur, et propter hoc potest ille eos vendere, vel redimere. Secundum hanc cogitationem, bene explicatur, quomodo potuit Beatissima Virgo esse ad peccatum exposita, et illud non contrahere; nam fuit exposita non in se, sed in sua radice, antequam existeret; at in se semper illa infectione caruit.

Theologi, qui defendunt Beatissimam Virginem fuisse liberam etiam a debito contrahendi peccatum originale, respondent aliis modis. Ego non progrediar ad exponendam hanc exemptionem debiti; est quidem sententia, quae Muratorius temerariam, et Patribus, ac Theologis antiquis contrariam; et adhuc in Caietani iudicio maiorem censuram habet: quia licet haec sententia immunitatis debiti, suo tempore non defendebatur, eius, siquidem, epoca figitur anno 1615; nihilominus videtur, Caietanum praevidisse, quod illa deveniret ad rem se cogitandi, seque defendendi, eamque designavit ut periculosam, atque etiam haereticam. Rigida est censura postquam tot Catholici hodie illam amplectentur. Necessarium est abstineri, vel illam opinionem, vel suam notam adoptandi.

Sanctu Bonaventura in *3 Dist. 3 q. 2 art. 1* videtur, adversus praeservationem huiusmodi cogitare. In signo anteriori ad infusionem animae in corpus, non potest haec anima esse sanctificata; quia primum est esse, quam sanctificari; primum ergo prioritate naturae, fuit anima infusa, quam sanctificata. Hinc sequitur, quod eo in signo primo infusionis, cum adhuc non habebat gratiam, quae

animam sanctificaret, illa contaminata fuit carnis contagione. At, quis eorum qui sciunt protritam philosophiam, (ad Theologiam Scolasticam necessariam, ut ait Antonius Arnoldus in suamet arte cogitandi), ignorat, quod signa naturae, non sunt instantes vere existentes, sed divisio mentalis quam efficimus unius solius instantis ad cognoscendam dependentiam non mutuam inter caussam et effectum? Non est momentum reapse existens, in quo sol sit absque luce. Etenim quamvis sol, ut causa lucis, debeat illam praecedere in signo naturae, non tamen illam praecedit aliquo temporis instanti. Sic accidit cum Virginis anima: in ipso instanti in quo infunditur, sanctificatur, quamvis mens nostra concipiat signum primum naturae, in quo animae infusio praecedat suam sanctificationem.

Quibusdam concludam observationibus. Prima, cum nihil terminans sit in Patribus pro praeservatione; ita nec est res terminans in contrarium. Profecto frequenter in illis legitur, quod nullus (exempto Christo) vitavit contagium Adae, et aliae huiusmodi locutiones; sed omnes praedictae locutiones servantur, dicendo, quod solus Christus, vi mirabilis suae generationis, quae non fuit per viam ordinariam, fuit semper exemptus, vel immunis ab omni macula; quodque caeteri omnes illam contraxerunt, vel in facto, vel in debito. In facto, ut omnes Adam filii non privilegiati: in debito, ut Sanctissima Virgo Maria, quae, si gratiam praeservationis non habuisset, idem contagium subiret, quam caeteri omnes; cum certum sit, quod Christus privilegio non indiguit; quia praedictam habebat immunitatem, ut inevitabilis consectarius suae incomparabilis Conceptionis. Unde oritur, quod sanctissima eius caro, obnoxia peccato non fuit, nec in se, nec in eius Matre, nec in suis maioribus, nam ex illis non descendit per communis generationis viam; nec illis contenta fuit, nisi secundum *corpulentam* substantiam, ut Sanctus Augustinus explicatur.

Secunda. Effectus peccati originalis sunt duplicis generis. Primum genus est eorum, qui vel culpam includunt, vel inclinant in illam, vel quoddam habent dedecus a culpa contractum. Secundum est eorum, qui sunt pure poenales absque aliquo dedecore. Beatissima

Virgo Maria primos non habuit peccati originalis effectus; itaque caruit culpa actuali, motibus inordinatis, etiam eis, quos Theologia vocat *primo primos*; nec corpus suum actuali corruptioni subiectum fuit; etenim de his effectibus, dicebat Sanctus Augustinus, quod necessariam habebat cum originali culpa connexionem. Habuit, vero, Domina nostra effectus secundi generis, qui dedecus non afferunt, sed solum aerumnam ad fidem conservandam, ad merita augenda, et ad illam filio suo Christo magis assimilandam, ut probe, et fuse exponit Sanctus Ioannes Damascenus in suis duobus Assumptionis Dominae nostrae sermonibus. Hi effectus non supponunt culpam, quae praecederet; nam sicut adhuc remisso in nobis peccato originali, hae aerumnae ad praedictos fines permanent; ita etiam, praeservata Domina nostra a culpa originali, necessarium non fuit, nec conveniens, ut illi effectus impedirentur.

Denique. Quamvis Divo Paulo post suas extases, et revelationes, datus fuit Angelus Satanae, qui eum colaphizet motibus eis sensualibus, de quibus, sub ea methaphora, vel figura, se conqueritur, fine eum humiliandi post eius exaltationem: ad Virginem Mariam non convenit infectio originalis ad finem eam humiliandi; quia ad hunc finem, magis aptum fuisset (ut magni Theologi observant), peccatum veniale, quatenus est magis voluntarium, quam originale, et nihilominus semper peccato veniale caruit. Ratio est, quia modus magis perfectus obtinendi, et exercendi humilitatem, est illam habere per lucem, et cognitionem perfectam, et non per alicuius mali experientiam. Per hanc viam humilitas Christi fuit perfectissima; et per eandem Mater eius perfectissime eum in ea imitata fuit.

Ecce paucis in verbis, quod de praeservationis fundamentis magis considerabile est. Illis videtur, dictum esse, quod in Patribus inveniri potest pro praeservatione: quod non; quoque satisfacere ad rationes suas contrarias: quod est legitimum: quod est spurium: quod eos obstrinxit ad aeconomiam, quam servaverunt. Dictum est in iis, quomodo absque Patribus potest mysterium subsistere: explicata est haec preservationis excellentia: graviores allati sunt Theolo-

gi, qui huiusmodi explicantur; et promotae sunt eorum doctrinae. Quid igitur superest dicere, nisi praeservationem Dei Genitricis iuste, atque merito esse hodie fidem universae Ecclesiae? At, si est universae Ecclesiae fides, non mereretur actuose, et alacriter suam formalem definitionem?

Huius mysterii fidem a Patribus meis accepi: una in me cum ratione mea irradiavit: crevit mecum; et nunc reverentis, et affectuosi mei cultus obiectum est. Ecclesia haec Cuzcana, cuius praesul, pro mera divinae Providentiae, Sedisque Apostolicae gratia, constitutus sum; fidem praeservationis simul cum catholica Fide accepit. Eodem illuminationis suae evangelicae anno habuit etiam praedictam suam fidem. Universus Clerus, et populus, qui meum constituunt gregem, pie credunt, Beatissimam Virginem Mariam praeservatam a contagione peccati originalis fuisse, in primo suae felicis Conceptionis instanti. Suae in praeservationis fide progressiones, praebent virtutis exempla; et magnopere notoria sunt testimonia suae flammatae devotionis ad hanc gratiam, vel singulare privilegium, quod Beatissima Virgo Maria meruit.

Die 8, et pro nunc, etiam 9 Decembris, quotannis in Ecclesia Cathedrali huius Dioecesis, congregantur Episcopus cum omni suo Clero, et superior politicus, pariter cum omnibus civibus suismet subalternis, ad celebrandum, Sacrificio admodum solemni, magnum praeservationis mysterium. Episcopus, Senatus ecclesiasticus, Superior politicus huius civitatis, Curia Iustitiae Superior, Universitas Antoniana etc. unum sui octavarii diem, solemnitate, ac magnificentia possibilibus annuatim celebrant.

In Pontificia Universitate Seminarii Sancti Antonii Abbatis huius Cuzquensis Dioecesis, qui in scientiis gradum Doctoris optant; cum in inauguratione fidei professionem faciunt, etiam praeservationem Beatissimae Virginis Mariae protestantur, sacramento se obstringendo, illam omni tempore defendere. D. D. Ignatius a Castro, qui Collegii Sancti Doctoris Bernardi Abbatis huius civitatis Rector fuit; duas scripsit Dissertationes in praeservationis gratiam, quarum prima in lucem edidit anno 1782; secunda, vero, anno 1784. Sacer-

dotes omnes, tum saeculares, tum Regulares, quoties verbum Dei fidelibus nuntiant, ad munus suum evangelicum exequendum non progrediuntur, quin salutationem statim faciant ad Beatissimam Virginem Mariam, absque peccato originali conceptam.

Quotannis die 7 Decembris, in honore Conceptionis Beatissimae Virginis Immaculatae, egreditur e Templo Sancti Francisci supplicantium agmen instructo ordine procedens, secum ferens imaginem Virginis Mariae sub mysterio suae praeservationis, in ferculo deargentato collocatam; et ad laudum carmina, quae Religiosi Franciscani eo omni praedictae solemnitatis tempore modulantur; cuncti fideles, qui ad eam confluunt, pie, ac ferventer, hispanico idiomate, sic respondent:

A Dios Uno y Trino
Que amante os *Preserva*
Santo, Santo, Santo
Gloria, Gloria sea.

Nunquam mei Dioecesani coronam Virginis piacularem, vel in Templis, vel in suis domibus precantur, quin Dei Genitricem salutent, dicentes: « Salve Virgo in gratia absque originali peccato concepta. » A mane usque ad vesperam, cum invicem se consalutarent, Immaculatae Virginis honorem tribuunt, eam salutantes cum formoso hoc versu, *Ave Maria Purissima*, cumque hac egregia responsione: *Sine peccato concepta*; et prima eorum cum filiis suis solertia, statim ac ii ratione gaudent, est illos diligenter docere formulam profitendi sacratissimam Virginem in gratia conceptam, absque macula peccati originalis in primo suae creationis instanti.

Si fides igitur praeservationis sacratissimae Virginis Mariae in universo Clero, omnique populo Ecclesiam meam constituentibus, tam coevangelica est, quam dominans; si actus, quo illam venerantur, est semper pius, fervens, atque rationabilis, ut roborant documenta hic a me enucleata: vota sua, suametque desideria mysterium videndi formaliter a Sancta Sede definitum, sunt adhuc ar-

dentiora. Adunantibus ergo praedictis suis ardentioribus desideriis, pariter cum meis, cumque Ecclesia universali; humiliter adprecor Vestram Beatitudinem, ut dignetur mysterium formaliter definire, illudve de fide divina declarare.

Sanctissime Pater, humiliter et reverenter osculatur pedes Vestros

EUGENIUS *Epsicopus Cuzquensis.*

CDXLI.

DELL' ARCIVESCOVO

DI SORRENTO

De admirabili Beatae Mariae semper Virginis Conceptione verba facturus operae pretium esse duxi, ut super iis, quae de hoc tanto mysterio ultro citroque in medium allata sunt discrimina, nec hilum quidem immorarer: hoc enim esset actum agere, tempus terere, et vel magistros ipsos, crambe repetita, fastidio afficere. Nulla igitur interposita mora, quid mihi de hac re cogitanti obversetur in animo, quodque meus Seraphicus Ordo ab ipsis incunabulis suis ut plenissime evinceretur, veluti pro aris et focis, decertavit; quibusque insuper argumentis praecipuis meam sententiam circumvallatam censeo, reseram quam libentissime; et Deiparam Virginem nullo unquam, nec indivisibili quidem temporis momento, originali macula labefactatam fatebor. Hoc et Veteris Testamenti depromtis verbis, et figuris, et Novi auctoritate, et Patrum testimonio, et rationis congruentia ita luculentissime demonstratum contendam, ut vel ipsa meridiana luce clarius sit, atque fulgentius.

1 La presente Scrittura, che non è una Lettera, è intitolata: *De Immaculata a primo instanti B. M. semper V. Conceptione,* Apologeticon. La riportiamo qui perchè fu indiritta al S. P. ed è sottoscritta dall' Arciv. stesso a maniera di lettera.

§ I.

Et re quidem vera, quid, quaeso, sibi velint verba illa Sapientiae, quae pientissima Mater Ecclesia, Spiritu Sancto afflante, Beatae Mariae laudibus accomodat: « Dominus possedit me ab initio viarum suarum ? » *Possedit* non aquisivit, *possedit* non redemit. Ergo nunquam aliqua labe foedatam dicendum. Quod si aquisitam possedisset, aut redemptam, non ab initio possedit viarum suarum, nec antequam quidquam faceret a principio.

Verum haud cuiquam scandali pericalum haec mea facessat opinio, quod Christus, qui fatente Apostolo pro omnibus mortuus est, et resurrexit, pro Matre tantum, quippe quae ab omni prorsus labe immunis, mortem non oppetiisset. Suo enim pretioso Sanguine Servator noster Sanctissimus non Matrem peccato coinquinatam recuperavit, sed eam a quavis peccati contagione non permisit iri foedatam. Gratia igitur Filii fuit et Mater servata, sed non ea quidem Gratia, quae a damno restaurat, sed quae a peccato praeservat. Hinc adidem occurrit Damascenus, quod « Natura . . . . tantisper expo« -otavit, donec Gratia fructum suum produxisset ».

Et quid sibi velint verba illa: « Ego ex ore Altissimi prodivi pri« mogenita ante omnem creaturam ? » Si ante omnem Creaturam, ergo ante peccatum, quod creatura praecessit. Quod si forte quaeras, quomodo ante omnem creaturam quae concepta est in tempore, illico cum Theologis permultis reponam, quod in archetypo concepta Maria erat quando appendebat fundamenta terrae, et legem ponebat aquis ne transirent limites suos : *erat* igitur cum Adam non esset ; eumdem praecesserat innocuum, quia *erat*: eumdem lapsum non est prosecuta, quia cum *Ipso* nempe Deo *erat*. Hinc factum quod in Conceptione tam magnae Virginis nihil aliud egerit natura, nisi gratiae parare materiam subiectumque, ex quo admirabili, et a saeculo inaudito artificio novam efformaret Creaturam; unde et illud: « Posuit Dominus novum super terram ».

Quid igitur ? Commentus ne fuit Apostolus ad Romanos, quod

« Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit . . . in « quo omnes peccaverunt » ? Si Maria a peccati lege immunis, ergo non omnes peccaverunt. A quo nodo, ut me paucis expediam, venit mihi ad rem Esther in mentem: diram mortis legem in captivum Israelem iusserat Rex Assuerus: sed quid occurrenti Esther, in qua Deiparam Virginem nemo est qui non videat adumbratam, affatus est ira demissior Rex ? « Non morieris: non enim pro te, sed pro « omnibus haec lex constituta est ». Ita a potiori, qua par erat, ratione mihi videtur sapientissimus Deus affari Mariam vel in primo suae Conceptionis instanti. « Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus ista lex constituta est ».

Gratia Servatoris nostri fons est aquae salientis in vitam aeternam, ut ait Ioannes; et de plenitudine eius, teste Apostolo, omnes accepimus: acceperunt igitur plenitudine eius Patriarchae, acceperunt Prophetae, acceperunt Sancti omnes. Fluminis vero impetus laetificat Civitatem Dei, nempe Mariam. Quo pacto tanto gratiae impetu laetificata, si vel etiam exiguo tempore fuerit peccati sordè contristata ? Quod si fortasse reponas laetificatam Mariam cum vix concepta in ventre Annae fuit sanctificata: quid tunc mirum, cum et huiusmodi privilegium habuerit cum quibusdam aliis praelectis commune ? Nonne et Ieremias in ventre sanctificatus, nonne ex hoc infans Baptista exultavit in utero ? Quomodo hoc pacto verum illud Canticorum effatum. « Una est columba mea » ? O beata igitur Civitas Maria, in qua sanctificavit Dominus Tabernaculum suum: cuius fundamenta in montibus sanctis, nempe supra verticem montium praexcelsae sanctitatis: cuius portas diligit Dominus supra omnia Tabernacula Iacob; ad cuius fores, Ezechiele vaticinante, non exuviae quaevis, sed Princeps ipse sedebit contra omnes veternosi hostis insidias formidolosus !

O Maria: Tu stella ex Iacob novo micans fulgore, cum omne lumen per coeli plagas fuit obtenebratum: Tu fons limpidissimus de paradisi montibus manans, dum quodvis flumen arescit solus irriguus: Tu lucerna Sanctuarii dum quaevis lux silet, nitidissimo radians lumine: Tu rosa semper florens in Ierico, dum omne exsicca-

tum est foenum et cecidit flos: Tu palma in Cades: Tu oliva speciosa in campis: Tu platanus iuxta aquam in plateis, electis fructibus semper abundans, quavis arbore frondibus floribusque carente. O Maria: ad quid tot imaginibus obumbrata esses et figuris, nisi fidenti animo et corde laetanti nobis datum non esset pro veritate canere de Te: « Tota pulchra es Maria, et macula originalis non est in Te? »

§. II.

Quod si Veteris Testamenti ad Novi Foederis paginas gradum faciamus, uberrima quidem, et invictissima de hac quaestione oboriuntur argumenta, quae si vel levi, ut aiunt, digito pertingamus, nemo est qui hanc veritatem ibit inficias.

Enimvero si omnem mentis aciem ad celebratissimam Gabrielis Archangeli salutationem intendamus, prono alveo fluit quod quaerimus. « Ave Maria gratia plena ». Quando plena? Plena forsan in tempore, quae aliquando vacua fuerat, vel prorsus inanis? Et nedum inanis, et vacua, verum etiam rimulis undequaque fatiscens, si aliquando fuisset originalis culpae viribus attrita. Ad rem perbelle occurrit melliflui Claravallensis Abbatis auctoritas, qui de Christo loquens sic est effatus: « Balsamum est purissimum; et solidissimum « vas requirit ». Solidissimum illud vas est quippe Maria; si solidissimum, ergo numquam culpa confractum; si solidissimum et balsamo illi purissimo continendo aptatum; ergo nullo vel levissimi criminis foetore licuit sordescere, quia et Ethnico vati innotuit quod « semel imbuta recens servavit odorem testa diu. »

Prosequamur insuper venerabundi Angelum salutantem; dum altissimum, et a saeculo inauditum aeterni Regis sacramentum reserat Virgini conturbatae, quo nullum passura virginitatis detrimentum efficiebatur Increatae Sapientiae Mater intacta hoc effatur eloquio: . . . « Invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies in utero « et paries filium . . . . hic erit magnus, et filius Altissimi vocabi« tur. » Cui ex hisce verbis non cernere licet, ideo Mariam concipere Altissimi Filium, quia gratiam apud Deum invenerit? At qualem

gratiam invenerit ut denuo inspiciamus suppetias iterum nobis esto Bernardus. « Ipsa est Virginis nostrae gloria, et excellens praeroga-« tiva Mariae quod filium unum, eumdemque cum Deo Patre me-« ruit habere communem, quam sane periisse constat si non filius in-« carnaretur. » Si Virginis singularis gloria quia Deipara; ergo singularis et gratia, qua meruit filium unum eumdemque cum Deo Patre habere communem, non ea quidem quae peccato mancipatam in libertatem revindicat, sicuti cum universo Protoparentis semine factum; sed quae singulari privilegio ab omni peccati labe reddit immunem.

Sed, ut propositam rem veluti acu pertingamus, ipsam de se vaticinantem audiamus Virginem. « Quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent om nes generationes ». Quid ? Virgo usque adhuc vere humillima, nunc autem humilitatis suae immemor de se tam loquitur confidenter, tamque iactanter, ut nunc nunc humilitatis fructum videatur penitus amissura. Ast omnis prorsus evanescit admiratio, si verbo *humilitatem* animum appellimus, et ex iis, quae antecedunt quaeque subsequuntur verba, genuinam illius vocabuli significationem excudere satagamus. In illo eucharistico, et prophetico hymno exclamat Beatissima Virgo: « Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in « Deo salutari meo ». Quare *magnificat*? quare exultavit ? Quia re-« spexit *humilitatem* nempe, uti permultis interpretibus placuit, vilitatem ancillae suae. Respexit ergo Dominus vilitatem ancillae suae; vilitatem scilicet in quam erat pro peccati lege coniicienda ; et quia vilem fieri non permisit, ecce enim ex hoc beatam illam dicent omnes generationes; unde iure ac merito « Extollens vocem « quaedam mulier de turba dixit Salvatori: Beatus venter qui te por-« tavit, et ubera quae suxisti ».

§. III.

Amplissimam dein uberrimamque dicendi segetem video mihi suppeditari, si ex innumeris de Immaculata Virginis Conceptione Pa-

rum testimoniis potiora vel luculentiora quaedam velim excerpere. Virginem ab omni integram labe peccati praedicavit Ambrosius (*in psal. CXVIII.*) Hieronymus in *nube diei* de qua in psalmo LXXII prospexit Mariam addens: « Pulchre dixit diei, quia nubes illa « numquam fuit in tenebris sed semper in luce ». Augustino autem visum fuit nullam ventilari posse quaestionem de Maria cum de peccatis esset sermo: « Excepta Sancta Virgine Maria, de qua « propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, « haberi volo quaestionem. » Et licet ibi de peccatis actualibus disseratur, etiam de originali intelligendum esse liquet, tum quia generalis est propositio *de peccatis*, tum quia constans sancti Doctoris in animo haeret sententia neminem posse ab actuali peccato immunem evadere qui fuit originali maculatus. Hoc demum et uno ore confessi sunt Sophronius, Damascenus, Idiota, Petrus Damiani, Anselmus, et illud sacrarum infularum decus, qui in Campsanae Rei Sacrae regendo clavo, sicut tempore, ita meritis innumeris humilitatem meam praecessit Ambrosius Catherinus, aliique permulti.

Ast enim: quare Bernardus, cuius nobis videbatur suffragari auctoritas, Canonicos Lugdunenses, gravi obiurgat supercilio, qui festum Conceptionis celebrare incipiebant? Hanc difficultatem, qui Patrum libros vel levi haustu attigerit, parvi pendat necesse est; multa enim priscis Ecclesiae temporibus videbantur Patribus obscura, quae postea, Deo sic disponente, sequentis aevi Patribus sunt visa clariora: hinc haud raro cernere est Patres aliquos in contrariam ivisse sententiam de eo quod postea Ecclesia ut fidei dogma definivit.

Quod si in praesentia Immaculata a primo instanti Beatissimae Virginis Conceptio veluti dogma fidei non reperiatur sancitum, quis non videt eam sententiam definitioni proxime accedere? Cui igitur rei Summi Pontifices Pius V. et Paulus V. suspensionis nota coercendos iusserunt, qui publice, et ubi magna adesset populi frequentia contrariam propugnarent sententiam? Et cui item rei Gregorius XV non solum publice in academicis concertationibus, sed et privatim in scholis, ne quis Beatam Virginem in peccato conceptam as-

serere auderet severissime vetuit? Hinc in dies dilatata devotio: hinc studium flagrantissimum ubique succrescens ut Immaculata a primo instanti Virginis Conceptio tamquam Catholicae fidei doctrina ab Apostolica Sede tandem solemni decernatur iudicio: hinc preces felicis recordationis Gregorio XVI undequaque porrectae: hinc novae quae de eodem negotio Optimo Maximoque Pontifici Pio Nono, quem Deus ad rem Ecclesiasticam universam sartam tectamque servandam sospitet quam diutissime, enixae Episcoporum quamplurium expostulationes percrebuerunt: hinc pientissima desideria Regis nostri amantissimi ac religiosissimi Ferdinandi II, quem Dominantium Dominus utriusque Siciliae bono diuturna ac perenni cumulet felicitate, ut in sua citra Pharum ditione Missa, et Officium proprium de Beatissimae, et Immaculatae semper Virginis Conceptione celebraretur; quod fuit libentissime indultum.

§. IV.

Ut autem et naturali ratione idem extricetur argumentum, cui impervium evulgatissimum illud Apophtegma: « Decuit, potuit, ergo fecit? » Quaeres si decuit? Decuit Patrem, ex cuius ore prodivit primogenita ante omnem creaturam: Filium decuit, cuius futura erat Mater amantissima: decuit Spiritum Sanctum, qui in eam superventurus erat, et cuius virtute foret obumbranda. Decuit, quia eodem fatente Bernardo, non est dubium quicquid in laudibus Matris proferimus ad Filium pertinere. Quia illius efficienda erat Mater cuius Pater est Deus. Potuit autem, quia apud Deum non est impossibile omne verbum: ideoque fecit Ei magna qui potens est; ideoque fecit potentiam in brachio suo. Nulli igitur dubium quia fecit.

Multae filiae congregaverunt divitias: Maria autem supergressa est universas. Ast quomodo supergressa sit universas non video, si existentiae suae primordia coinquinata fuissent, cum Eva de manu Creatoris sui prodiisset innocens et impolluta: ita ut de ea quoque dictum fuerat: « Viderat Deus quod fecerat, et erat valde bonum. »

Fuisset igitur Virgine quaedam creatura praestantior, si Ipsa, ratione originis fuisset Eva deterior.

Ast materiae, quam suscepimus tractandam, ut colaphonem, ut aiunt, addamus, hoc postremum serio perpendamus oportet. Maria inter imperscrutabilia praedestinationis arcana ab aeterno Increatae Sapientiae Mater praeordinabatur: ex hoc prono alveo fluit, quod eam Unigenitus Patris per infinita aeternitatis soecula filiali, ac tenerrimo amore debuerit complecti. Quomodo igitur tantus amor in odium intensissimum filii in Matrem converteretur, si Mater etiam indivisibili temporis momento fuisset peccati laqueis irretita? Ecquisnam Christiadum sanae mentis, haec animo revolvens, sacro quodam terrore perculsus, tota mente ac omnibus artubus non contremisceret?

CONCLUSIO

O Maria! fuerunt igitur torrentes iniquitatis ante Te: sed non pertransierunt aquae usque ad animam tuam. Tu veluti columba speciosa ascendens super rivos aquarum cum esses parvula placuisti Altissimo: unde de fructu ventris tui posuit super sedem suam, et per Te inhabitat gloria in terra nostra: in hoc cognovimus, quoniam voluit Te Dominus, quoniam numquam gavisus est inimicus tuus super Te. Eia! narra fidelibus tuis quanta fecit Dominus animae tuae: effunde rorem sapientiae tuae, et fac, o piissima Virgo, quod qui Te uno corde, et uno ore conclamant sine originali labe conceptam, iidem voti compotes facti hoc valeant tamquam Catholicam Doctrinam profiteri.

Lett. 3, *vol.* I, *pag.* 12; — 4, I, 16; — 6, I, 18; — 7, I, 20; 17, I, 39; — 20, I, 43; — 23, I, 55; — 24, I, 56; — 25, I, 58; — 26, I, 61; — 27, I, 64; — 33, I, 78; — 42, I, 100; — 43, I, 101; — 53, I, 121; — 54, I, 122; — 59, I, 132; — 60, I, 134; — 61, I, 136, — 69, I, 158; — 72, I, 174; — 77, I, 174; — 79, I, 180; — 80, I, 182; — 85, I, 197; — 87, I, 203; — 89, I, 208; — 90, I, 214; — 96, I, 229; — 104, I, 252; — 105, I, 254; — 113, I, 282; — 116, I, 287; — 127, I, 320; — 138, I, 352; — 140, I, 355; — 141, I, 360; — 142, I, 362; — 157, I, 411; — 171, I, 445; — 175, I, 455; — 182, I, 471; — 183, I, 473; — 191, I,

497; — 199, II, 10; — 200, II, 12; — 205, II, 26; — 218, II, 82; — 225, II, 101; — 256, II, 226; — 280, II, 362; — 281, II, 364; — 282, II, 367; — 310, II, 426; — 379, III, 203; — 392, III, 243; — 393, III, 246; — 402, III, 289; — 410, III, 310; — 421, III, 332; — 425, III, 338; — 433, III, 361.

AUSTRIA, UNGHERIA, BOEMIA

Lett. 48, *vol.* I, *pag.* 111; — 78, I, 177; — 130, I, 326; — 166, I, 435; — 201, II, 14; — 260, II, 244; — 274, II, 332; — 293, II, 390; — 299, II, 403; — 306, II, 418; — 325, II, 464; 326, II, 465; — 354, III, 84; — 387, III, 228.

SPAGNA E PORTOGALLO

Lett. 35, *vol.* I, *pag.* 81; — 36, I, 85; — 41, I, 98; — 45, I, 106; — 50, I, 114; — 51 I, 116; — 52, I, 119; — 55, I, 124; — 62, I, 140; — 73, I, 165; — 74, I, 168; — 82, I, 185; — 83, I, 192; — 84, I, 196; — 97, I, 231; — 99, I, 238; — 100, I, 241; — 106, I, 260; — 137, I, 348; — 144, I, 368; — 145, I, 383; — 155, I, 401; — 159, I, 412; — 161, I, 421; — 162, I, 422; — 174, I, 453; — 176, I, 457; — 185, I, 476; — 189, I, 489; — 194, I, 502; — 196, I, 158; — 323, II, 91, — 224, II, 98; — 227, II, 125; — 238, II, 154; — 239, II, 161; — 246, II, 178; — 257, II, 228; — 270, II, 286; — 272, II, 291; — 275, II, 334; — 321, II, 454; — 327, II, 468; — 335, III, 5; — 338, III, 26; — 347, III, 54; — 350, III, 73; — 356, III, 92; — 360, III, 99; — 361, III, 100; — 362, III, 102; — 363, III, 110; — 364, III, 114; — 367, III, 145; — 371, III, 167; — 378. III, 188; — 381, III, 208; — 384, III, 216; — 386, III, 222; — 389, III, 237; — 400, III, 264.

ALEMAGNA, PRUSSIA ecc.

Lett. 110, *vol.* I, *pag.* 274; — 111, I, 277; — 315, II, 438; — 316, II, 441; — 317, II, 445; — 340, III, 30; — 376, III, 181; — 394, III, 250; — 409, III, 309; — 428, III, 346.

BELGIO ED OLANDA

Lett. 38, *vol.* I, *pag.* 90; — 135, I, 337; — 167, I, 437; — 309, II, 423; — 318, II, 446; — 408, III, 307.

SVIZZERA E BAVIERA

Lett. 47, *vol.* I, *pag.* 109; — 56, I, 127; — 66, I, 149; — 209, II, 58; — 305, II, 416; — 330, II, 474; — 405, III, 301; — 407, III, 306.

INGHILTERRA, IRLANDA E SCOZIA

Lett. 187, *vol.* I, *pag.* 485; — 188, I, 488; — 193, I, 500; — 219, II, 85; — 228, II, 126; — 233, II, 141; — 250, II, 203; — 339, III, 28; — 382, III, 211; — 383, III, 212; — 396, III, 256; — 416, III, 323; — 432, III, 357; — 439, III, 376; — 443, III, 412.

GRECIA, TURCHIA EUROPEA ecc.

Lett. 67, *vol.* I, *pag.* 153; — 70, I, 159; — 75, I, 170; — 86, I, 200; — 107, I, 265; — 120, I, 300; — 131, I, 129; — 139, I, 353; — 153, I, 396; — 156, I, 403; — 157, I, 410; — 169, I, 441; — 177, I, 460; — 203, II, 19; — 254, II, 220.

ASIA, OCEANIA ecc.

Lett. 31, *vol.* I, *pag.* 74; — 64, I, 145; — 180, I, 468; — — 211, II, 63; — 241, I, 166; — 275, II, 259; — 277, II, 339; — 283, II, 369; — 290, II, 384; — 291, II, 386; — 297, II, 398; — 307, II, 420; — 319, II, 449; — 322, II, 458; — 332, II, 493; — 334, II, 497; — 336, III, 23; — 343, III, 40; — 345, III, 47; — 347, III, 59; — 352, III, 78; — 357, III, 95; — 358, III, 96; — 359, III, 98; — 369, III, 151; — 372, III, 171; — 373, III, 173; — 374, III, 175; — 375, III, 177; — 412, III, 317; — 413, III, 319; — 414, III, 321; — 415, III, 322; — 417, III, 326; — 418, III, 327; — 420, III, 331; — 422, III, 335; — 423, *ivi*; — 427, III, 344; — 430, III, 351; — 431, III, 352; — 435, III, 367; — 442, III, 410.

AFRICA

Lett. 68, *vol.* I, *pag.* 155; — 117, I, 291; — 220, II, 87; — 221, II, 88; — 222, II, 89; — 261, II, 249.

AMERICA SETTENTRIONALE

Lett. 164, *vol.* I, *pag.* 429; — 184, I, 474; — 229, II, 130; — 231, II, 137; — 268, II, 267; — 279, II, 343; — 284, II, 371; — 295, II, 394; — 314, II, 436; — 346, III, 48; — 351, III, 75; — 370, III, 153; — 385, III, 221; — 397, III, 258; — 406, III, 304.

AMERICA MERIDIONALE

Lett. 152, *vol.* I, *pag.* 394; — 172, I, 447; — 181, I, 468; — 204, II, 21; — 214, II, 74; — 243, II, 172; — 249, II; 197; — 241, II, 205; — 252, II, 207; — 266, II, 261; — 267, II, 264; — 276, II, 337; — 311, II, 428; — 220, II, 451; — 329, II, 472; — 368, III, 148; — 377, III, 185; — 380, III, 206; — 390, III, 239; — 395, III, 255; — 411, III, 312; — 426, III, 339; — 436, III, 368; — 440, III, 380.

PARERI

SULLA DEFINIZIONE DOGMATICA

DELL' IMMACOLATO CONCEPIMENTO

DELLA

BEATA VERGINE MARIA

PARERI

DELL' EPISCOPATO CATTOLICO

DI CAPITOLI, DI CONGREGAZIONI, DI UNIVERSITA'
DI PERSONAGGI RAGGUARDEVOLI ECC. ECC.

SULLA DEFINIZIONE DOGMATICA

DELL' IMMACOLATO CONCEPIMENTO

DELLA

B. V. MARIA

RASSEGNATI

ALLA SANTITA' DI PIO IX. P. M.

IN OCCASIONE DELLA SUA ENCICLICA

DATA DA GAETA IL 2 FEBBRAIO 1849

PARTE SECONDA — VOLUME QUARTO

ROMA

COI TIPI DELLA *CIVILTÀ CATTOLICA*

1851

I.

DEL B. LEONARDO

DA PORTO MAURIZIO [1]

In quanto al Trionfo dell'Immacolata Concezione seguito in Genova, ne scrivo in disparte per sfogarmi con più libertà. Confesso che mi ha arrecata non poca consolazione la liberazione di quella Città, ma è stata amareggiata da una lettera, che scrive un religioso, il quale dice di aver veduto co' proprii occhi quel che scrive, e fa colle lagrime una descrizione dei strapazzi, che hanno fatto alle Chiese, e quel che mi ha ferito il cuore, all' Immagine di N. Signora. Non metto le particolarità, perchè sono cose troppo orride, e credo che dopo la venuta del Figlio di Dio al mondo la G. Vergine non abbia mai sofferti strapazzi sì orrendi. Oh scellerati! Oh scellerati!.... Mi consolo poi che quel buon Arcivescovo, che è tutto zelo, risarcisca sì gran disonori con altrettanti ossequii; e bisogna confessarla che in Genova vi regna la pietà particolarmente nelle persone nobili. Quando vi si fece la Missione, diedero in eccessi di divozione; la benedizione si diede in Bisagno fuori delle mura, e si calcolò che l' udienza passasse il num. di cento mila persone, era un mar di gente; raccomandai la limosina per la barca da corso contro il Turco e si trovarono sei mila lire, e ne fecero una galeotta intitolata S. Leonardo, e vola per il mare come una saetta, e questa è che ha fatto arrabbiare l' Inglesi,

1 Questa scrittura benchè di data antica riportiamo qui quasi prefazione alle altre per la sua identità col soggetto, e per la singolare santità del suo autore.

conducendo in Porto sotto gli occhi loro i bastimenti carichi di provisioni. Quello poi che più mi preme si è che V. S. Illma e Rma mi aiuti a risarcire sì gran disonori che si fanno alla nostra Gran Madre, e vorrei che di quella Luna, che tiene sotto ai piedi se ne formasse un diadema al G. Mistero della sua immacolatissima Concezione, e si dichiarasse di Fede; non si spaventi in sentir questo, quasi che sia un tentar l'impossibile; questa supposta impossibilità è la remora che tiene incagliato il più grande affare, che dovrebbe ultimarsi nel mondo. Per grazia di Dio la materia è assai più disposta di quello che s'imagina; l'arguisca da questa segreta notizia, che gli porgo. Quando la S. Memoria di Clemente XII mi favorì del Breve estensivo dell'Indulgenze della Viacrucis, che poi è stato confermato dalla Santità di N. Sig. mi feci ardito, e gli domandai la grazia, che dichiarasse di Fede il Gran Mistero; incontrai le solite difficoltà, e non potendo avere la piena consolazione, che desideravo, dimandai licenza d'indagare di qual sentimento fossero i signori Cardinali su questo punto, e me lo concesse, andai girando, e quelli che erano in Roma, si mostrarono tutti propensi a favorire il S. Mistero, eccetto uno che dopo pochi mesi Dio lo tirò a sè. Il consiglio poi più sano, e più sodo me lo diede la fel. mem. del sig. Card. Imperiale che nelle cose sue camminava più colla testa, che con i piedi. Sentite, Padre, costoro tengono questa opinione, che il Papa non possa dichiarare di fede senza il Concilio Generale, pertanto senza contrastar questa opinione, io vi dò il modo di radunar il Concilio senza spesa. Voi altri Osservanti Riformati, Conventuali e Cappuccini siete sparsi per tutto il mondo, procurate che i vostri Generali scrivano a tutti i Provinciali acciò impegnino tutti i Vescovi a far tutti eodem tempore l'istanza al Papa che dichiari il gran Mistero, ed assicuratevi che pochissimi eccettuati, li troverete tutti disposti, ed ecco fatto il Concilio; andate dall' Ambasciatori delle Corone, e procurate che scrivano a loro Sovrani, acciò faccino l' istessa istanza; andai, e scrissero, e tutte le Potenze son disposte. Aggiungete che tutte le Università, le quali hanno voto di difendere questo Mistero, le avrete tutte dalla vostra; tutti i capi di tutte le religioni (eccetto una) tutti sono dispo-

stissimi, e se volete tutte le Repubbliche, e tutti i Stati cattolici con tutte le loro Città, Arcipreti, Pievani, Parrochi e tutti i popoli di tutti i luoghi, tutti troverete prontissimi a concorrere. Ecco dunque che tutta la Chiesa lo vuole. Viva dunque l'Immacolatissima Concezione della Nostra Gran Signora. Parlai di questo fatto al Card. Belluga che mi abbracciò e scrisse in Ispagna, che tutta si mise in moto e la Congregazione colà eretta dell'Immacolata diede l'incombenza al nostro Commissario dell'Indie, che facesse una Dissertazione, in cui dimostrasse che il Mistero era prossimamente definibile, si stampò, e ne vennero molte in Roma, disse bene, ma si desiderava qualche ragione più concludente: impegnai un Abbate Veneziano bravo Teologo Istorico e Dommatico, di cui si servì Clemente XI acciò scrivesse in favore della Bolla *Unigenitus*, ed ha lavorato 10, o 12 anni e l'opera sua è stata stimata assai da tutti i Dotti, che l'hanno letta, e si tiene in pronto per ogni occasione, avendo posto in chiaro ogni cosa. E perchè la riverenza che si deve all'Angelico Dottore S. Tommaso raffredda molti, deve sapere, che quando era in Parigi l'Emo Crescenzi in qualità di Nunzio gli scrissi che trovandosi nella Regia Libreria i Manuscritti di S. Tommaso, facesse vedere di qual sentimento sia il S. Dottore, lo fece con ogni diligenza e ce lo mandò autenticato col sigillo Regio, dichiarando il S. Dottore la nostra Signora immune da ogni peccato sì attuale, come originale, dicendo l'istesso molti Tomi antichi esistenti in varie Librerie, e particolarmente nella Libreria Vaticana.

Che vogliamo di più? Facciamo perciò orazione acciò lo Spirito Santo inspiri al Nostro Signore ad abbracciare con fervore un'opera di sì grande rilievo da cui dipende la quiete del mondo, tenendo per certissimo che se si farà un sì grande onore alla Sovrana Imperatrice si vedrà subito fatta la pace universale. Oh che gran bene . . . Oh che gran bene! . . . . una volta gliene parlai, e gli misi in considerazione che si sarebbe immortalato nel mondo ed avrebbe acquistata una corona di grande gloria nel Cielo, ma è necessario che scenda un raggio di luce dall'alto; se questo non viene è segno che ancora non è arrivato il tempo designato dalla Provvidenza, e con-

verrà pazientare in vedere un mondo così imbrogliato. Con tutto ciò il parlarne sempre giova e se non altro si ottenne che si facesse la Cappella Cardinalizia nel giorno solenne dell' Immacolata.

Concludo con pregare V. S. Illma e Rma a collegarsi meco, e però mi prometta di essere divoto parzialissimo del Mistero S., acciò quando saremo lassù possiamo dire: Signora amatissima parlai per Voi. Il segno poi sia ogni volta che sentirà sonare l'orologio reciti un'Ave Maria, e se si trova in presenza di altri la reciti col cuore, e poi faccia un atto di compiacenza dicendo . . . Mi compiaccio o Gran Vergine che siate Immacolatissima, Purissima, Santissima, e vi amo come la mia diletta. Oh quanto bene ne risulterà all'anima sua!

II.

INDIRIZZO DEL CAPITOLO METROPOLITANO

DI LUCCA

BEATISSIMO PADRE

Il Capitolo della metropolitana di Lucca, che in ogni tempo si è fatto un dovere di prestare ossequio e venerazione ad ogni cenno della S. Sede, ravvisando quanto sia a cuore della Santità Vostra il conoscere i sentimenti dei cattolici, e massimamente del Clero, in ordine alla Concezione di Maria Vergine, ha creduto ben fatto di non tacere su di una cosa che porta tanto onore e tanto fa comparir più bella infaccia al cattolico mondo la comune nostra madre e avvocata potentissima. Ma siccome è ben noto quanto dottamente e profondamente abbia scritto su tal punto in questi ultimi tempi il chiarissimo P. Perrone in un volume alla Santità Vostra umiliato e da Voi tenuto in buon conto, il Capitolo anzidetto non presume di potere aggiunger cosa che riesca nuova per sostenere la pia dottrina.

Desidera peraltro che la Santità Vostra conosca che la diocesi di Lucca fino dall'anno 1765 tenne come patrona principale la beatissima Vergine immacolata, ed a tal uopo ne ottenne dal Vostro predecessore Clemente XIII con rescritto della Sacra Congregazione dei Riti dell'anno stesso, l'uffizio proprio da celebrarsi *sub ritu duplici primae classis* con la messa propria e l'ottava. Pensa di più che sieno andati lungi dal vero quelli i quali dicevano, esser contrario alla Scrittura ed alla Tradizione l'insegnare che Maria sia stata preservata dalla colpa ereditaria. E in fatti se ciò sussistesse, non si sarebbe questo insegnamento appellato *pio* da tanti Romani Pontefici Vostri predecessori, nè si sarebbe permesso da loro, che i teologi cattolici lo difendessero nelle scuole, e i sacri oratori proponessero pubblicamente ai fedeli, poichè non può difendersi o enunciarsi, come pia, una sentenza che sia contraria all'autorità della Scrittura e della Tradizione. Se non che se dalla Scrittura e dalla Tradizione costasse che anche la Vergine fu infetta da peccato originale, il Concilio di Trento non avrebbe protestato « *non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto*, ubi de peccato originali agitur, *beatam immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem*. E in vero ben vide il Tridentino le generiche espressioni della Scrittura e delle Tradizioni, e contuttociò disse chiaramente che non intendea di comprendere nell'anzidetto suo decreto Maria Santissima. Dunque mostrò che le proposizioni della Scrittura e della Tradizione, con le quali in generale si esprime che tutti i posteri di Adamo contraggono la colpa originale possono, anzi devono ammettere la eccezione in quanto alla B. Vergine. Ma la Scrittura e la Tradizione non solamente non sono opposte alla dottrina di che si parla, ma la fiancheggiano e la sostengono. La Scrittura in doppia maniera insinua la verità di tale dottrina, e nel senso suo letterale cioè, e nell'applicazione che alla gran Vergine fa la Chiesa di molti testi che in senso spirituale servono a contestarla. Omesse per amore di brevità le testimonianze scritturali della seconda classe, faremo solamente menzione di quelle celebri parole che leggonsi nella Genesi *(Cap. III. v. 13)* colle quali Iddio denunciò al serpente, o meglio al demonio, che un

dì sarebbe stato sconfitto da una donna: « *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius* ». Or se questa singolarissima donna non fosse stata immune dalla colpa originale, il demonio non pur le avrebbe teso insidie, ma di più l'avrebbe avuta soggetta, e così l'oracolo sovra espresso non sarebbesi avverato pienamente, se la Vergine fosse stata concepita in peccato. Sarebbe poi inutile l'allegare in questo luogo tutte le testimonianze de PP. greci e latini e delle antiche liturgie che chiaramente palesano il comun sentimento della Chiesa relativamente a tal privilegio, onde Dio volle fregiata la madre sua. Imperocchè siffatte testimonianze sono adottate dai più celebri scrittori, fra i quali ci limitiamo a nominare il prefodato P. Perrone e l'eminentissimo Card. Luigi Lambruschini, che molto bene scrisse sull'immacolato Concepimento di Maria, in una sua dissertazione polemica impressa in Roma coi tipi della Congregazione di *Propaganda Fide* il 1843. Oltre a ciò S. Agostino nella lettera 143 diretta a Marcellino e nella 164 scritta al Vescovo Evodio, stabilisce con tutta ragione che devesi tenere per vero ciò che il comun sentimento dei fedeli ha per tale, ancorchè si tacessero i sacri codici. Or chi non sa che i fedeli cospirano universalmente in convenire che la Vergine fu immune non solo da ogni colpa attuale, ma anche originale? Basti il dire che in grandissimo numero sono i Vescovi e i superiori degli Ordini religiosi che richiesero alla S. Sede l'indulto di aggiungere nel prefazio del dì 8 dicembre le parole *et te in conceptione immaculata* e nelle Litanie lauretane l'encomio *Regina sine labe originali concepta*, come costa da quei copiosissimi elenchi che ha posto il P. Perrone nel fine della menzionata sua opera. Fino a suoi tempi il Vostro Predecessore Alessandro VII. nella sua Costituzione *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* potè dire: *Vetus est Christi fidelium erga beatissimam matrem Virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem,*

atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium. Colle quali parole primamente si attesta essere sentimento dei fedeli che Maria Santissima fu preservata immune dalla macchia del peccato originale, e secondamente si dichiara come i fedeli nella celebrazione della festa del Concepimento della Vergine, non altro oggetto si propongono che la immunità di essa dalla colpa ereditaria. E quindi ecco un'altra invitta prova che in favore di questo immacolato Concepimento deducesi dalla celebrazione della festa di esso. E in vero S. Tommaso parlando della Natività di Maria Vergine così argomenta: La Chiesa celebra la festa della nascita di Maria. Dunque essa fu santa nella sua nascita, ossia la natività di lei fu santa ed immacolata. Ma se questo argomento è valevole, come in realità è tale, deve parimenti ammettersi il seguente: La Chiesa celebra la festa dell'immacolata Concezione di Maria Vergine. Dunque essa fu veramente santa e immacolata nel suo Concepimento. Dunque deve tenersi per certo che la medesima fu preservata dal peccato originale. Aggiungasi alle cose fin qui discorse la osservazione, che si fa da quel gran padre e maestro della sacra eloquenza Paolo Segneri nella sua *Manna dell'Anima (8 Dicemb.)*. Considerando egli, dietro la scorta de' santi Padri, che il divin Verbo formò per sè stesso, non per altrui, la casa che voleva abitare, giusta il detto *Sapientia aedificavit sibi domum*, si esprime così: « Come si potrà giudicare che « avendo il Verbo eterno formata sì bella casa, qual'è la Vergine, e « di più formatala espressamente per sè, lasciasse tuttavia, che vi « andasse prima di sè ad abitare il demonio suo traditore, nè solo « ad abitare, ma ad impossessarsene, in virtù di quel peccato che « chiamasi originale? Questo non può di ragione apparirsi credibile. « Perciocchè in qual modo potè lasciar pigliare il Verbo eterno al « demonio un possesso tale? di necessità, o di elezione? Se di neces- « sità dunque non ebbe tanto in sè di virtù, che gliel potesse impe- « dire. Se di elezione, dunque non ebbe tanto di amore alla Vergine « che il volesse. E vi sarà chi dia per conceduto veruno di tali as- « surdi, ambedue gravissimi? Adunque è da credersi che chi per sè « la fabbricò, per sè la volesse » e la volesse sempre monda, sempre pura, sempre bella, sempre immacolata.

La forza degli addotti argomenti sembra al Capitolo della lucchese metropolitana così stringente, che si dichiara seguace della pia sentenza, e porta ferma fiducia di poterla venerare, per l'oracolo della Santità Vostra, come cattolico domma. Mentre il Capitolo predetto fa preghiere al Dator d'ogni bene a fine che presto giunga quel giorno, desideratissimo giorno, in cui la Santa Romana Sede, guidata sempre dai lumi dello Spirito Santo, definisca solennemente l'importantissimo punto dell'immacolato Concepimento di Maria, prostrandosi umilmente al bacio del piede della Santità Vostra ne implora con tutto ossequio l'Apostolica benedizione [1]

Dalla Residenza del nostro Capitolo questo giorno 5 ottobre 1849.

La Università dei Cappellani Benefiziati della Metropolitana di Lucca, inerendo ai piissimi desiderii della Santità Vostra, si unisce al Capitolo della predetta Metropolitana, e aderisce a quanto esso ha decretato in ordine al desiderio che venga dichiarato punto dommatico dalla S. Sede la pia credenza dell'immacolato Concepimento di Maria sempre Vergine, e però conferma la perfetta adesione e il pieno e universale consentimento dei singoli, col mezzo della soscrizione e firma del Priore della predetta Università.

Dal nostro Archivio questo giorno 10 Ottobre 1849.

Sac. Filippo Guerra *Priore.*

1 *Estratto degli atti del Capitolo della Metropolitana di Lucca Seduta Ordinaria del 5 Ottobre 1849.*

Si è letto un indirizzo alla Santità di Nostro Signore Papa Pio IX col quale il Capitolo della Metropolitana di Lucca manifesta ossequiosamente il suo avviso in ordine all'immacolato Concepimento della Gran Madre di Dio Maria sempre Vergine, ed espone ancora i motivi, e le ragioni onde si è determinato con tutto consentimento ed esultanza di spirito a seguire la pia sentenza, che pende solo dall'Oracolo del Vaticano, il dichiararla punto dommatico. A proposta del Reverendissimo Interior Sacrista fu ottenuto con tutti i voti affermativi che il prefato indirizzo sia approvato in tutte le sue parti, e sia quindi rimesso al signor Vicario Capitolare per dargli quell'esito che nella sua saviezza stimerà più opportuno.

Ed in fede

Francesco Bertocchini *Notaro e Cancelliere*

III.

DE' PP. CAPPUCCINI

DEL CONVENTO DI ISERNIA

Ad pedes Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini Pii Papae IX, quem semper Deus salvum, incolumemque praestet, Minorum Religiosi Seraphici Patriarchae Sancti Francisci Assisinatis Fratres Ordine Cappucinorum e Conventu Aeserniae hoc supplici libello.

BEATISSIME PATER

Quo iucundissimo voluptatis sensu, pernimio gaudio, et ex partibus omnibus profusa laetitia nos Religiosam Cappucinorum Familiam, Monasticam vitam Aeserniae degentes, heic perhumiliter, flexisque genibus subscriptos perfuderint litterae ab hacce Aeserniae Episcopali Curia nuper missae, est sane prorsus difficile dictu. Nos illae diserte certiores fecerunt Sanctissimi Tui, divinique consilii, haud dubie divinitus afflati, quo Sanctitas Tua Beatissimae Deiparae Virginis Mariae Conceptionem dogmatice ex infallibili Apostolorum Principis Divi Petri Cathedra, illibatam, atque a primo instanti, praeveniente Spiritus Sancti gratia ab originalis peccati macula praeservatam immunem, definiri statuit, atque decernit. Hoc profecto, ne amplius in posterum pia devotione tantum, unicuique libera opinandi facultate relicta, sed firmiter, ac de fide omnes Christi Fideles Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti creationis animae suae, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, meritorum intuitu eius Filii Christi Iesu Domini nostri humani generis Redemptoris, absque originalis peccati labe conceptam unanimiter credant, profiteantur, ac habeant.

Et quoniam Beatitudinem Tuam minime fallit nonnullas extitisse Scholas, Academias, atque non infimi subsellii Viros, qui in contrariam ivere partem, cum originali peccato Virginem Mariam conceptam fuisse tenentes: hinc Sapientiae Tuae, res, de qua agitur, non parvi esse momenti videtur; atque eo magis, quod Summi Praedecessores Romani Pontifices f. m. Sixtus IV, Paulus V, Gregorius XV, Alexander VII, nec non et Sacrosancta Oecumenica Tridentina Synodus, licet aris, focisque aientium faventes opinioni, Beatissimae nempe Dei Filii Genitricis Mariae intemeratam Conceptionem, et a primo instanti ab originali peccato preservatam immunem, adeo ut Conceptionis festivitatem solemni ritu celebrari non modo indulserint, verum quoque mandaverint; nullum tamen definitivum edidere Decretum, ut sicuti Fidei articulus Immaculata, atque illibata prorsus ab Universali Catholica Ecclesia haberetur Deiparae Virginis Conceptio. Quapropter Sanctitas Tua in Encyclica ad Patriarchas data, Primates, Metropolitanos, Archiepiscopos, Episcopos, Cathedrales, Collegiatas, nec non ad omnes Monasticos Ordines monet, ac praecipit ut publicas, assiduasque ad Deum luminum Patrem in hocce tam magni ponderis negotio, preces effundant, eorumque vota, atque sententiam depromant.

Beatissime Pater, Nos subscripti Cappuccinorum Ordine Fratres, hac super re rogati, lubenti, laetantique animo adserere minime haeremus; esse omnium ubique Orbis Catholici votorum summam, ut Sancta Catholica Romana Sedes dogmatice ex infallibili veritatis Cathedra, Beatissimae Virginis Mariae animam in ipsa sui creatione, et in corpus infusione Spiritus Sancti gratia praeventam, atque donatam, et in primo instanti creationis praefatae, atque infusionis, speciali Dei gratia, et privilegio a peccato originali praeservatam, et omnino expertem fuisse protinus, et quam citius statuat, definiat, ac sanciat.

Vetus namque, Sanctissime Pater, sic fuit Christi Fidelium pietas erga Beatissimam Virginem Mariam immaculatam, absque originali peccato conceptam, sentientium, ut inter ipsas controversias, contentiones, ac iurgia Academiarum, atque Scholarum, sponte sua,

nullaque Sanctae Sedis auctoritate interposita, Immaculatae Conceptionis festivitatem solemniter celebrare consueverunt, uti in Anglia, Galliisque etc. Temporibus autem nostris mirum in modum auctam hanc pietatem in Deiparam vidimus, ut noster omnimode gaudet animus, pene innumeras intuentes erectas Immaculatae Conceptionis nomine Confraternitates, Templa, Altaria, adprobantibus Romanis Pontificibus, atque ab iisdem percopiose concessas indulgentias. Iam fere omnes Catholici, modo velut Fidei Dogma, quamquam nondum decretum, illibatam Virginis Mariae Conceptionem plenis, apertisque brachiis complectuntur. Quamobrem et ipsa Regna, Regiones, Urbes, Oppida sub Immaculatae Conceptionis titulo in Patronam, et specialem Protectricem sibi elegerunt. Nec praeterire fas est, quod in nostro Regno Neapolitano religiosissimus Rex noster Ferdinandus II, quem semper cum tota Regia Familia, Deus Optimus Maximus sospitem, incolumemque servet, militiarum suarum, neque non totius Regni Tutricem optavit. Hinc concludendum, si vera celebris ille quondam Nolae Episcopus Sanctus Paulinus nobis exposuerit epist. 4. « De omnium Fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat. »

At si de unanimi, ac universali Catholicorum consensu in medium adducamus Religiosas cuiuscumque institutionis Franciscanas Familias, virilitate quanta, studiis, ac industria suos ipsae contenderint nervos ad Immaculatam a primo instanti Beatissimae Virginis Mariae Conceptionem propugnandam, tuendamque, nemo profecto nescit. Ipsae de se loquuntur Historiae, quas consulere quisque potest, ne heic quid amplius addamus. Neminem vero fugit, adeo fuisse, et adhuc usque Cappuccinorum Familiam magno corde, ac volenti animo erga Immaculatam Deiparae Virginis Mariae Conceptionem pietati, devotioni, ac cultui dicatam, ut ab illo ipso suae Institutionis ortu Eam sub hocce praefato titulo Patronam Ordinis totius selegit, ac sibi efformavit, et in sui honorem, et gloriam quotannis solemniter in Coenobiis omnibus Ordinis festivitatem celebrat, ac colit.

Beatissime Pater, minime hoc inconsiderate, inconsulto, ac nullo

consilio a nobis hoc effectum, sed peroptime quidem, ac iure merito. Nam etsi in Scripturis Sanctis Novi Testamenti, sic admirabili disponente Divina Providentia, deficiant oracula, quae praecise, clarisque verbis Immaculatam Virginem Mariam sine originali peccato conceptam praedicant, innumera tamen habemus in Testamento Veteri, quae sub figuris, ac symbolis, quibus a Sanctis Patribus, Ecclesiae Doctoribus, atque a plerisque celebrioribus Scholis, et Academiis funditus matureque perpensis, validis, solidisque vallatis rationibus, Ecclesia in Deiparae laudes utitur, magis magisque, ac perluculenter illibatam, immaculatamque praeconizant Conceptionem eius. In favorem Conceptionis Immaculatae Beatissimae Virginis Mariae hoc unum sane satis est dicere: Ab aeterno fuisse ordinatam ad Unigeniti Filii Dei Maternitatem, ut firmissime teneamus, necesse Eam ex ore Altissimi Primogenitam, non quidem naturae ordine, sed gratiae, prodiisse ante omnes creaturas, adeoque a communi Adae peccati lege prorsus exemptam; verba illa Assueri ad Esther ei perbelle adplicando: Non pro Te, sed pro omnibus haec lex constituta est. Et revera si Beatissima Virgo Maria, Eva secunda a Sanctis Patribus nuncupata, idcirco a prima Eva in suo praevaricationis statu omnimode diversa, fuerit illa Mulier, quae callidi infernalis Serpentis caput conterere debebat; quomodo illud conterere poterat, nisi originali peccato fuisset immunis? Tunc sane, quin potius contrivit, et ipsamet lethaliter venenatis illius Serpentis dentibus sauciata iam foret. Praeterea, si a Sacra Tridentina Synodo, uti fidei dogma definitum fuit: Mariam Virginem ex speciali Dei privilegio, ab omni prorsus veniali peccato, quamvis minimo, atque levissimo praeservatam immunem; hoc procul dubio pervalidissime exemptionem eius, et immunitatem ab originali labe omnino monstrat, probat, penitusque convincit: quatenus adfectionibus Adae culpae peromnimode caruit: adfectiones enim illae minime ad Eam potuerunt accedere.

At nos heic, Beatissime Pater, pudore suffundimur, cum nostrae immemores inscientiae, ac altissimae divinaeque Sapientiae Tuae vecordem in modum ligna sylvis, uti effatum, ac Noctuas Athenis fe-

ramus. Qua de re perhumiliter genibus nixi veniam, indulgentiam petentes, enixis simul precibus rogamus, pervehementer, et quam studiosissime efflagitamus, ac poscimus, ut quam citius Sanctitas Tua ex infallibili Divi Petri Cathedra, sicuti Christi Iesu Domini nostri Redemptoris Vicarius, Catholicae, et Apostolicae Ecclesiae Summus Pontifex Optimus Maximus, totiusque Catholici Orbis caput, Immaculatam a primo instanti, sine originali labe conceptam Beatissimam Dei Genitricis Virginem Mariam dogmatice definiat, decernat, ac sanciat; ut in posterum omnes Christi Fideles una fide stricti, uno ore, atque unanimes honorificent Deum Patrem Omnipotentem, eiusque Filium Unigenitum, et Dominum nostrum Iesum Christum, Sanctum quoque Spiritum a Patre, Filioque procedentem; atque ad laudem, honorem et gloriam Sunctissimae individuaeque Trinitatis colant unanimiter, ac celebrent Immaculatam, illibatamque Deiparae Virginis Mariae Conceptionem, cui benedictio, laus, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Datum Aeserniae e Caenobio nostro Cappuccinorum quintodecimo Kalendas Aprilis Anni 1849.

Fr. Hyacinthus *a Murgantia Lector Philosopus ac Theologus, nec non Definitor Cap.*
Fr. Nicolaus *a Torrecusio Guard. Cap.*
Fr. Paulus *a Murgantia Concionator et Vic. Cap.*
Fr. Constantius *a Murgantia Sacerdos Cap.*
Fr. Antonius *a Murgantia Sacerdos Cap.*
Fr. Franciscus Felix *a Roccamandolfi Sacerdos Cap.*
Fr. Angelicus *a Murgantia Sacerdos Cap.*
Fr. Hyacintus *a Sancto Marco ad Catulam Sacerdos Cap.*
Fr. Gabriel *a Murgantia Clericus Cap. Studens Theologiae.*

IV.

DEL COMMISSARIO APOSTOLICO

DE' MINORI OSSERVANTI, DE' RIFORMATI ALCANTARINI

E DEL TERZ' ORDINE DELLA PENISOLA ISPANICA

BEATISSIME PATER

Fr. Ioannes Romeu Commissarius Apostolicus Minorum de observantia, et Reformatorum S. Petri de Alcantara, et tertii Ordinis pro Peninsula Hispaniae, cum omnibus facultatibus, quibus antea Vicarii Generales fruebantur, ad S. V. pedes humillime ac devotissime provolutus, gratissimos cum sui ipsius, tum suorum subditorum animi sensus, et flagrantissima vota patefacere, atque evehere properat. Laetabundi siquidem et tanquam prae gaudio tripudiantes, Encyclicas perlegimus Litteras, queis S. V. placuit publicas edicere preces, supplicationesque ad Deum Optimum Maximum, ut solemni Catholicae Ecclesiae iudicio, et Sedis Apostolicae auctoritate decerni possit tamquam fidei Dogma, Immaculatam Dei Matrem Virginem Mariam absque originali labe conceptam extitisse. Nihil profecto aut iucundius, aut optabilius Nostrae Seraphicae Familiae ullo unquam tempore accidere poterat, quam ad hunc desideratissimum scopum maximumque gloriae Matris Nostrae incrementum assequendum totis contendere viribus. Neque enim Te latet, Beatissime Pater, pientissimam de Immaculata Virginis Conceptione sententiam veluti cum lacte ebibisse, ex quo subtilis Magister noster Ven. Scotus eam nedum firmiter propugnavit constabilivitque, verum etiam luculentissime dilucidavit, et universa obiecta penitus exsufflavit. Novit insuper S. V. quantum inde apud fideles in toto Catholico terrarum Or-

be increvit erga Immaculatae Virginis Conceptionem tenerrima devotio, cultusque mirificus, et amor.

His omnibus accedit, quod annuente Apostolica Sede, in Generalibus Ordinis Nostri comitiis, Beatissima Dei Mater sub praeclarissimo singularique illibatae Conceptionis mysterio Franciscanae Familiae Patrona fuerit proclamata; atque in tota Religiosa Seraphica Familia Hispaniae ab antiquissimis temporibus solemne sacrumque fuit, tribus consuetis votis quartum addere, quo sodales omnes singularum trium Sancti Patris Francisci Ordinum ad defendendum Virginem Mariam absque originali naevo fuisse conceptam adstringerentur, usque ad proprii sanguinis, quoties opus fuerit, effusionem.

Hinc plane lucideque innotescit, Beatissime Pater, quam medullitus Nobis infixa sit in Purissimam Virginem a labe originali immunem devotio, quantoque desiderio cor omnium Nostri exardescat, ut tandem aliquando Dogmatico Sedis Apostolicae iudicio constabilitum maneat quod pie corde credimus, et ore palam confitemur.

Quamobrem Encyclicis Litteris Vestris libentissime et laetanter obtemperantes, omnem illico adhibuimus curam, ut Fratres Nobis subiecti, quamtumvis extra claustra degentes, et moniales nostrae curae commissae, imo et tertiarii ubilibet ferme existentes, ac Nobiscum sentientes, enixis fusisque precibus, Patrem Luminum, a quo descendit omne donum optimum, perquam ferventissime orarent. Confidimus vero, maxime in Domino, quod ipse immittet sedium suarum assistricem sapientiam, qua adiuvante, mentemque Sanctitatis Vestrae collustrante, rem totam ingenti Ecclesiae bono et consolatione, atque fidelium omnium gratulatione ad optatissimum finem perducere valeat. Faxit hoc Deus, et Te Beatissime Pater, diu salvum incolumemque servet, ut Te, Supremo omnium Pastorum Pastore, Immaculatae Matri novissimum addatur decus, et amplissima gloria.

Romae ex Conventu Sanctae Mariae Ara Coeli die 24 Decembris anni Domini 1849.

Fr. Ioannes Romeu *Commissarius Apostolicus.*

V.

DELLA R. V. CONFRAT. DEL SS. SAGRAMENTO

NELLA CHIESA DI S. MARTA IN BARCELLONA

BEATISSIME PATER

Infrascripti Moderatores Regiae, antiquae et venerabilis Confraternitatis indignorum servorum Sanctissimae Eucharistiae in Ecclesia Sanctae Marthae, Barcinonensis civitatis, Cathalauniae provinciae in Hispania, canonice erectae, summo decorantur honore adeundi tam suo, quam sibi committentium nomine, ad Vestrae Sanctitatis pedes provoluti, gaudium et laetitiam qua ipsorum pectus redundavit ut primum Encyclicam Vestrae Beatitudinis Epistolam, postridie Februarii kalendas datam ad venerabiles Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, perlegerunt, prae se ferentes, ut Deus Optimus Maximus coelestis suae gratiae lumine Vestrae Sanctitatis mentem collustrare dignetur, quo cognoscere possit quid consilii circa Immaculatae Beatae Mariae Virginis Conceptus mysterii declarationem sit Vestrae Beatitudini capiendum, cuius mysterii propugnatio alium ex maximis titulis, quibus dignoscitur ac decoratur, semperque dignotam ac decoratam se censuit haec Confraternitas, constituit.

Ita profecto: Beatissime Pater, hoc mysterium post devotionem ad Sanctissimum Altaris Sacramentum est suae reverentiae praecipuum obiectum, ipsaque Confraternitas se reputat nobilitatam quod Sanctissimam Virginem Mariam in eius Immaculatae Conceptionis mysterio tamquam Patronam colit ac veneratur, cum pariter ipsius servituti devotam se consideret. Haec Confraternitas ab ea quam ducentos et quadraginta quinque abhinc annos venerabilis sacerdos Iacobus de Gracia, Beato Simeone de Rojas ductore atque adiuvante,

Matriti instituit, promanans, atque in hac nostra civitate, competenti Ordinarii licentia, anno 1801 laudabili domini Leonardi de Vidal nonnullorumque aliorum, tum ecclesiasticorum tum etiam secularium virorum pietate vitae erecta; nunc temporis non sine maximo gaudio ultra tria millia confratrum utriusque sexus, cuiusque conditionis et ordinis societatis, quos inter circiter septingenti utriusque Cleri venerabiles Sacerdotes, nec non moniales quamplurimae recensentur, in suo gremio contemplatur; qui omnes ad ingressum in eam Confraternitatem voto et iureiurando apud Deum adstringuntur se esse sustenturos, affirmaturos, propugnaturos, promoturos ac propagaturos perpetuo, toto corde, voluntate et affectu, iuxta suam quisque conditionem, opportunis rationibus, et iuxta praesentem ac deinceps futuram Sanctae Ecclesiae Catholicae mentem ac sententiam, Mariam Sanctissimam, Dei Matrem, ac Dominam nostram conceptam fuisse in gratia et sine peccati originalis labe in primo suae existentiae naturalis momento, ob quam veritatem, ob gloriam, honorem et Eius venerationem et tam inclyti mysterii exaltationem se vivere ac mori adiurant.

Ita certa, constituta, ac deliberata, Beatissime Pater, apud illos manet haec pia fides, de qua palam gloriantur, ut singulis Confratribus demandetur ut omnibus diebus devote ter recitent salutationem angelicam unam cum *Gloria Patri*, pro gratiarum actione Trinitati Beatissimae, ob singularem gratiam qua Sanctissimam Virginem, ipsorum Matrem, Dominam ac tutelarem, ab omni originali labe liberavit; et tanta quidem pietate eorum Confraternitas eminet, ut hac fide a diversis Vestrae Beatitudinis Praedecessoribus, diversisque temporibus, inestimabilem indulgentiarum thesaurum, quae quidem singulari modo hanc extollunt Confraternitatem, obtinuerint. Nimis longum ac difficilis negotii esset eas singulas recensere. Plenaria indulgentia gaudent in die Purissimae Dominae nostrae Conceptionis singuli Confratres qui Congregationis Ecclesiam visitaverint, ibique iuxta mentem Summorum Pontificum qui eas concesserunt, rite oraverint; duae etiam plenariae indulgentiae huic Confraternitati sunt concessae in infra octavam dominica, qua

quidem dominica speciali privilegio a Summo Pontifice, Pio Papa VII. felicis recordationis concesso postridie nonas februarii anni 1816 celebrari possit solemnis Missa eodem ritu quo in ipso festivitatis die; alia Ecclesiam visitando et pro Ecclesiae Catholicae exaltatione rogando; alia vero voti renovationi assistendo, necnon Apostolicam benedictionem accipiendo, iuxta Beatissimi Pii Papae VI, felicis recordationis rescriptum, datum quinto calendas decembris anni 1775; alia pariter plenaria indulgentia Confratribus praedictam Ecclesiam a vesperis sabbati post commemoratam festivitatem ad solis occasum diei sequentis, visitantibus, iuxta aliud a Sanctissimo Domino Pio Papa VII felicis recordationis, quinto idus februarii anni 1816 diploma expeditum, et alia denique eiusdem naturae huic Barcinonensi Confraternitati a Sanctissimo Domino Pio Papa VIII decimo quinto calendas octobris anni 1830 in ipsius rescripto consignata Confratribus qui proxima a Conceptionis festo dominica Confraternitatis Ecclesiam visitaverint, ac voti renovationi adfuerint, atque etiam Apostolicam benedictionem, quam quilibet sacerdos Confraternitatis sodalis, impertiri potest, acceperint; adeo ut sibi intime persuasi Summi Pontifices praedicti de magna devotione et affectu quem eius Confratres erga Purissimae Virginis Mariae Conceptionem, profitentur, minime haeserint in Ecclesiae thesauris sancta munificentia largiendis in fideles qui tam insigni societate congregati pro huius mysterii propugnatione vivere ac mori constituerunt.

Quanto ergo gaudio ac iubilatione perfundi debent considerantes Vestram Beatitudinem nihil potius vel a teneris annis, nihil antiquius habentem quam singulari pietate et obsequio, atque intimo cordis affectu Beatissimam Virginem Mariam colere, et ea peragere, quae ad maiorem ipsius Virginis gloriam et laudem procurandam cultumque promovendum conducere posse videantur; constituisse post maturum examen, suoque tempore, veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam definire augustum mysterium quod tam multis abhinc annis efficit specialem fidem Confratrum sub Sanctae Eucharistiae indignorum servorum cognomine militantium? Quanto inquiunt gau-

dio ac laetitia perfundi debent, videntes ipsorum vota cumulata et quod iam proxime adest tempus quo per totum orbem Catholicum Virgini Mariae honor, ipsis quidem haud dubius, suae immaculatae Conceptionis, decernatur? Qua de causa et ad prudentiorem Vestrae Sanctitatis deliberationem in tanti momenti negotio publicas solemnesque preces tribus Pentecostes festis diebus peragendas decreverunt, sacram synaxim a Confraternitatibus in primo die accipiendam, nec non in omnibus solemnem Missam, sacram concionem, maioresque litanias ante SSmum Sacramentum, eadem Sacra Eucharistia per reliquum diei tempus usque ad exercitiorum finem ad fidelium venerationem permanente, quibus precibus coelestem gratiam erga Vestram Sanctitatem implorarent, Vestrisque votis in praedicta Encyclica patefactis obsecundarent; et ecce, Bme Pater, quaenam fuerunt causae quae ipsos impulerunt ut his litteris suam humillimam et nullius ponderis sententiam de tam inscrutabili mysterio irrecusabili modo ostentarent, in cuius opinionis propugnatione, tum antea, tum postea quam se se obstrinxerunt, nihil aliud certe peregerunt quam suorum maiorum vestigia persequi, qui, quidem a remotissimis temporibus una cum suis piis et augustissimis Principibus devotione erga Immaculatam Virginis Conceptionem eminuerunt.

Ita profecto: siquidem hoc festum quodammodo hispaniense dici potest, imo etiam peculiare huius semper catholicae provinciae incolarum, et praesertim huiusce nostrae civitatis Barcinonensis, cuius indigenae omnibus temporibus non dubia sui erga illud mysterium amoris signa protulerunt. Satis erit Beatissime Pater, nostrorum annalium paginas aperire ut de nostri asserti veritate convincamur. Iis, praetermittentes hispaniensis Ecclesiae Patrum auctoritatem, certiores simus Visigothorum Regem, Ervigium, legem tulisse qua iudaei a servilibus laboribus festis christianorum diebus prohibebantur, in quibus Virginis Sanctissimae Conceptionis festum recensetur. Ii notis asserunt in quarto toletano Concilio, in quo interfuerunt a Cathalonia Legati Episcopi Tarraconensis, Ausoniae, Elmae, Ylerdae, Gerundae, Emporiorum, Dertusae, Urgelli, Aegarae, itemque Episcopi Barcinonensis Vicarius, quodque anno 633 celebratum est,

maxima approbatione commendatum esse breviarium a Sancto Isidoro, Hispalensi Archiepiscopo, reformatum; in quo quidem Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae apparet officium, atque in eo ab originali labe immunis praedicatur. Ii nobis dicunt in undecimo Toletano Concilio, anno 675 habito, encomiis celebratam Divi Ildephonsi de Immaculata Conceptione doctrinam, hoc modo patefaciens Synodus sese in ipsa fide conformari. In nostra vero Cathalauniae provincia iam saeculo duodecimo Immaculatae Conceptionis festum sexto idus decembris colebatur, atque in martyrologio sanctae Ecclesiae Vicensis saeculi decimitertii constant iam tunc eodem anni et mensis die illud festum concelebrari. Anno 1396 Dominus Ioannes I, Aragoniae Rex, sui ipsius Regia auctoritate Immaculatae Conceptionis festum in omnibus Hispaniae Provinciis, quae Islamismi iugum excusserant, instituit, addens in suo Regio decreto Reges ipsius Praedecessores, qui misericordiarum Mariae pene fuerant obiectum, prius quam ipse, tale festum solemniter peregisse.

At vero ubi admodum singulari modo pietas ac devotio erga Immaculatae Conceptionis mysterium eminuit, fuit Barcinone. Hinc anno 1301 stabilita manebat Regiae Domus Confraternitas sub Purissimae Conceptionis Mariae titulo in Palatii maioris sacello, quae Confraternitas etiam nunc subsistit et in qua diversae Regiae familiae personae conscriptae recensentur. Eodem saeculo Reges Ioannes ac Martinus Virginis Conceptionem sine labe originali proclamarunt, eaque ut per omnia regna sua celebraretur curaverunt, dum quidam insignis Cathalauniae filius librum in illius mysterii comprobationem consecrabat. Anno 1408 sexto kalendas maii praedictus Martinus Rex quotquot Immaculatam Virginis Conceptionem impugnarent Reipublicae hostes iudicavit, iubens sub gravissima poena ut intra triginta dies ex sua ditione excederent, et in Comitiis generalibus, anno 1456 Barcinone peractis, municipali constitutione perpetuum exilium in huiusmodi adversarios comminatum, statutum sancitumque est; qua de causa minime in dubium revocari potest Cathalaunos primos fuisse qui in Comitiis ad huius mysterii propugnationem sese iureiurando adstrinxerunt, de quo mysterio extant

orationes nonnullae hymnique proprii in praefatae Ecclesiae Vicensis missalibus ac breviariis ad decimum quintum saeculum pertinentibus. Metropolitana etiam Tarraconensis Ecclesia in sua ipsius ad Virginem Sanctissimam devotione contendebat, ultimis praedicti saeculi annis hymnum *Gloria* de Conceptionis officio praescriptum sub Sixti IV, felicis recordationis, Pontificatu, in Sancta Missa decantans. Quod si his omnibus aggregentur volumina quae in laudem et comprobationem Immaculatae Virginis Conceptionis, nonnulli diversique auctores hoc tempore in nostra Barcinonensi civitate conscripserunt atque in lucem edidere, quos inter Ioannes Puiol, Mataronensis Civitatis, in Dioecesi Barcinonensi Presbyter, ac venerabilis atque eruditus doctor Didacus Pérez de Valdivia, Sacrae Scripturae ac moralis Theologiae in antiqua Barcinonensi Academia Professor, recensentur; nonne asseverare licebit ex hac Regione, Catholicismo ac pietate in Virginem insigni, promanasse, ac in orbem totum fuisse propagatam hanc devotionem erga augustum mysterium quod magna reverentia ac elata voce colimus, veneramur, ac proclamamus?

Et revera, Bme Pater, ita crevit et roborata est in Catholicis Cathalaunorum animis pia in Immaculatam Conceptionem fides, adeoque haec inhaerebat radicitus decimo septimo saeculo, quo quidem tempore Barcinonensis pietas maximo splendore enituit atque refulsit, ut anno 1618 in hac civitate solemnia atque insueta festa in illius mysterii obsequium fuerint concelebrata, quae quidem festa ab ultimis Novembris diebus, quibus haec litteraria Academia sese iurisiurandi religione in tanti mysterii propugnationem adstrinxit, usque ad decimum septimum ianuarii kalendas perdurarunt, cum pridie nocturnis illuminationibus urbana aedificia fuerint decorata, totaque urbs festivis demonstrationibus gestiret, in patentissimum communis fidei argumentum.

Postea vero eodem anno 1618 Cathalauniae consensus communi sententia magnoque gaudio ac iubilatione decrevit sub Immaculatae Conceptionis titulo Sanctissimam Deiparam in suam Patronam et tutelarem eligere, nec non ad Apostolicam Sedem litteras mittere

ut tantum honorem ab ea assequeretur. Alia quamplurima gesta ac testimonia adhiberi possent; at vero infiniti pene negotii esset argumenta cumulare quae magis magisque Hispanorum omnium in tam praeclarum mysterium pietatem atque amorem confirment.

Quamobrem minime mirum videri debet si ab ineunte aetate in tam pia fide a suis religiosis progenitoribus instituti atque imbuti, erga hoc mysterium singularem profiteantur dilectionem, magnoque numero conscribi cupiant in Sodalitate quae magnum ducit honorem insigniri cognomine indignorum servorum Iesu Christi in Altaris Sacramento suaeque Virginis Matris in prelaudato mysterio. Neque etiam mirum videri debet eos enixe laborare ut Sancta Sedes, veritatis centrum, veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam Sanctissimae Virginis Mariae Conceptionem ab omni labe immunem declaret, quandoquidem iam a remotissimis temporibus sub hac invocatione eum colunt ac venerantur.

Utinam, Beatissime Pater, cito illucescat fortunatissima dies quae ad maiorem Dei gloriam semperque Immaculatae Virginis Mariae cultum Vestrae Sanctitatis, omniumque fidelium salutem, per totum orbem catholicum Sanctissima Maria sine originali labe, quam omnes utpote infecti Protoparentis filii contraximus, praeservata, praedicetur.

Ea sunt indignorum servorum Sanctissimi Altaris Sacramenti nec non Virginis Mariae vota, quibus ad Deum suas humiles preces incessanter effundunt, dum ad Vestrae Sanctitatis pedes humiliter provoluti Tuam, Beatissime Pater, expostulant Apostolicam Benedictionem.

Barcinone nonis Augusti anno 1849.

Antonius Sagnes *in Sacra Theologia Licentiatus Praefectus.*
Iosepus Riera *Presb. S. T. D. et Moralis Academiae Professor.*
Andreas Ros *a S. Cruce Presb. Scholar. Piarum a Matre Dei.*
Iosephus Cuxart *Presb. Sacrorum Canonum Doct. atque Prof.*
Christophorus Marcè *Presb. Examinator sinodalis.*
Laurentius Maria Serrat *Congregationis Clericorum Regularium Minorum Presbyter.*

Franciscus de Paula Amigò *Presb. Oratori Sti. Philippi Nerii.*
Iacobus Cerdà *Presb. Benef.*
Dominicus Esteveber *Sacrae Theologiae Licentiatus.*
Franciscus Teixidor *Presb. Sacrae Theologiae Licentiatus.*
Fr. Aloysius Gonzaga *a Barchinone, ordinis Minorum Cap.*
Marianus de Sagarrá *Presb. et Cubicularius Hon. Sanct. Vestrae.*
Vincentius Estaper *Presb.*
Ioachim de Ayerve et Pricto.
Iosephus Maria Odena *Notarius Regius Barchinonae.*
Ioannes Baptista de Ros.
Nicolaus Tous.
Andreas Bess. et Domenech.
Stephanus Maignon et Duran.
Raymundus Taxonera.
Iosephus Essaltèr.
Marianus Crus.
Isidorus Xalabardèr
Ioannes Húgas *Presb.*
Raimundus Muns *Causarum in Foro Patronus.*
Iosephus Antonius Taumar *Notarius Regius Barchinonae.*
Vincentius Agemi.
Iosephus Mer et Serra.
Iacobus Moré et Bosch.
Aloysius Gonzaga Bachs, *Iuris Civilis Licentiatus.*
Salvator Rosés.
Petrus Veronensis Bachs.
Caietanus Marrugat *Artium Magister.*
Mauritius Bruquetas.
Philippus Lluch.
Raymundus Rius.
Iosephus Rovellat *Secretarius.*

VI.

DEL COLLEGIO DEGLI AVVOCATI

DELLA CITTÀ E DIOCESI DI ORIHUELA

BEATISIMO PADRE

El Colegio de Abogados de la Ciudad y Diocesi de Orihuela en España, humildemente postrados á los pies de Vra. Santitad dice: Que escitados sus Yndividuos de la tierna devocion á la Santisima Virgen Maria Madre de Dios, la eligieron y veneran como su especial Patrona en el Misterio de su Inmaculada Concepcion; y deseando con las mas vivas ancias contribuir por su parte á cuanto sea de la mayor gloria y honor de la SSma Virgen, y persuadidos tambien seria del mayor consuelo para toda la Nacion Española, y conforme a sus votos y deseo de que se halla animada siguiendo el ejemplo de sus Obispos y Pastores, que la piadosa y perpetua creencia del Misterio de la Concepcion Inmaculada de la siempre Virgen Madre de Dios, fuese elevada á creencia de Fè con una Decision Dogmatica de la Santa Sede.

Ruega humildemente y suplica, el Colegio de Abogados de Orihuela y a su nombre los individuos de la Junta de Gobierno que subscriven, a Vra. Santitad, se digne declararlo asi, á mayor honra de Dios, alabanza de la SSma Virgen Maria, y provecho y utilitad de la Santa Yglesia Catolica.

Beatisimo Padre

Orihuela 1. de Iulio de 1849.

Iginio Garcia *Decano*
Rafael Pastor *Vocal Tesorero*
I. Gallego *V. Srio.*

VII.

DEL GOVERNO ECCLESIASTICO

DI PLEBUA

BEATISSIME PATER

Fratribus Vestris in Domino semper gratissimae Litterae gratissimaeque necnon admirantibus quem elegit D. O. M. ad dirigendum currum Israel difficillimis hisce temporibus, quanta gaudia infuderunt cordibus nostris dicere nequeam. Nec certe minori iam tanto tempore viduatae Ecclesiae nostrae indigebant consolatione, quam grande dulceque illud de immaculatae Sanctissime Virginis Conceptione propositum unanimiter amplexari. Et quid dicam ego? Misericordiam illam quae inter tantos praeclaros, me indignum minimumque sane, praelatos posuit, tantae causae opem ferre, semper benedicam ac collaudabo!

Ad pedes igitur Sanctitatis Vestrae, tanta condignitate summam Catholicae Apostolicaeque Sedem occupantis ponimus illud votum nostrum: sit dogma fidei declaratum Sanctissimam Virginem fuisse sine peccato conceptam a primo suae Conceptionis instanti.

Nec nostra non solum vota flagrantissimaque sunt desideria; totius vero huius Dioecesis fidelium in illud concordare pro veritate attestor. Dicereque non vereor et divitem et pauperem et ignorantem nec non scientia praestantiorem idipsum sentire ac profiteri. Quid dico! Omnes ad instar lactentis infantis ubere de Caelo pleno istam hausere veritatem. Mos est, Beatissime Pater, in istis Regionibus audire iam inter prima infantium verba pium salutandi modum: « Ave Maria Purissima sine peccato concepta. » Haec seminata in tenero corde, atque sedulo rigata pietatis semina, adeo profundas egerunt radices, ut annuntiata vestra pretiosa Encyclica congregato

populo dictitare audiverimus verba ista credimusne unquam diverse? De mane usque ad vesperam in laetis, tristibusve casibus benedicere, vel invocare Immaculatam Conceptionem patres nostri consuevere, sic et nos repetere consuemus: « Ave Maria Purissima sine peccato concepta. » Verba quidem sunt haec populi civitatum; dulciora vero nimis resonant de ore operariorum eadem cantantium ad ortum solis et occasum.

Quid plura Beatissime Pater? Iudicia sane universi non solum populi nostri generatim; diversarum vero corporationum civilium religiosarumque sunt ista. Testes enim sunt ampliora municipii huius civitatis exposita: testes sunt Athenaei qui ut plenum suum explicent animum, non dubitarunt nobis revocare memoria leges antiquas quibus nemo in collegio suscipiatur, aut ad quandam sive iurisprudentiae, sive medicinae, sive aliam suscipiatur dignitatem, nisi iurata fide de Sanctissimae Virginis purissima Conceptione. Addere post haec forsitan iuvabit clausulam unius expositionis huiusce provinciae Capitis. Magnopere, inquit, mihi delector Christianos universim tractare, ut haec confirmetur fides decisione Sedis Apostolicae atque participare me protestor in omnibus affectibus quos dictae litterae pontificales vobis inspiravere.

Restat memorare tandem nostri venerabilis Cleri quoque sensa. Grandis omnium novitate commotio! Vero: quanta cum benedictione Encyclicas Vestras Litteras fuere receptas: quantaque fausta ex illis patres pronosticavere populo haud dicere possimus! Utinam Beatissime Pater providentiam divinam sic disposuisse de Pio IX. ut Vestra felici cooperatione, illa de Sanctissimae Virginis Conceptione causa peracta, Divinae Matris propterea quoque intercessione, terminentur inquietudines Vestrae, perturbationesque civiles Urbis eternae (de quibus vobis et nos condolemur) tollantur e medio; et omnes sint fratres in unum; et pluant super Vos felicia maiora! Generatio felix que oculis suis videre poterit salutarem illam diem qua applicentur verba: *Roma locuta*. Haec ultima Cathedralis nostri Capituli sunt, quae dixisse ne equo longius Vobis videar ingentem multitudinem eiusdem generis testimonia memorare non debebo,

renovando vero libentissime meum explicitum, totius nostri Cleri et populi votum, terminabo, asseverando Vestrae Sanctitati, nostra esse desideria, ut sit dogma fidei divinae, id quod credimus et profitemur cum Sancto Ioanne Damasceno: « Etenim natura gratiae cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens . . . . tantisper expectavit, dum gratia suum fructum produxisset. » Imploramus denique benedictionem Vestram, dum tota humilitate, reverentia, obedientiaque ad Vestros pedes prosternimus.

Ad pedes Vestrae Sanctitatis

Beatissime Pater.

Angelopoli die octava mensis Septembris anno 1849.

Humillimus Servus, et Filius
Angelus Alonso, et Pantiga.

VIII.

DEL VICARIO CAPITOLARE

DELLA METROPOLITANA NEL MESSICO

BEATISSIME PATER

Iosephus Maria Barrientos in sacro Iure Licenciatus, in Alma Mexicana Metropolitana Ecclesia Doctorali Canonicatu insignitus, eiusdemque Ecclesiae Sede vacantis Vicarius Capitularis, ad S. V. pedes prostratus expono: Quod summa quidem animi alacritate ac laetitia, gratissimae Vestrae Beatitudinis Litterae, amore et pietate refertae, Caietae IV nonas februarii huiusce anni datae, VI Calendas iunii accepi; ex quibus quam iucundissime intellexi, Sanctita-

tem Vestram magnopere agnoscere exoptare, quae, quantaque sint et mea, et gregis meae curae concrediti vota ac desideria, ut immaculatus Sanctissimae Virginis Deiparae Conceptus inter fidei catholicae veritates, solemni Ecclesiae ac Sedis Apostolicae auctoritate et iudicio, tandem aliquando decernatur.

Quo ad me spectat, Beatissime Pater, nihil certe gratius, nihil iucundius, nihil optatius, quam tam gloriosa, tam felici, tamque fausta die gaudere mihi aliquando contigere poterit.

Si in Mexicana Dioeceseos Clerum oculos coniicio, eum, flagrantissima erga illibatam Virginis Deiparae Conceptionem charitate flagrare, atque ardere facile invenio.

Quid voro de Nationali Pontificiaque Universitate? quid de Seminario conciliari dicam? In illa, nemo prorsus ad academicos gradus suscipiendos admitti valet, nisi prius intemeratum Almae Dei Genitricts Conceptum publice et clam defendendi iusiurandum praestiterit. In Ecclesiastico Seminario, et qui eidem Collegio praeest, et qui scientiarum edocendarum munere funguntur, et qui ad ingrediendam studiorum rationem admittuntur, pro suis muneribus obeundis, eos praedicto iureiurando obstringi necesse est.

Accedit, Beatissime Pater, quod illa Academia ac Seminarium, necnon multae Religiosae Familiae, Beatissimam Virginem Mariam in primo suae Conceptionis momento ab originali labe omnino immunem, ut clementissimam Parentem, et praecipuam venerandam Patronam selegerint; eique non quotannis solum, sed multoties in anno, devotionis, amoris, obsequii, et grati animi signa publice, aperte, magnificeque tribuunt.

Summae populi Mexicani religionis erga Sanctissimum Deiparae Conceptum plurima proferre possem argumenta. Pauca tamen, temporis brevitate in medium mihi liceat afferre. Non modo in viis palam, multis diebus, praesertim VI Idus Decembris, verum domesticus etiam intra parietes, tum a divitibus, cum a pauperibus, miranda quidem devotione, tantae Virginis, Matris nostrae suavissimae laudes celebrantur. In templis praesertim, fidelium pietate extructis, semper est Paeclarissimae Virgini altare consecratum.

Religio erga immaculatam Dei Parentis Conceptionem adeo est ubicumque diffusa, et propagata, ut, feliciter, nullus vicus, ne vilissimus quidem, existat, quo non pervaserit. Re denique accurate perspecta, hac de re, difficillimum certe erit in toto terrarum orbe quemdam populum invenire, qui, non dicam superare, sed ne aequare quidem Mexicanum possit.

Quae cum ita sint; mihi dubium minime est, venerande universalis Ecclesiae Pastor, Mexicanum populum, piissimam de immaculata ter Sanctae Virginis Conceptione sententiam ad fidei veritatis amplitudinem evehi, et summis votis studere ac expetere, et uno ore etiam atque etiam postulare.

Utinam, Pater Sanctissime, haec dies populo Mexicano gloriosissima, haec dies, inquam, omni laude, praedicatione, litteris, monumentisque decoranda, nobis quamprimum tandem aliquando illucescat!

Ut autem D. O. M. sapientissimus luminum Pater, in hoc tanti momenti negotio, fulgentissimis lucis suae radiis, mentem Vestram, Beatissime Pater, illustrare dignetur, in omnibus huiusce Dioeceseos templis Divinam praepotentem opem precibus exorare, a me statutum fuit ac decretum.

Quod si in Sanctitatis Vestrae Pontificatu immaculatam Sanctissimae Deiparae Conceptionem fidei nostrae veritatibus ascribi contingat; in Mexicanorum cordibus, vel postquam debitum naturae Beatitudo Vestra persolverit, adhuc vivet; et ita vivet, ut veneranda tanti Pontificis memoria, omnium fidelium Pater colendissime, nulla unquam oblivione deleatur.

Antequam vero harumce litterarum modum faciam, Beatissime Pater, Vestram Apostolicam benedictionem mihi, huius Dioeceseos venerabili Clero, populoque huic fideli tribuere dignemini, iterum atque iterum demississime obtestor ac deprecor.

Beatissime Pater

Datum Mexici IV Idus iulii anni Domini 1849.

Ioseph Maria Barrientos.

IX.

DEL CAPITOLO DI PISTOIA

BEATISSIME PATER

Simul ac Venerabiles Literas a Sanctitate Vestra Caietae postridie Kalendas Februarii datas, paucis ab hinc diebus accepimus, nihil nobis prius fuit, quam ut sanctis desideriis Vestris atque iussis satis, qua devotos totoque animo subiectos filios decet, faceremus, eaque omnia, de quibus in iisdem quaestio est, studiose requirere, et quidquid nobis reperire datum fuit maiore qua potuimus diligentia ac perspicuitate referremus.

Ecclesiam pistoriensem B. M. semper Virginem, quam indesinenter ut patronam suam singularem suspexit ac peramanter coluit, sub Conceptionis titulo iampridem veneratam fuisse, vetusta atque insignia testantur monumenta, quorum primum illud praeclarum ex Archivii nostri tabulis eruitur quod *Boncettus de Bonifaciis* Presbyter Canonicus eiusque soror *Betta* capellam in hoc Cathedrali templo saeculo XV ineunte erexerint ac redditibus satis amplis ditaverint.

Insuper perantiqua Imago B. Virginis, quam ante saeculum XII in pariete eiusdem Ecclesiae cathedralis depictam fuisse, perspicua certaque argumenta tradunt, nomine ac titulo SS. Conceptionis excultam fuisse comperimus. Huius tamen denominationis indubia vestigia saeculi XVI initium non excedunt. Circa idem tempus simplex beneficium in eiusdem Conceptionis honorem a *Marco de Monte acuto* institutum fuit.

Inter Sanctorum reliquias, quibus Ecclesia haec cathedralis honestatur, vetus theca occurrit reliquias S. Crucis ac B. Virginis complectens quam prisco more in litaniis minoribus ad agros bene-

dicendos deferre solemne habemus quaeque in parte postica anagraphim inscriptam refert *B. Maria sine peccato originali.*

Haec ad praeteritorum temporum huius dioeceseos fidem ac in B. M. Virginis Conceptum venerationem constabiliendam sufficere existimavimus. Quod ad tempora in quibus versamur attinet periucundum nobis accidit quod eius devotionis atque cultus erga B. Virginis immaculatam Conceptionem haec proferre valeamus documenta. 1°. Mos iamdiu invectus eiusdem festum votivum celebrandi in omnibus anni sabbatis haud impeditis, etiam in Adventu et Quadragesima ex speciali privilegio; 2°. Deinde devotio erga SS. Cor immaculatae Virginis Mariae pro remissione peccatorum, ut dicunt, quae statim ac in Ecclesia eidem BB. Virgini dicata inducta fuit, magnum populi concursum ac celebritatem ad eam confluere cum animorum nostrorum maximo oblectamento atque aedificatione perspeximus; 3°. Eiusdem populi pietas, ac Sacramentorum frequentia qua Conceptionis festivam diem VI Idus Decembris colere assolet; 4°. Denique consuetudo quae in nostris scholis theologicis invaluit sententiam affirmantem de immaculata Virginis Conceptione docendi ac tuendi.

Haec documenta BB. Pater esse satis superque duximus quae, dum de hoc praecipuo religionis christianae capite nostrae Dioeceseos concordem continentemque sententiam exhibent, fidem etiam certissimam faciunt, eam grato admodum obsequentique animo excepturam oraculum Beatitudinis Vestrae, quod ei de hac tam gravi re ab altitudine Sedis Apostolicae pronunciare visum fuerit, ac fore ut Christifidelium animi magis ac magis erga B. Virginem S. Ecclesiae singulare praesidium inflammentur, quo praesentissimum patrocinium ac emolumentum eadem Ecclesia universa in discriminibus ac calamitatibus, in quibus nunc obversatur habitura, plenaque tandem tranquillitate, cuius, adiuvante Numine, spes non modica affulget, potitura sit.

Hanc opportunitatem SS. Pater, libentissimo animo nacti sumus, qua absolutam devotionem atque obedientiam nostram erga Beatitudinem Vestram sanctamque Apostolicam Sedem, quod iamdudum

in votis erat, profiteremur, Vestramque Apostolicam Benedictionem ante Vestros SS. Pedes subnixi genibus imploraremus. Dumque pro Vestra incolumitate, utque Deus in Apostolorum Sedem sanctamque Urbem, quod totus christianus Orbis exoptat, quantocius Vos restituat fervidissimas precationes fundimus, obsecramus simul enixe, ut in hanc moerentem Dioecesim benignos oculos coniicere eiusque orbitatem ac solitudinem, quemadmodum Vestrum clementissimum cor ac plane coelestis sapientia suggerit, libeat erigere atque solari.

Beatissime Pater

Dabamus Pistorii pridie X Kalendas Septembris an. 1849.

Obsequentissimi Famuli ac humillimi in Christo Filii

Angelus Cecconi *Canonicus Archipresbiter.*
Ioseph Tarugi *Canonicus Decanus.*
Aloysius Sozzifanti *Canonicus Thesaurarius.*
Ioannes Leoni *Canonicus Rector.*
Aloysius Corsini *Canonicus Sacrista.*
Aloysius Buscioni *Canonicus Primicerius.*
Michael Angelus Nesti *Canonicus Praefectus.*
Franciscus Cecconi *Canonicus.*
Carolus Dini *Canonicus.*
Franciscus Trinci *Canonicus.*
Alexander Bernardini *Canonicus.*
Ioseph Baldi *Canonicus.*
Paulus Carradori *Canonicus.*
Aloysius Pratesi *Canonicus.*
Robertus Galli *Canonicus.*
Aloysius Pillotti *Canonicus Poenitentiarius.*
Torquatus Rossi-Melocchi *Canonicus.*
Ioannes Breschi *Canonicus.*
Baccius Scarfantoni *Canonicus*
Gherardus Tozzi *Canonicus.*
Angelus Bechi *Canonicus.*
Robertus Comparini *Canonicus.*

Producitur authenticum hoc exemplar ex actibus Archivii Capituli Pistoriensis. Septimo idus Septembris anno 1849.

Archipr. A. Cecconi *Vic. C.*
D. Dom. Bozzi *Canc.*

X.

DEL VICARIO CAPITOLARE DI LUCCA

BEATISSIMO PADRE

. . . . . .

Colgo intanto di mezzo alle lagrime questa propizia occasione per corrispondere alla Veneratissima Enciclica del 2 febbraio riguardante il soggetto dell'Immacolata Concezione di Maria Vergine. Beatissimo Padre, io mi conforto nel comunicarle la fausta novella che tutto il popolo Lucchese con veemenza di religioso affetto attende il sospirato istante di sentire annoverato fra' dogmi di fede l'articolo, che Maria SSma fu concetta senza colpa originale. Il Clero tutto ha espresso egualmente questo desiderio vivissimo.

Io poi dovendo dare come Ordinario il mio parere per corrispondere alla Ven. Enciclica, ho voluto interpellare il sentimento dei Professori Teologidi questa città, col quale per argomenti tratti dalla S. Scrittura, dal Concilio di Trento, e dai fonti consueti, non esclusa l'istoria, si prova esser certissimo che Maria Vergine fu immune affatto dalla colpa originale. I prefati Teologi conchiudono (ed io con esso loro in tutto m' unisco) dicendo che aspettano con vivissimo ardore uniti al popolo quel beato giorno, in cui venga la B. Vergine per l'Apostolica dichiarazione decorata dell'ultimo e più splendido fregio che sustanzialmente la innalza e distingue sopra tutte le figlie di Sionne: ed io aggiungo che suggella la ragione per cui l' Immacolato Corpo della Vergine Madre di Dio non soggetto alla corruzione fu per mano degli Angeli assunto in Cielo.

. . . . . .

Prostrato al bacio del S. Piede ho l'alto onore di essere

Della Santità Vostra

Lucca 6 Ottobre 1849.

Umilissimo, Devotissimo, Obbidientissimo Figlio

Paolo Can. Bertolozzi *Vicario Capitolare.*

XI.

DEL PARROCO DI S. MARCO

DEL PONTE DI BRENTA NEL COMUNE DI PADOVA

BEATISSIMO PADRE

Ricordo colla più viva commozione dell' animo essere io stato il primo della Diocesi di Padova a baciare il piede alla Santità Vostra, e ciò fu nel venerdì che precedette la solenne Vostra coronazione, alla quale ebbi ancora la sorte di assistere.

Non mancai fino d'allora nelle cotidiane mie preci ricordarmi distintamente e con trasporto di affetto di Vostra Santità.

Ai lieti giorni felici succeduti giorni tristi ed infelici, raddoppiai le suppliche, pregando Dio Signore e la Beatissima Vergine per la conservazione di una vita così preziosa, e tanto cara a tutti i veri fedeli.

Dal giorno poi in cui con una lettera delle monache dell' Umiltà ricevetti da Roma una stampa della preghiera *Da pacem Domine* tanto raccomandata dalla Santità Vostra, non cessai di ripeterla ogni giorno e in privato e in chiesa unitamente al mio popolo, coll' aggiunta della Colletta *Deus omnium fidelium Pastor*. Procurai ancora coll' assenso di Monsig. Vescovo divulgarla per tutta la Diocesi, e altrove colla ristampa, e coll' iscriverla sul *Giornale dei Parrochi* compilato qui in Padova dall' egregio Prof. Ab. Marzuttini.

Ora nello stesso Giornale avendo trovata inserita l' Enciclica di Vostra Santità diretta a tutti gli Arcivescovi e Vescovi dell' Orbe Cattolico coll' inchiesta della loro opinione sul punto dell' Immacolata Concezione di Maria Santissima; n' esultò il mio cuore di pura gioia, ed ho presentimento, che da questa dichiarazione dipenda la pace tanto bramata d' Italia e d' Europa. Porto sì ferma speranza, che Maria Santissima e per confermare i fedeli tutti nella fede di

questo Mistero, e per mostrare il suo sovrano aggradimento, farà risplendere la bella Iride di pace, che continuamente s'implora, e che da tutti tanto si brama e si sospira.

Intanto prostrato a Vostri santi piedi, Beatissimo Padre, io l'infimo di tutti i Pastori chiedo umilissimamente perdono dell'ardimento nell'appalesare col più profondo rispetto alla Santità Vostra questi ingenui sensi e questi voti ardentissimi dell'animo mio, e prego insieme della Pontificale Vostra benedizione che si estenda sopra di me, e del devoto mio Gregge e sopra tutte le figlie spirituali poste e raccomandate alla mia direzione.

Di Vostra Santità

Comune di Padova Sezione e Parrocchia di S. Marco Ev. del Ponte di Brenta 13 Maggio 1849.

Umilissimo Divotissimo Ossequiosissimo Servo
D. Ignazio Spada *Parroco.*

XII.

DEL CAN. PRO-VICARIO GENERALE

DELLA DIOCESI DI VENOSA

Beatissime Pater

Peculiari nos affecerunt laetitia Vestrae, Beatissime Pater, Litterae Encyclicae Caietae editae die 2 Februarii 1849 de Beatae Mariae semper Virginis Immaculata Conceptione definienda. Singulari nos affecerunt gaudio ; nam quod pientissimo ab hinc tot annis nostro denunciabatur desiderio, quod tot fidelium postulationes, tot piorum vota, quod universa Ecclesia tanto devotionis amore optabat ex animo, illud ipsum abs Te promotum summa experimur erga nos paterna caritate, summa benevolentia. Re quidem vera, omnibus, Clericis, regularibus cuiuscumque Ordinis, Laicis cuiusvis caetus, aetatis, sexus, viris virtute, pietate, doctrina praestantibus, omnibus erat in votis, ut Illam, quae Divinae Maternitatis honore, gratiarumque plenitudine ad instar solis fulgebat, immunitatis gloria ab omni prorsus labe originali, ex solemni Ecclesiae iudicio, ex Sedis Apostolicae, quae est, cathedra veritatis, auctoritate, singulari coluissemus obsequio, generali devotionis cultu. Velit Ipsa, et nos precamur ex corde, totisque viribus, cum extent ubique terrarum, ubique gentium suae Maternae protectionis impressa monumenta, nostras miserans temporum acerbissimas angustias, Ecclesiaeque militantis aerumnas, potenti virtutis suae ope apud Deum avertere mala, quibus undique vexatur illa, quibus nos in dies affligimur maximo animi maerore. Levemus idcirco oculos manusque ad Eum, qui humiles sublevat, potentes deprimit, sanat elisos, et multa prece rogemus, ut data per Genitricem Ecclesiae pace, Te superno Divini Sui Spiritus lumine perfundat ad definiendum ut fidei nostrae dogma, quod in sanctissimi nominis sui gloriam, et in beatis-

simae Mariae Virginis laudem intendit. Haec est pietas omnium, haec nostrae Dioecesis intima expectatio, haec omnium Ecclesiarum solicitudo.

Quod tantum bonum, ut supplicibus votis obtineamus, abs Vestra, Beatissime Pater, summa charitate, ore et corde ferventer exponimus, petimus, postulamus, deprecantes nobis gregique nostro Apostolicam benedictionem.

Datum Venusii die 1. Maii 1849.

Ioseph Maria Can. Piceco *Pro Vic. Gen.*
Ioannes *Sacerdos* Mastrafiso *Cancell.*

XIII.

DEI TRAPPISTI DI EGUEBELLE

DIOCESI DI VALENZA IN FRANCIA

BEATISSIME PATER

Liceat pusillo gregi Trappensium Aquaebellae, in Dioecesi Valentinensi, in Gallia (Drôme), ut filiorum Sanctitati Vestrae addictorum, de perpetuo silentio Claustri vocem extollere, qua inenarrabilem laetitiam ex Litteris Vestris de Immaculata B. V. Mariae Conceptione ortam, ad pedes Sanctae Sedis provoluti quantocius depromant. Fuere vere verba Vestra verba exultationis et iamdudum desiderati nuntii in tabernaculis nostris, in quibus Beatissima Virgo sub hoc titulo ipsi soli proprio, peculiari honore colitur.

Eructa igitur, Beatissime Pater, ut legitimus B. Petri Successor et D. N. I. C. Vicarius, illud verbum bonum quo unanimi consensu Coelum et terra et omnes filii Mariae qui habitant in eis exultent *Beata Virgo Maria in Conceptione sua fuit a labe originalis peccati*

penitus immunis. Tunc gaudium nostrum erit plenum, novum decus Pontificatui vestro addetur, corona B. Virginis lucidiori splendore fulgebit, et in illo pretioso manuum suarum opere tota Trinitas Sancta coram omnibus glorificabitur. Illucescat igitur, Beatissime Pater, dies ille fortunatus nimis quo Veneranda illa traditio in articulum irrefragabilem fidei ex sententia oris Vestri convertetur. Illucescat et potentiori ictu Tartareae Potestates conculcabuntur; impius in furore suo magis ac magis fremet et tabescet; omnes Catholicae Gentes plaudent manibus; gloriam Regni Vestri dicent et Pontifex tanti B. V. Mariae privilegii declarator ex Cathedra celebrabitur usque in generationem et generationem.

Beatissime Pater, Sanctitatis Vestrae,

Die Maii 9 A. D. 1849.

Humillimi et Obedientissimi Filii
Fr. Orsisius, *Aquaebellae Abbas*
Fr. Bernardus *Prior*
F. M. Caesarius *Secretarius*

XIV.

DEL CAPITOLO E DEL CLERO

DI VENAFRO

Beatissime Pater

Postquam perspeximus, Sanctitatem Vestram, ad vota nupera Pientissimi Regis nostri Ferdinandi II., Missam Officiumque proprium de Immaculata B. V. M. Conceptione omnibus citra Pharum Ecclesiis concepisse, magna nos supra modum, ob praeclarum Sanctitatis Vestrae munus, laetitia affecti sumus, eo quod Beatissima Virgo sub hoc titulo non solum Regni totius praecipua, sed et huius etiam Civitatis Venafri peculiaris, et prima merentissima Patrona haberetur; adeo ut solemne iamdiu Eiusdem Festum cum nundinis heic celebretur, et inter Missarum Solemnia ad Altare publica vota per Magistratus quotannis deferantur, cereos, clavesque Urbis humillime offerendo. Extat insuper, duobus abhinc saeculis, in Ara, suo Nomini addicta, Eiusdem Virginis perpolitum e ligno ab egregio sculptore Simulacrum, quod dum pulchre Immaculatam Reginam repraesentat, in eamdem omnium pietatem, cultumque exagitat.

Enimvero, Beatissime Pater, quam iucundum, ni longius, foret enarrare, amantissimam Matrem nostram Conceptam, in rebus dubiis quamplurimis, periculis, vicibusque adversis, et asperis quam nobis opportunum praebuisse auxilium, et Civitatem, et Cives incolumes hucusque servasse!

Ex communi igitur pietate commune votum liquet, pro quibus expetitur, ut tandem per S. V. decernatur, fideique adnectatur articulis, Mariam semper Virginem absque ulla prorsus levi labe in Beatae Ipsius Parentis visceribus fuisse conceptam.

Neque fas sit coram Sanctitate Vestra, quae Prima, et infallibilis doctrinae, et veritatis Cathedra inest, de Privilegio eiusmodi amplius dogmatizare, quum satis, superque disputatum sit, et communi SS. PP. consensu compertum, ut pro certo illud teneamus, nisi expresse, impliciter tamen, et ex adiunctis in Sacris Literis contineri.

Sapientiam namque *aedificasse sibi Domum*, prout in *Proverb. IX.*, Divinorum PP. testimonio Mariae veraciter competit, in qua Templum suum extruxit Aeternum Verbum, electa sibi Matre. Et Domus huiusmodi ab initio quam digna Deo, qui author est gratiae, debuit esse, et omnino ullius originalis maculae expers, ubi iam *exciderat columnas septem*, nempe universas virtutes? Quomodo habitaculum Divinitatis *corporaliter*, et quod aeterna Sapientia iam sibi pararat, esse non meruit, nisi plene purum, plene sanctum, et plene ab omni vel levissima labe mundatum?

Hinc in huiusmodi aedificatione, quod fuit a Conceptionis eius primissimo instanti, Aeternus Salomon iure protulit, dicens, *quam pulchra es, Amica mea, et macula non est in Te!* Quae verba Beatae Virgini soli appropriant Rupertus, Psellus, Ugo uterque, S. Thomas, Galatinus, et S. Ildephonsus de laudibus B. V.

Cum ipsa tota pulchra sit, non omnium tantum hominum, sed et Angelorum pulcherrima, et nulla sit in Ea macula culpae, vel poenae, sive originalis, sive mortalis, sive etiam venialis, uti tota sentit, et consentit Ecclesia, teste Concil. Trident. (*Sess. V. de pecc. orig.*) idcirco S. August. *de Nat. et Grat. cap. 36.*, cum omnes homines, etiam iustos, peccato veniali subiacere dixisset, subdidit, *excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. Unde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, ac parere meruit Eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Hinc *ardens rubus*, quem vidit Moyses *incombustum*, non de perpetua tantum Mariae Virginis integra Puritate, sed et de Immaculato Conceptu intelligamus oportet, veluti etiam *de lilio inter spinas*,

adeo ut si Protoplastorum naturam, tamquam haeres, Ipsa portaverit, nullatenus vero culpam, pro qua antiqui colubris, eius *calcaneo insidiantis*, *caput statim conterere* gloriose meruerit.

Subtilissimus Schotus, tamquam allatus Moyses, vidit primus *Visionem* hanc *magnam*, et pro tanto mysterio feliciter pugnavit, in eiusque sententiam totus Catholicus Orbis iubilans abiit [1]. Neque tantum simplex fidelis populus, sed et doctiores Viri, celebrioresque Europae Academiae, et Sacrosancti, (quod magis interest) Iesu Christi Vicesgerentes in unum confluxere, ut allatum Privilegium pro certo haberent, colerentque, silentium ulterius indicendo, ne mysterium istud in quaestionem amplius adduceretur.

Quae quum ita sint, et post effusas ad Deum preces, ut S. Vestrae praescripto, per Literas Apostolicas, die secunda februarii currentis anni Caietae exaratas, libentissime pareremus in hac tanti momenti re, unum tantummodo, Beatissime Pater, exoptamus, S. Vestram de praefato Immaculatae Conceptionis Articulo statuere quamprimum dignari, ut piae universali sententiae, quae iam tenetur, firma ulterius adducatur fides, et quam maximus omnium augeatur Cultus in Sanctissimam Dei Matrem Conceptam, quae sicut meruerit cunctas haereses sola interimere in universo mundo, ita peculiare suum, hisce praesertim tempestatibus, praebeat auxilium, Sanctitatem Vestram Apostolorum Principis Romanae Sedi, eiusque pristinae Ditioni, materno quo solet affectu, et ad bonum commune, velociter reddendo; fidelium mentes, et corda ad unum Pasto-

1 « Nos considerantes... praef. Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, « ac Philippi Regis, eiusque Regnorum oblatam, Nobis instantiam, ac preces, Con- « stitutiones, et Decreta a Romanis PP. praedecessoribus Nostris, et praecipue a « Sixto IV. Paulo V. et Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis, ani- « mam B. M. V. in sui creatione, et in Corporis infusione Spiritus Sancti gratia do- « natam, et a Peccato Originali praeservatam fuisse, nec non in favorem Festi, et « Cultus Conceptionis eiusdem Deiparae Virginis, secundum piam istam sententiam « innovamus, et sub censuris, et poenis etc. etc.

Sic habetur in Bullar. Rom. *Tom. V.*, Bulla Alexandr. VII. quae incipit: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* etc. §. IV.

rem, unumque Ovile suo lumine dirigendo; pacemque Filii Sui nostris tandem temporibus misericorditer afferendo.

Fiat, Domine, precibus et meritis Immaculatae Virginis Mariae. Amen. Amen.

Omnibus Nobis humiliter postulantibus de Venefrano Capitulo, et Clero subscriptis, Dignitatibus, et Canonicis, Canonicis Hebdomadariis, Parochis, et Canonicis Supranumer., devotissimis Subditis, deosculari pedes beatos liceat, dum Sanctitatem Vestram de Apostolica Benedictione flexis genibus obsecramus.

Datum Venafri postr. Id. Aprilis anno 1849.

Ego Gabriel *Archidiaconus Theologus* Cotugno *Prima Dignitas.*
Ego Ioannes Baptista *Primicerius* Melucci, *Tertia Dignitas.*
Ego Alexander Melucci, *Canonicus Decanus.*
Ego *Canonicus* Ioannes Franciscus Armiesi.
Ego Carminus *Canonicus* Criscuolo.
Ego Gregorius *Canonicus* Lucenteforte.
Ego Franciscus *Canonicus* Lucenteforte.
Ego Raphael *Canonicus* Guarino.
Ego Carolus *Canonicus Poenitentiarius* Monselli.
Ego Hyacintus *Canonicus* Massaregli.
Ego Benedictus *Canonicus* Pilla.
Ego Ioseph *Canonicus* del Prete.
Ego Ioannes Baptista *Canonicus* Monachetti.
Ego Hieronymus *Canonicus* Lucenteforte.
Ego Achilles *Canonicus* Mancini.
Ego Alexander *Canonicus* Massaregli.
Ego Nicolaus *Canonicus* Lucenteforte.
Ego Heliodorus *Canonicus Hebdomadarius* Capaldi.
Ego Ioseph Ottaviani *Canonicus Hebdomadarius.*
Ego Ioannes Baptista Siravo *Canonicus.*
Ego Philippus Greco *Canonicus Hebdomadarius.*
Ego Ioannes Galardi *Canonicus Hebdomadarius.*
Ego Raphael Cimino *Canonicus Hebdomadarius.*
Ego Petrus Paulus Mancini *Canonicus Hebdomadarius.*
Ego Nicolaus Guarini *Canonicus Hebdomadarius.*
Ego Franciscus Fusco *Canonicus Hebdomadarius.*

Ego Ioannes Baptista Cotugno *Canonicus Hebdomadarius*.
Ego Horatius *Canonicus Sup.* Ottaviani.
Ego Raphael *Canonicus Sup.* Marciano.
Ego Cyrus *Canonicus Sup.* Lucenteforte.
Ego Franciscus *Canonicus Sup.* Del Vecchio.
Ego Ioseph *Canonicus Sup.* Giorgio.
Ego Vincentius *Canonicus Sup.* Morra.
Ego Ioseph *Canonicus Sup.* Samerone.
Ego Aurelius *Canonicus Sup.* Del Vecchio.
Ego Ioannes Scarabeo *Parochus*.
Ego Beniamin Samerone *Parochus*.
Ego Gabriel Foglietta *Parochus*.
Ego Michael Vitale *Parochus*.
Ego Salvator Borrelli *Parochus*.
Ego Fabius Bocchini *Parochus*.
Ego Caietanus Samerone *Parochus*.
Primus Primiceriatus Secunda Dignitas, nec non quatuor alii *Canonici Supranum*. amodo vacant.

XV.

DEI VICARII CAPITOLARI

DI MELFI E RAPOLLA

Beatissime Pater

Cum ex Literis Beatitudinis Vestrae Caietae scriptis postridie Kalendas proximi elapsi mensis Februarii sanctas*, atque Apostolicae Sedis quam dignissimas sollicitudines declarandi scilicet Gloriosissimam Dei Genitricem in ipso sui Conceptus momento ab omni originali culpae labe prorsus omnino immunem fuisse perspexerimus; tanta quidem laetitia, ac religiosa animi nostri suavitate id suscepimus, ut ulla maior mente excogitari possit.

Fervidas proinde preces obsecrationesque Deo Optimo Maximo effundere, ut par est, haud desinamus, ut Divino eius Spiritu adflati tum Emi Sacri Collegii Cardinales, tum quotquot alii, qui eodem Sanctitatis Vestrae desiderio flagrantes ad collustrandam tam magni ponderis disquisitionem convocari dignentur, in illam peroptatam eant sententiam, quae maior profecto Omnipotentis Dei Matri, nec non Sacrosanctae Catholicae Romanae Ecclesiae honorem, gloriamque sit allatura.

Obsequentibus nobis itaque tota ex animi nostri sententia tam piae voluntati Sanctitatis Vestrae hoc idem est in votis.

Quod quidem non solum optimae notae de hac re scriptores opinione, sed (quod caput est) praeclara nostri S. Alphonsi Mariae De Liguorio firmatur.

Quae cum ita sint, magnopere congaudemus, quod hanc, in qua per tot annos alii ab aliis discreparunt, quaestionem, non amplius in die esse patiaris, eamque tandem aliquando enodare ad perillustre Virginis Mariae trophaeum, adiuvante Deo, imbiberis animo. Et Tu,

ipsa auxiliante, quamprimum instar Praedecessoris Tui Pii PP. VII f. r. ad pervetustam S. Petri Sedem Rex sedire possis et valeas.

Quoad devotionem vero harum Dioecesum erga Immaculatam Virginem sine labe conceptam, cultus eius eo usque pertingit, ut nequaquam verbis adaequari queat; ita ut in festivitatis eiusdem Vigilia cuiuscumque conditionis homines et adolescentia florentes, et senio confecti cibo se abstinere magno sibi tribuunt honore neque quisquam est etiamsi in omni scelere, flagitiorumque involutus coeno qui Virginis Immaculatae cultui se addictum esse, eamque precibus, praesertim in adversis, efflagitare non glorietur.

Ex hoc vero amantissimo totius populi obsequio facile nitet et quanta apud Clerum observantia, ac reverentia Immaculata Virginis Mariae Conceptio effloreat.

Ergo, Beatissime Pater, ut cuncta uno perstringamus verbo, opinio cui nos iterum, iterumque adscribimus de Virginis primo immaculato Conceptus momento in hisce Diocesibus fallit prope neminem.

Ut autem Deo beneiuvante, haec nostra pia vota optatam possint pertingere metam iuxta pervenerabilia Sanctitatis Vestrae iussa, publicas in duabus Ecclesiis Cathedralibus, nec non in Matricibus Dioecesum preces fieri per triduum iam nostro mandavimus animo quam lubentissimo.

Denique ad Beatitudinis Vestrae pedes provoluti Sanctam Apostolicam Benedictionem, qua prae ceteris summopere indigere sentimus, ea, qua decet modestia, ac reverentia singulari supplices etiam atque etiam rogamus,

Datum Melphiae postridie Kalendas Aprilis 1849.

Devotiss. Servi, Subditi Oblimi, ac Filii Obseq. in C. I.
Remigius Xaverius Natalia *Vicar. Capit. Melphien.*
Franciscus Archid. Chiaromonte *Vic. Capit. Rapollae.*

XVI.

DELL' ABATE DEL MONASTERO

DELLA CONGREGAZIONE ELVETO-BENEDETTINA

BEATISSIME PATER

Quamprimum Litterae circulares Sanctitatis Tuae, Caietae secunda Februarii datae, deque Conceptione Beatissimae Virginis disserentes nobis innotuere, summo nos adfecerunt gaudio atque laetitia. Quamvis enim in summo rerum discrimine, a Pontifice solicitudinibus omnigenis presso, et proh dolor! a Pontifice exulante emissae sint: tamen laeta ac grata sonant, nec non laetiora atque gratiora promittunt. Hinc nihil nos continere potuit, quominus ad ea paucis respondeamus, scientes equidem, istas circulares ad solos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos esse directas, confidentes tamen, Sanctitatem Tuam non in sinistrum interpretaturam esse nostram scribendi audaciam, sed magis gratum, imo gratissimum ipsi fore, si opportune et importune ad Sanctam Sedem recurrimus, maxime si exinde aliquid honoris, utut exigui, B. Virgini adcrescit. Liceat ergo cum meo tum totius Congregationis Helveto-Benedictinae nomine sequentia exponere:

Congregationis Helveto-Benedictinae iacta fuere fundamenta post Christum natum anno 1602. Auspice Deo huius Congregationis Praesides atque Abbates nihil intentatum reliquerunt, quo magis ipsa floreret et radices figeret firmissimas. Quare, ut cetera praeteream, cum convenissent in monasterio principali S. Martini ad Muros, 22 Maii, 1737 decreverunt, ut Congregatio Helveto-Benedictina in futurum ferat titulum sacrum *Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis*, haud parum spiritualis incrementi exinde sperantes pro felici monasteriorum sibi concreditorum statu, nec non et

pro totius Congregationis prosperitate atque salute. Hinc festum *Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis* ceu titulare Congregationis Helveto-Benedictinae quotannis sub ritu duplici *primae* classis celebratum fuit ad nostra usque tempora, uti patet ex Breviario nostro, eodem anno 1737, die vero 10. Novembris a Summo Pontifice Clemente XII per Breve Apostolicum approbato. Ex quibus Sanctitati Tuae perspecta erunt nostrae Congregationis circa Conceptionem Beatissimae Virginis sensa, nec non et devotio, qua fertur in Protectricem suam dulcissimam. His pro tota Congregatione Helveto-Benedictina dictis ea adiungo quae monasterium Einsidlense singillatim attingunt.

Notum est universis, monasterium B. Virginis in Eremo initia ac progressus suos gloriosissimae Deiparae debere, quae praecipuo cultu per spatium mille annorum iamiam in Sanctuario nostro a tota Helvetia, nec non et populis circumiacentibus veneratur. Hinc maiores nostri ceu praecipui Dei Matris cultores hanc erga Beatissimam devotionem suis posteris quasi iure haereditario reliquerunt, ut et ipsi eorum vestigiis insistentes aliquid ad Mariae Matris suae, Thaumaturgae Einsidlensis honorem conferrent. Teste historia quod factum sit, multum in Domino confidimus. Quae vero specialiter Immaculatam Conceptionem Dei Genitricis spectant, sequentia sunt:

1.° Anno salutis 1676 in monasterio nostro usus incepit et usque ad praesens inolevit, videlicet in Salutatione Angelica post verba: « Sancta Maria, Mater Dei » encomium addendi *sine macula concepta*, seu ut in idiomate germanico sonat, *sine labe peccati originalis concepta*, ora pro nobis etc. Hic usus a monacho Einsidlensi, parocho et Confraternitatum Praeside, consentiente suo Principe Abbate, introductus non in monasterio solum viget, sed et in tota paroecia Einsidlensi, nec non et aliquibus aliis monasterio nostro incorporatis, ac etiam in monasteriis monialium iurisdictioni Abbatis Einsidlensis sublectis, et memoratum encomium *sine macula concepta* in omnibus omnino Salutationibus Angelicis tam in orationibus publicis quam privatis, in recitatione sancti Rosarii aeque ac in aliis precum generibus semper, constanter, ab omnibus, sacer-

dotibus et laicis, pusillis cum maioribus, adhibetur, *ita ut haec sola*, et non alia Beatissimam Virginem salutandi formula sit usitata.

2.° Anno 1688 in paroecia Einsidlensi, a Sacerdotibus Regularibus monasterii nostri administrata, Confraternitas Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis introducta fuit, quae communiter *hora aurea* dicitur, quia die octava Decembris, in festo Conceptionis B. Virginis, sodales dictae Confraternitatis per 24 integras horas a media nocte festi incipientis usque ad mediam noctem finientis, in turmas divisi, orare (quaelibet turma per integram horam) ac Deo eiusque Matri laudes persolvere tenentur, maxime benedicentes horam illam, in qua sine labe originali concepta fuit Beatissima Virgo.

Haec Immaculatae Conceptionis Mariae Confraternitas ad solos parochiales Einsidlenses primum restricta mox ad eos quoque extensa fuit, qui devote Sanctuarium nostrum inviserent: hoc enim erat in votis omnium ex tota Helvetia, Suevia, Germania et locis finitimis ad Thaumaturgam Einsidlensem peregrinantium. Hinc singulis annis multitudo copiosa peregrinorum Confraternitati immaculatae Conceptionis in sacra Eremo inscribitur ad minimum sex millia hominum utriusque sexus et cuiusvis conditionis.

3°. Quamprimum nummus iste miraculosus (médaille miraculeuse cum inscriptione: « O Marie conçue sans péché priez pour nous « qui avons recours a vous! ») Parisiis Lutetiorum excussus in regionibus nostris innotuit, monasterio Einsidlensi maxime cordi fuit, illum longe lateque propagandi, desuper scripta in sermonem germanicum vertendi et typis mandandi, sicque devotionem erga Beatissimam sine labe originali conceptam excitandi atque augendi. Hos pios conatus haud infructuosos fuisse, testantur innumerae gratiae ex ista devotione obtentae; testantur libelli publici beneficiis per intercessionem Deiparae obtentis referti ac fidelium omnium exinde veneratio erga Christi Matrem quasi ex fundamentis instaurata atque adaucta. Haec praedecessori meo, Abbati Coelestino, ansam dederunt scribendi Romam, enixeque Sanctissimum Patrem ac Dominum Gregorium XVI. Pontificem Maximum, tunc tempo-

ris feliciter regnantem supplicandi, ut ad monasterium Einsidlense universamque Congregationem Helveto-Benedictam extendere dignaretur Indultum aliis Ordinibus Regularibus ac Dioecesibus iam concessum, addendi nempe Praefationi Missae Conceptionis B. Mariae Virginis verbum « Immaculata » adeo ut legi valeat « Et Te in Conceptione Immaculata: » insuper et addendi Litaniis Lauretanis post verba « Regina Sanctorum omnium » aliud Deiparae Encomium, nimirum « Regina sine labe originali concepta. » Quibus precibus peramanter susceptis, Sanctitas Sua benigne annuit iuxta petita, die 26 aprilis, 1844.

Haec facta simpliciter enarrata et documentis plurimis in Archiviis nostris asservatis inconcusse firmata, devotionem qualem habeant monachi B. Virginis in Eremo, nec non fideles curae meae concrediti circa Conceptionem immaculatam Deiparae sat diserte, ut puto, enuntiant. Hinc nullus nobis nuntius adeo desideratus quam audiendi, Beatissimam Virginem Mariam, Iesu Matrem, a Successore S. Petri ac Christi in terris Vicario novis encomiis fuisse honoratam atque decoratam. Nam novos gratiarum fontes exinde orituros esse firmiter credimus, queis omnes Mariae cultores totiusque orbis christianus refocillati spem novam concipient salutis.

Interea haud intermittemus, illam ferventissimis adeundi precibus, quae *humilitate placuit et virginitate concepit*, ut Sanctitas Tua, quae auspice fausto incepit, ipsa auxiliante Deipara ad felicem quoque finem perducat.

Me ac monasterium mihi commissum, necnon omnes confratres meos in Congregatione Helveto-Benedictina Tibi, Beatissime Pater! humiliter commendans et Paternam abs Te Benedictionem demississime petens perenno.

Sanctitatis Tuae

Einsiedlae in Helvetia pago Suitensi, die 9 apr. 1849.

Filius Obedientissimus
Henr cus Abbas.

XVII.

BEL CAPITOLO ECCLESIASTICO

DI MONTEREY NELLA CONFED. MESSICANA

Beatissime Pater

Summa cum animi nostri alacritate Encyclicas Litteras Tuas in Civitate Caietana die 2ª. Februarii praeteriti editas, et omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis totius Catholici orbis emissas, Nos in iurisdictione Episcopali Linarensis huius Ecclesiae, a suo Pastore viduatae, succedentes, reverenter accepimus: statimque cor nostrum, cum a teneris annis intimo amoris sensu esset affectum erga Purissimam Dei Genitricem Virginem Mariam, exuberans nunc in laetitia et exultatione, magis atque magis exundavit oleum suum pietatis ac devotionis apud ipsam omnium nostrum Amantissimam Matrem, dum praecipue, Beatissime Pater, vota Tua pientissima vidimus, et circumcirca Sedem Tuam Apostolicam tot praeclarissimos Episcopos, tot illustria Canonicorum Collegia, ac venerabiles multas Religiosorum familias, humiliter adstantes, et submissis precibus deprecantes, tam a Te ipso, quam a Decessore Tuo, non solum privilegium ad augendas palam, publiceque enuntiandas laudes Beatissimae Virginis Mariae addendo in praefatione Missae vocem illam *Immaculata*; sed etiam, atque praecipue, ingeminatis studiis iterum exorantes, ut veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam definire properes, *Beatissimae Virginis Mariae Conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.* Propter quod in tanti momenti negotium curas cogitationesque Tuas serio convertens, qua par est, et ad Patrem luminum confugiens, ut caelestis suae gratiae splendore mentem Tuam collustrare velit, quo cognoscere possis, quid hac in re sit a Te

scienter peragendum, exoptas, ut huiusmodi preces etiam in tota Universali Ecclesia peragamus, ad eumdem finem piissimum obtinendum. Expetis itidem vehementer, ut nos significemus, atque Te certiorem faciamus, qua devotione noster Clerus, populusque fidelis, erga Immaculatam Virginis Conceptionem sint animati, et quo desiderio flagrent, ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur; atque tandem in primis agnoscere vel maxime cupis, quod nos ipsi hac de re sentiamus, quodque peroptemus.

Quid ergo, Beatissime Pater, hoc Capitulum dicere vel exprimere coram Te potest super ipsa re, cum gloriatur, hanc Ecclesiam Cathedralem erectam esse sub singulari patrocinio eiusdem amantissimae Matris nostrae Virginis Mariae, titulo Immaculatae eius Conceptionis? Quid etiam, cum nos, nostrique maiores, ab incunabulis hoc lac devotionis, et pietatis mel erga dulcissimum istud mysterium suximus illudque singulari obsequio, atque intimo cordis affectu coluimus, ea peragendo, quae ad maiorem ipsius Virginis gloriam, et laudem procurandam, cultumque promovendum conducere posse viderentur? Quid item antiquius, quam haec pientissima credentia, cultusque pariter, et pietas in laudem Conceptionis Marianae, dum, si credimus auctoritati antiquorum, gravissimorumque Doctorum, solemnitas Conceptionis Mariae celebrata fuit ab ipsismet Apostolis, a Divo Iacobo Ierosolymis, a Divo Marco Alexandriae, a Divo Iacobo Maiore Caesar-Augustae, quibus praeeuntibus, suffragium etiam fert modo ipsa Ecclesia Catholica, dum in variis Regnis et provinciis, iam iam a primis saeculis, Missa cum officio proprio cultum illi tribuebat, cum populorum ardentissimo consensu, qui gestienti plausu, pro aris et focis, Intemeratam Conceptionem proclamabant, et multi voto adstricti, etiam usque ad sanguinis effusionem, propugnare parabant?

Cum ergo ardenter, et de die in diem magis atque magis concreverit in cuncto Populo Christiano haec pietas, hic cultus, adeo ut ab omnibus iam haec pientissima sententia tamquam inconcussa, certa, proximaque fidei, et absque dubio posita habeatur, non immerito omnes florentissimae Academiae, Nationes etiam et Regna

Catholica, omnes item praestantissimi Episcopi, universique Catholici fideles, una cum venerabili coetu Sanctorum Patrum Ecclesiae praeconantur, una voce concinentes, *Beatissimam Virginem Mariam in sua Conceptione Immaculata fuisse immunem a peccato originali:* pro cuius mysterii solemnitate, gaudent etiam Angeli, et collaudant omnes filii Dei.

Quapropter Nos, in tantae pietatis mare magnum confluentes, atque intime convicti, tum de hoc privilegio a Deo Optimo Maximo Purissimae Matri suae concesso, tum de universali Ecclesiae assensu, tum denique de huiusce nostrae Dioeceseos peculiari devotione, qua apparatu magnifico omnes suae Parochiales Ecclesiae Immaculatam Virginis Conceptionem celebrant, laudantes simulque colentes eam, atque admirantes hoc donum Coeleste, quo solam Virginem Mariam exornavit Altissimus, non dubitat hoc Capitulum suffragia sua cum omnibus antea expositis connectere, atque colligare, deprecando simul cum tot venerabilibus Ecclesiae Pastoribus, ut rem hanc denique perficias, et colophonem illi imponas, veluti catholicae Ecclesiae doctrinam definiendo *Beatissimae Virginis Mariae Conceptionem Immaculatam omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem*: haec sunt vota nostra totiusque Ecclesiae Linarensis.

Quare tandem, Beatissimae Pater, Nos, Clerus etiam, atque fideles omnes huius Dioeceseos profundimus cor nostrum in conspectu Divinae Maiestatis, precesque nostras tam publicas, quam privatas peragimus, atque dirigimus, ut Spiritus Sanctus superveniat in Te, et virtus Altissimi obumbret Tibi, ita ut clementissimus luminum Pater in Te supernam lucem effundat, et numine afflare dignetur, ut in tanti momenti re illud consilium decretumve suscipere valeas, quod tam ad maiorem sancti sui nominis gloriam, quam ad Beatissimae Virginis laudem, atque militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere.

Interea cupimus, ut horae canonicae recentissime compositae in laudem Beatissimae Virginis Conceptionis, de quibus uti atque recitare nobis, nostroque Clero concedere digneris, quam suppliciter

petimus, ad nos usque perveniant, ut opportune huius privilegii utamur.

Nostrum autem erit iugiter Deo fundere preces, ut Universo Christiano Orbi Sanctitatem Tuam diu servet incolumem, diuque in terris relinquat, quo tandem aliquando, non sine Omnipotentis Dei praesidio, Catholicae Religionis hostes, omnesque Sedis Apostolicae, atque sacrae Tuae Personae inimici de vera fide aberrantes, ad ovile, fideliumque coetum, ad unicum salutis portum felicissime pervenire valeant.

Nos denique, noster etiam Clerus, fidelesque omnes Tui in hac regione commorantes, ad pedes Tuos provoluti Tuam Apostolicam Benedictionem humiliter petimus, ut Deus etiam a Coelo munera sua aeterna nobis confluat, atque impertiat.

Beatissime Pater, Sanctitatis Tuae

Datum in Aula Capitulari Ecclesiae Cathedralis Civitatis Montis regii, die Kalendarum Septembris Anni Domini 1849.

Humillimi Filii ac Servi

N. N. *Decanus* 1

Iosephus Antonius de la Gazza *Portionarius*

Iosephus Guillelmus Montemayor *Portionarius Secret.*

1 È affatto inintelligibile questa firma.

XVIII.

DEL CAPITOLO COLLEGIALE

DI MONTEROTONDO

Beatissime Pater

Cum totus ferme orbis magnis ac rapidis iactatur eventibus, illud Tuae sapientissimae mentis consilium, Beatissime Pater, de immaculata Virginis Conceptione hisce temporibus dogmatico modo definienda, admirabile admodum videtur; a Te, a Te ipso enim, quem moderatrix humanarum rerum providentia in altissimo dignitatis gradu collocatum, perpetua gravissimorum munerum procuratione districtum teneri voluit inter tot, tam graves, tam multiplices curas tantopere ad tranquillitatem et salutem publicam pertinentes, a coeteris sollicitudinibus ac eloquiis adducuntur homines, et sacrarum rerum studio, et tractationi omne tempus tribuere, omnes cogitationes appellere traducuntur. Nihil enim acceptabilius, nihil ad alliciendos animos commodius, nihil ad excitandas mentes aptius, nihil ad dicendorum materiam uberius, quam ansam praebere de illa loquendi, quam magno omnes amore prosequuntur, et illius, quam benedictam in mulieribus Angeli salutant, quam mortales suam spem, suum auxilium, suum levamen appellant, merita ac laudes persequendi. Nihil dulcius, nihil iucundius, quam illa, quae multa Virginem ex omni parte inculpatam ostendunt et tuentur, ire salutatum. Quamobrem nihil optabilius nobis contingere potuit, quam votum ac desiderium nostrum immaculatae Conceptionis dogmaticam definitionem exoptans, ad Te, Sanctissime Pater, expromere, eademque expromturos, omnes, qui scripturas, qui aetatum omnium Patrum argumenta, qui Conciliorum praecautiones, qui Pontificum immaculatae Conceptionis festum adprobantium auctoritatem pluri-

mi pendunt, augurari. Interea nos, qui per Te, hoc bono, hoc munere fruemur, omnem industriam eo conferre oportet, ut quacumque ratione possumus, heroicas ac prope divinas virtutes Tuas omni genere monumentorum ad immortalem posteritatis memoriam consacremus; non quod huius rei, et aliarum a Te gestarum gloria nostro testimonio indigeat; sed quod alia nobis via nulla relinquitur, qua ingrati animi notam effugere valeamus. Neque tamen hoc officio erga Te persoluto, Sanctissime Pater, contenti sumus; sed quotidie D. O. M. bonorum onium largitorem deprecari nunquam desistemus, ut reditum, moramque Tuam in Urbe Christianae Religionis arce ac preside fortunaret, beneficentiaque sua Pontificum iura sarta tectaque tueretur, deinde Beatitudini Tuae advoluti pedes sanctissimos deosculamur, Teque, uti nos filios obsequentissimos benedictione apostolica impartiaris, etiam atque etiam obsecramus.

Sanctitatis Tuae

Montisroduni pridie Kal. Aprilis a. 1849.

Humilmi, Addicmi, Devotissimique

Archipresbiter et Canonici Collegialis Ecclesiae Montisrodunensis

Sulpitius Mattei
Dominicus *Cancus* Lombardi *Decanus.*
Felix *Cancus* Scioli
Salvator *Cancus* Ciocca
Ioseph *Cancus* Mattei.
Carolus *Canus* Scarduzio
Dominicus *Canus* Scarduzio.
Ioseph *Canus* Guglielmi

XIX.

DEL CAPITOLO CATTEDRALE

D' ISERNIA

BEATISSIME PATER

Cum nobis nunciatum fuit, Te, Beatissime Pater, scire satagere quid nos omnes de Virginis Mariae privilegio, quod ei Deus utique concessit, ut sine ulla peccati originalis labe conciperetur, sentiebamus; pergratum et iucundum nobis fuit, et incredibili laetitia affecti fuimus, tum quod Pater fidelium omnium in eam oculos coniecit, quae sit Ecclesiam afflictam et oppressam miseris temporibus, ac moribus perditis in veterem dignitatem ac libertatem vindicatura, tum quod definire tandem studet, quae omnium menti et cordi pientissima adhuc fuit sententia. Rogato dehinc divino auxilio ab auctore bonorum omnium in ista maximi ponderis ac momenti definitione Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, quam cum Augustino formam Dei appellamus, visum est nobis ne minimam quidem in animo volvere dubitationem circa hanc veritatem praestantissimam; quid enim tam absonum fidei nec non humanae rationi quam asserere cum originali macula conceptam fuisse Deiparam Virginem, quam coelestis Nuntius salutans vocavit gratia plenam? Potestne praesumi macula in Maria, de qua verba faciens Petrus Damianus ait: Caro Virginis ex Adam sumpta maculas Adae non admisit? Deus qui ab aeterno eligit Mariam filiam primogenitam suam, gratias etiam parat peculiares ad praeservandam eam ab omni labe peccati. Deus, qui mentem divinam adhibet, et totus in eo est, ut incorrupta semper maneat puritas corporis Mariae, non minorem diligentiam, ut ita dicam, adhibere debebat ad custodiendam puritatem animae eius corpore longe nobilio-

ris ; ergo si intemerata fuit puritas corporis Mariae, quin imo superior puritate Angelorum, intemerata et superior angelica puritate esse debuit innocentia eius.

Iam usque a temporibus priscis placuit Deo et misticis signis, et Prophetarum praedictionibus cuicumque aetati ostendere similitudines, quae matrem Salvatoris praenunciabant, et eius purissimae Conceptioni bene quadrant, ut pene omnium Patrum testimonio hoc satis superque roboratur. Adam revera e virginea terra non adhuc a Creatore maledicta ductus fuit: Adae scite referebatur Christus, qui humanam sumere carnem debebat e Virgine pariter sine macula concepta. Super aquas diluvii fluctuabat arca familiam a Deo electam ad iterum propugnandam humanam speciem ferens. Arca Noe imaginem exhibebat Mariae, quae incolumis evasit e commotis fluctibus communis erroris, uti decebat Dei Genitricem. Praeterea adeo sublimis, ut nihil supra dignitas Sponsae Spiritus S., ad quam dignitatem Maria ab aeterno a Deo ordinata fuit nullo unquam pacto aptari potest originariae culpae : nam sanctitas, potentia, et singularis praedilectio divini Sponsi satis postulabat integritatem dilectae suae : hinc S. Damasus aperte vocat Mariam immaculatam conservatam in Sponsam Dei. In animo ergo nobis est, Beatissime Pater, profiteri Mariam Virginem sine ulla macula ne originali quidem fuisse conceptam.

Largiatur Tibi, Beatissime Pater, Deus omnia bona ; det vitam longam incolumenque : ad Tuos pedes provoluti, quos devotissimo animo ac submisso deosculamur, Apostolicam benedictionem impertiri digneris oramus et obtestamur.

Datum Aeserniae decimo tertio Kal. Aprilis 1849.

In veritatis bonique animi tesseram
Addictissimi et Obsequentissimi Filii
Vincentius *Archipresbyter* Piccoli *Prima Dignitas.*
Emygdius *Primicerius* de Baggis *secunda Dignitas.*
Franciscus *Canonicus* Orlando.

Polycarpus *Canonicus* Scarselli.
Vincentius *Canonicus* Perpetua.
Nicolaus *Canonicus Theologus* del Vecchio.
Ioseph *Canonicus* Viti.
Ioannes *Canonicus Poenitentiarius* Giura.
Silvester *Canonicus* Pettine.
Vincentius *Canonicus* Trivellini.
Casimirus *Canonicus* Donia.
Aloysius *Canonicus* Tullio.
Hebdomadarius Hermenegildus Martella.
Paschalis Placenta.
Vincentius Nani.
Cosmas Placenta.
Franciscus Maselli.
Benedictus Orlando.
Nicolaus Milano.

XX.

D'UN SACERDOTE

DELLA DIOCESI DI LUCERA

Beatissimo Padre

Io l'infimo dei Sacerdoti della Diocesi di Lucera in questo Regno, prostrato al piè della S. V., Le umilio quanto segue. Avendo io appreso, che V. S. è disposta a definir come dogma di fede l'immacolato Concepimento della Gran Madre di Dio; a qual uopo ha ordinate delle pubbliche generali supplicazioni: non mi attribuirà a superbo ardimento, se dopo quanto anche presentemente avranno scritto su tal proposito valentissimi presonaggi, Le sottopongo nella tenuità dei miei lumi anche un mio pensamento all' oggetto. Sono forse circa sei lustri, da che io emetteva il voto di mai sempre difendere cotesto Concepimento immacolato pure a costo del mio sangue. Quindi non può credere V. S. di qual trasporto di gioia mi sia riuscita cotesta sua intenzione. Dall' altezza pertanto di sua Potestà e di sua mente non abbia di grazia a sdegno di abbassare i suoi sguardi su pochi riflessi che ardisco vergare in questo foglio, e da quali parrebbe a me potersi appoggiar sodamente tal decisione. Ad ogni modo la S. V. perdonerà tutto questo al mio povero attaccamento, e alla mia debole divozione per tanta Diva.

Nelle divine Scritture si legge la minaccia da Dio fatta a Lucifero, che una donna cioè fiaccato gli avrebbe il superbo capo: *Ipsa conteret caput tuum.* Conosco, che quest'oracolo s' interpreta dai Padri per la promessa da Dio fatta ad Adamo di un Liberatore, e perciò della Incarnazione del Verbo, che nella pienezza dei tempi sarebbe nato da Maria, e che colla sua Redenzione avrebbe distrutta l'opera del comun tentatore. Conosco altresì, che la parola *Ipsa* si legge nel-

l'ebreo piuttosto *ipsum*, cioè *semen ipsum*. Maria perciò in questo caso vi avrebbe una parte mediatamente, dirò così, e varrebbe a farla riconoscere nostra Corredentrice.

Io rifletto intanto, che la Chiesa, non saprei come, diretta da Spirito superiore, invece di *ipsum* ritiene *ipsa;* ed in conseguenza l'operazione del *conteret* par tutta di Maria, ed immediatamente di Maria: *Ipsa conteret caput tuum*, non mancando altre divine Autorità, onde rilevar l'opera della Redenzione consumata dall'Uomo Dio. Quindi in qual circostanza si ammirerebbe l'operazione di Maria collo schiacciare il capo al serpente infernale? appunto nella di Lei Concezione; ciocchè crederei potersi così dimostrare.

Ipsa conteret caput tuum. Questa sentenza è parola Divina, assoluta, e non condizionata, dunque immancabile. Qui non si tratta di fiaccamento fisico, non avendo il Demonio un capo materiale: dunque le cennate parole importano un abbattimento morale. Ma come moralmente si abbatte il demonio? col non credere alle peccaminose suggestioni di lui. Ciò premesso: le nostre spirituali cadute sono di due specie principali; originale, ed attuale. Si cade poi attualmente per colpe gravi o leggiere. Or Maria per colpe gravi ne fu mai sempre trionfatrice, e non fa d'uopo provarlo. Ma questo non costituisce un privilegio speciale per Lei, da che S. Chiesa onora tanti Santi e Sante, che per peccati gravi non solo trionfarono dell'Inferno le tante e tante volte, ma ne riportarono vittoria mai sempre, avendo conservata l'innocenza battesimale. La Vergine ne trionfò inoltre anche per colpe veniali; ma quante anime avventurate e benedette non hanno fiaccato, e fiaccano tuttavia il capo a Lucifero, non cadendo nelle stesse colpe veniali? Dunque questo vanto stesso non è peculiar per Maria solamente. Dunque il testo scritturale non si verifica in una Donna contraddistinta; anzi può dirsi non verificarsi ancora nel senso già di cui parlo.

Resta perciò a vedersi quante anime abbian fiaccato il capo di questa Serpe di averno almeno nella colpa di origine. Ma qual vi ha, o vi sarà mai nato da Donna, ossia da femmina violata, che possa vantar cotanto privilegio? Noi non conosciamo finora, nè mai cono-

sceremo anima così privilegiata. Dunque la minaccia Divina andrà fallita e non verificata? Ci guardi Dio dal solo sognarlo! Non sarà pertanto un giusto conchiudere, che debba essa dirsi avverata e compiuta nella Concezione di questa augustissima Diva, dacchè sola Maria trionfò del comune insidiatore anche nella colpa di origine? E come no, se in questo senso non potrebbe altrimenti dirsi verificata l'infallibile Divina parola? Si dirà tutto questo trionfo di Lei l'opera di una grazia, di una Redenzione preservativa; ma che perciò? anche il trionfar dell'Inferno nelle colpe attuali non l'è forse l'opera della Redenzione e della grazia istessa?

Sembra, che il Concepimento di Maria resti provato abbastanza come immacolato, e spiegato così forse con più di precisione e di semplicità il ridetto oracolo divino; e tanto più se voglia porsi mente, che avendo il serpente infernale nella sua malizia rovinato il Genere umano con la colpa di origine, seducendo una povera femmina, parrebbe di una giusta convenienza che la Provvidenza divina nella sua giusta retribuzione il confondesse, l'umiliasse, lo abbattesse per mezzo ancor di una femmina, e nello stesso momento primo della Concezione di Lei.

Beatissimo Padre son questi i pochi riflessi che io Le umiliava sul proposito, e che sottometteva al di Lei giudizio; e non per altro almeno, che per un piccolo attestato di mia divozione a tanta Madre. Le bacio il santo piede, mentre La prego non denegarmi il vantaggio di sua Papale Benedizione.

Di Celenza Diocesi di Lucera 27 Maggio 1849.

Il Sacerdote Carlo M. Perna.

XXI.

DEL VICARIO CAPITOLARE

DI PRATO

Beatissime Pater

Pervenerat iam ad aures nostras nuncius laetissimus, paternas Tuae Beatitudinis curas, cogitationesque in eo intentas esse, ut ad maiorem Deiparae gloriam procurandam, cultumque promovendum, ipsius Conceptum ab omni prorsus originali labe immunem, solemni tandem Apostolicae Sedis iudicio definitum, Ecclesiae universae credendum proponeretur. Dum vero optatissimum hoc Tuae vocis oraculum laetitia gestientes expectabamus, Litterae nuper ab ven. nostro Metropolitano, Ferdinando Minuccio, Arch. Florentinorum, nobis redditae sunt, subscriptae Tua ipsa manu Caietae die 2. Feb. instantis an. MDCCCXLIX, quibus Klero nostro exhibitis, magno is, aeque ac nos, animi gaudio, et pia admiratione, in eis perlegendis, affectus est. Cogitabamus enim, Beatissime Pater, hoc Tuum studium, sanctamque sollicitudinem in ampliandis Genitricis Dei honoribus, animisque fidelium erga eam excitandis, quae est dulce decus, et praesidium Ecclesiae potentissimum, id temporis maxime patere, quo Tua Beatitudo exul ab Urbe, et a pontificali solio avulsa ob sacrilega impiorum molimina, acerbissimas inter angustias versatur; licet nusquam sub tanta aerumnarum mole animo defecisse, omnes admirentur.

Interea nostri officii est nil morae interponere, quin piissimis Tuae Beatitudinis optatis satisfaciamus, exponentes quid de hoc Tuo consilio nosmetipsi sentimus, simulque significantes quae, quantaque sit in Beatam Virginem nostrae Dioecesis religio. Licet igitur testari, (in eoque laetatur valde animus noster) perantiquum et

egregium esse inter nos cultum, et obsequium in SS. Virginem, quam cives salutant et venerantur Urbis Patronam, et cuius Cingulum pretiosissimum in aede nostra Cathedrali, novem ab hinc saeculis, eo studio asservatur, ut cum aetatis praeteritae, tum huiusce praesentis pulchrum, et luculentum pietatis et munificentiae sit testimonium. Nec minus profecto antiqua, et singularis est devotio, qua Klerus populusque Pratensis animatur erga Immaculatam Virginis Conceptionem, de qua piissimam sententiam firmiter tuetur, et asserit, prout multa testantur monumenta, videlicet, duo Oratoria publica, pluraque Altaria eo titulo Mariae dicata: nec non Collegium Ecclesiae nostrae alumnorum, cui ab ipsomet Fundatore titulum Immaculatae Conceptionis est inditum, et in cuius fidem et tutelam voluit ipse ut in perpetuum reciperetur. Sed in primis hoc animadvertendum putamus, cum an. MDXXVII civitatem Prati, et finitimas regiones dira pestilentia grassaretur, quae sub idem tempus Italiam paene universam funestavit, Klerum, populumque Pratensem, post fusas Deiparae humillimas preces, finem illius cladis ipso die Immaculato Eiusdem Conceptui sacro, ingenti gaudio, et stupore vidisse: quamobrem ne memoria tanti beneficii vetustate obsolesceret, voto se obstrinxerunt, ut quotannis pervigilium illius Festi cum ieiunio ageretur, supplicationesque in triduum fierent, die vero Conceptionis festo supplicatio solemnior indiceretur, cui Klerus saecularis et regularis universus, Sodalitates laicorum, et Magistratus urbis deberent interesse. Quod pium maiorum institutum etiamnum Pratenses rite coluerunt: nec inter tot rerum vicissitudines, et temporum varietates unquam, ut constat, intermissum est. Nec vero annis labentibus cultus et affectus in Virginem Immaculatam heic refrixit: efflagitatum est enim, exeunte saeculo superiore, ut Festum Conceptionis quod sub ritu 2. Classis agebatur, ad ritum 1. Cl. eveheretur; uti a Pio VII. gloriosae recordationis est concessum. Officium item votivum Conceptionis, ut moris est recitare per totam Etruriam in Sabbatis, quibus officium novem lectionum non obstat, etiam Dioecesis nostra, ex decr. Sacrae Rit. Congreg. die XV. Martii an. MDCCCIV, obtinuit. Denique priusquam

Litterae Beatitudinis Tuae, quas supra memoravimus, nobis redderentur, Sedes Apostolica dederat iam Klero nostro facultatem recitandi peculiares Horas Canonicas de B. Virginis Conceptione recenter compositas, et Klero Romano ante concessas: addendi in Litaniis Lauretanis illud encomium *sine labe originali Concepta* et in Praefatione Missae de Conceptione eadem adiungendi vocem *Immaculata*.

Quibus de rebus satis manifestum videtur nil posse nobis et huic Klero populoque fideli accidere optatius, et iucundius, his praesertim difficillimis rei Christianae temporibus, quam si ab Ecclesia hic SS. Virgini addatur et decernatur honor, quem ut Tute loqueris, Sanctissime Pater, communis fidelium pietas Virgini ipsi ex solemni eiusdem Ecclesiae, et Apostolicae Sedis iudicio atque auctoritate tribui tantopere exoptat. Nunc autem, ut piissima vota Tua, Deo iubente, impleantur, illud restat, ut monitis Tuis libenti animo obtemperantes publicas preces in Dioecesi nostra peragendas curemus, quo Divinae Sapientiae lumen Beatitudinem Tuam caelesti splendore perfundere velit: atque consilium tantae rei, quod in praesenti mentem Tuam occupat, ad maiorem Dei gloriam, Christianaeque Reipublicae bonum quam citius perficiantur. Coelo equidem, Beatissime Pater, manus et preces una cum Klero, populoque nostro pie et assidue sustulimus, usque ab eo die, quo rumor ille infaustus pervasit, Beatitudinem Tuam, vim et insidias declinantem improborum hominum, Sanctam Religionem, et Apostolicae Cathedrae imperium adversantium, Urbem et Sedem reliquisse, quo integra foret Pontificalis officii libertas, nedum vita Tua ipsa ab hostibus tuta. Nec minus interim has preces ex imo corde ad Deum clementissimum, et benignissimam Eius Matrem attollimus, imo frequentiores, ferventioresque, ut a quibus iactatur procellis, Petri navicula tandem conquiescat: et ob reditum incolumem, gloriosum, auspicatissimum Tuum ad propriam Principis Apostolorum Sedem, honores Tui, totiusque Ecclesiae, honoribus et triumphis Deiparae Virginis consocientur.

Quae vota, et omina, uti quam citius perficiantur, enixe adpre-

cantes, et alacri fiducia expectantes, Tuis provoluti pedibus imploramus Apostolicam Benedictionem.

Prati, die 15 Iunii anni

Canonicus Ferdinandus Baldanzi *Vic. Capitularis.*

XXII.

DELL' ARCIDIACONO

VICARIO CAPITOLARE DI MONTEFELTRO

BEATISSIMO PADRE

Non appena ho potuto venire in cognizione dell'Enciclica emanata da Vostra Beatitudine, colla quale comunica a tutti i Vescovi ortodossi la Sovrana intenzione di voler dichiarare *ex Cathedra*, che la Beatissima Vergine Madre di Dio fu concetta senza peccato d'origine; quantunque la detta Enciclica non sia pervenuta nè al defonto Vescovo di questa Diocesi, nè a me; mi sono dato nondimeno premura di eseguire quanto in essa veniva prescritto.

Ho pertanto ordinato in tutte le Chiese Parocchiali e Regolari un divoto triduo alla Santissima Vergine, affinchè si degni di spargere sul venerato Vicario del suo divin Figliuolo la pienezza dei lumi necessari a decidere su di una materia, che risguarda la maggiore gloria di Lei. Consultato poi il Clero tutto e il popolo fedele, ho avuto la compiacenza di trovare una straordinaria unanimità di desiderio, che dalla Sede Apostolica si emani il Decreto relativo alla Concezione di Maria Santissima; e ciò in forza di costante e ferma convinzione, che veramente la Madre di Dio sia concetta senza peccato originale, avendo il Clero appreso questa massima come prin-

cipio dommatico nelle scuole del Seminario, e il popolo dal continuo predicare, e nutrendosi generalmente in tutta la Diocesi particolare divozione a Maria Santissima immacolatamente concetta; trovandosi eziandio erette in questa Cattedrale, e in molte altre Chiese della Diocesi sotto tal titolo pie e numerose Confraternite a soddisfazione della pietà dei fedeli.

Laonde io assecondando la pia brama di questi Diocesani, e del Clero in particolar modo, prego Vostra Beatitudine a voler presto decidere cattedralmente sulla misteriosa Concezione di Maria, ed accrescere così nuova gloria alla Madre di Dio, e novello lustro alla Chiesa militante, che in Essa ha sempre riposto, e in questi tempi specialmente ripone il suo rifugio, e la sua più sicura difesa.

E nella manifestazione di siffatto desiderio, mi prostro ai piedi della Santità Vostra, implorando sopra di me, e su questi Diocesani l'Apostolica Benedizione.

Di Vostra Beatitudine

Montefeltro-Pennabilli 28 Giugno 1849

Umil. Dev. Obb. Suddito e Figlio Ubidientissimo
Sebastiano *Arcidiacono* Angelini
Vicario Capitolare Feretrano.

XXIII.

DE' PARROCHI SENIORI

DI S. MINIATO

BEATISSIME PATER

Cum in Synodo habita in Ecclesia Cathedralis S. Miniati diebus 13, 14, 15 mensis septembris anni 1843 inter alia deliberatum fuerit exponendum esse ardentissimum Cleri Civitatis, et Dioecesis Miniatensis desiderium, ut ab Apostolica Sede decernatur, Sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam absque labe originali conceptam fuisse; ad hoc munus implendum a praefata Synodo deputati fuerunt infrascripti Plebani Aloysius Banti, et Raynerius Fattori, utpote Parochi seniores ex iis, qui memoratae Synodo aderant.

Quapropter iidem, ut commisso sibi muneri satisfaciant, penes Cathedram Principis Apostolorum genibus provoluti, nomine totius Cleri Miniatensis Dioeceseos, enixe Sanctitatem Vestram efflagitant, ut veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam fide tenendam definire dignetur « Beatissimae Virginis Mariae Conceptum omnino immaculatum, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem fuisse. »

Ea igitur spe, ac desiderio innixi, ut quas modo fundunt, preces exoptatum consequantur effectum, omni studio se subscribere gaudent

Sanctitatis Vestrae

Humillimi ac obsequentissimi Famuli

P. Aloysius Banti.

P. Raynerius Fattori.

XXIV.

Deliberazione Capitolare dei Canonici della Chiesa Cattedrale della Città di S. Miniato.

Venne dal Revmo sig. Proposto communicata ai sig. Coadunati, e letta in mezzo ai sensi della più viva commozione, e venerazione una Lettera del Sommo Pontefice Pio Nono, diretta al nostro degno Prelato, onde disporre con pubbliche preghiere i fedeli all'autentica decisione, che è per portare la Santa Sede, sulla Immacolata Concezione di Maria SSma nostra Patrona, ed Avvocata. Si richiamarono a mente i sig. Coadunati, come nell'ultimo Sinodo Diocesano sotto l'attuale nostro Vescovo erano stati espressi voti ed istanze per impetrare dalla Cattedra di S. Piero la decisione di questo domma a maggior gloria del Divin Verbo Umanato, e ad incremento di devozione, ed onore verso la sua S. Madre, che colla sua intemerata Concezione riportò fino dal primo istante della preziosa sua vita compiuto trionfo del peccato. Avvertirono avere ormai la divina Provvidenza fatto svanire quelle apparenti difficoltà, che ad una tal decisione si frapponevano, e quelle temporarie prudenti considerazioni che l'avevano sospesa nel Tridentino Concilio, secondo quanto ci narra il Cardinal Pallavicini nella sua celebre storia degli atti di quel Santo Concilio, abbenchè grandemente significative ne fossero le frasi ad onore della Vergine, ed atte quasi ad avvertire i credenti, che a tempi più opportuni la Chiesa avrebbe deciso un punto di tanta divozione: *Declaravit tamen haec Sancta Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.*

Applaudirono alle dotte dissertazioni già pubblicate dall'Eminentissimo Cardinale Lambruschini, e dal Padre Giovanni Perrone, colle quali vennero poste in piena luce le dottrine cattoliche, le tradizioni e la devozione costante, ed universale della Chiesa, diffusa quasi con

amabile incendio, e divenuta accesissima verso l'immacolata Vergine Maria in tutte le nazioni fedeli.

Onde unendo i Rmi sig. Coadunati le loro fervide preci, e voti con quelli del venerabile loro Vescovo per impetrare di nuovo una tale decisione dall'infallibile Oracolo del successore di S. Pietro, ordinarono finalmente, che oltre le preghiere che per questo oggetto aveano avuto principio nella lor Cattedrale alla Messa Parrocchiale, venisse fatto solenne Triduo coll'esposizione del SSmo Sacramento nei giorni 27, 28 e 29 del corrente Luglio.

Ciò deliberarono con voti 9 tutti favorevoli ecc.

Estratta la suddetta deliberazione dall'Archivio Capitolare dei Revmi sigg. Canonici della Cattedrale di S. Miniato dal suo originale, questo dì 7 Agosto 1849.

G. Tommaso Lelli *Segretario Capitolare*.

XXV.

DEL VICARIO CAPITOLARE

DI GENOVA

All' Emo sig. Card. Antonelli Pro-Segretario di Stato colla quale accompagna le seguenti

Eminenza Revendissima

Con vera, e cordiale esultanza ho procurato di secondare i voti, ed ubbidire ai cenni augusti del nostro S. Padre il Vicario di Gesù Cristo, tosto che mi pervenne la desiderata Enciclica dello stesso intorno all' Immacolato Concepimento della gran Madre di Dio Maria Santissima.

L' Eminenza Vostra Reverendissima qui uniti troverà i religiosi sentimenti, coi quali questo Reverendissimo Metropolitano Capitolo si esprime, corrispondendo all' invito da me fattogli a tal riguardo: troverà pure una mia memoria diretta al Santo Padre, colla quale con sommo piacere lo accerto dei voti, e delle brame vivissime, che avrebbe questo Clero, e questa per la massima parte divota popolazione, di sentir definita dall' oracolo del Vaticano la questione (se al dì d' oggi puossi ancora aversi per tale) sull' Immacolata Concezione della Santissima Vergine: e l' una e l' altra di queste due carte prego l' Eminenza Vostra Reverendissima a farle pervenire alle mani di Sua Santità coll' umile e viva preghiera di esaudirne i voti, ed accelerarne la bramata consolazione con definizione dogmatica a gloria di Dio, ad esaltazione della Vergine, ed a conforto maggior dei fedeli, specialmente in questi tempi di vera calamità.

Profitto intanto di questa grata occasione per rinnovarmi colla massima venerazione baciandole il lembo della sacra porpora

Di Vostra Eminenza Reverendissima

Genova 25 Luglio 1849.

Umil. Dev. Obb. Servitore
Giuseppe G. Ferrari *Vic. Capitolare.*

XXVI.

Del medesimo

BEATISSIME PATER

Clerus populusque Genuensis singularem erga Deiparam Virginem devotionem semper fovit impense, et pium in eam ceu Matrem et Patronam animi affectum semper omni ope, omnique tempore testatus est. Certissima pervetustae huius pietatis apud nos cuiusque generis documenta suppetunt, eamque praeclarae memoriae Pius VII apud nos moratus maxime habuit perspectam, quod et dictis saepius prosecutus est, et confirmavit specialibus donis quibus regionis huius sanctuaria Deiparae Virgini dicata distinxit. Inde ergo fit, ut quidquid honoris cultusque in magnam Dei Matrem potest congeri, nedum iucundum omnibus sit futurum, sed vehementer optari, et singulari instantia a veris christianis exposci facile credendum sit. In praesentiarum autem cum agatur de singulari illo privilegio, quo nemo omnium dignatus est a rerum Conditore, nihil potius qua caeteris omnibus, qua nobis esse potest, nihil iucundius, quam ut, re momentis suis bene ponderata, maxima Apostolicae Sedis auctoritate adseratur.

Profecto Cleri aeque ac populi Genuensis commune esse eiusmodi votum illud planum facit, quod in privilegio illo extollendo vere

pro viribus nitantur et gestiant, tamque universalis ea de re utriusque sit mens, ut sensui, quem ex pietate nunc fovent, vix superaddere aliquid posse videatur dogmatica ipsa quae addetur definitio, nisi hoc tantum, quod iam pro fidei dogmate teneri incipiat, quod etiam sine maximo hoc argumento iam habebatur pro certissima veritate.

Sane devotionem et cultum tum Cleri, tum populi Genuensis in Virginem labis nesciam haereditario veluti iure a maioribus in nepotes transmissum vetusta monumenta praedicant, et nova quotidie argumenta produnt. Altaria, Oratoria, Sodalitia permulta eo titulo Virgini nuncupata; ad hoc frequentissima et privata et publica invocatio universae civitatis ac Dioeceseos sententiam mirum in modum faciunt compertam de tam singulari privilegio Dei Matri divinitus dato. Mirum autem memoratu est quanta apud nos pietate auspicatissima illa dies peragatur, quam Virginis Conceptioni Ecclesia sacram voluit. Nam ut caetera missa faciam, nemini incompertum est votivum vigiliae ieiunium sanctae Sedis auctoritate sancitum. Tum cerneres, Beatissime Pater, pompam devotam, gentem effusam ad templum princeps, caeterasque aedes quibus bene multis haec civitas nostra est insignita; cerneres quam stipata poenitentiae loca, altaria, quanta sint vota, et quomodo etiam desidiores caeterorum exemplo incitati ad templa confluant, ac ut rem brevi expediam, persolemnem hunc diem habet civitas.

His rebus perpensis ne vel minimum quidem pendere animi debebam, sed continuo Beatitudini Tuae quae sentirem referre. Sed quoniam iactata veritas magis elucet, universale omnium huius Archidioecesis votum scrutatus sum; ac ut magis magisque res in propatulo esset, accitis in unum huius Metropolitanae Canonicis, diligentissime sum percunctatus eorum hac de re sententiam, qui inter se diversi in unum convenere, mihique litteras prodiderunt, quas insertas aspicies, quaeque plane confirmant quid quisque sentiant.

Et quoniam Sanctitas Tua dignata est quid ego sentiam sciscitari, tametsi nihili faciendum iudicium meum ex animo sciam, tamen ita

intelligo ne minimo quidem momento temporis Beatam Virginem peccati labe fuisse attactam, quod et Ecclesiae consonum veteri traditioni, et recentiorum Patrum et Conciliorum menti, quodque neque Dei bonitati, neque Unigeniti Filii Dei gloriae, neque maximae Virginis dignitati esset satis consultum, si res secus esset.

Laetanti igitur animo pro ea quam profiteor magnae Virgini devotione, ac pro rei veritate a Te, Beatissime Pater, Cleri populique Genuensis nomine, conceptis verbis contendo, ut quam Tibi mentem Divinus ille Spiritus quo afflaris iniecit, primo quoque tempore fidelibus qui Tibi concrediti sunt planam facias; ac ut res e sententia cadat, maximeque hoc tempore quo pietas videtur collapsa, precibus omnique opera nitemur. Idque polliceor non defuturos Genuenses precibus, ut ille Deus qui Te ad maximum rerum fastigium evexit, sospitet ac perennet, et tua Te Roma excipiat. Hoc felix faustumque erit quidem certe, et magna Dei Mater, cuius cultus Tibi adeo cordi est, praesenti ope Te, caeterosque sacros viros qui Te circumstant, tuebitur, et deleta impiorum perfidia, qua nuperrime avulsus sede Tua fuisti, tum virtute animi, tum sanctitate morum eos referes Pios qui Te praecesserunt.

Prono ore proiectum, et pedes osculatum Tua me fulciat Apostolica Benedictio, dum esse gestio

Sanctitatis Tuae

Datum Genuae die 20 Iulii anno 1849.

Humill. Add. Obseq. Servus
Ioseph C. Ferrari *Vic. Capit. Ianuen.*

XXVII.

DEL CAPITOLO METROPOLITANO

DI GENOVA

Al Vicario Capitolare della medesima Diocesi.

Illustrissime et Reverendissime Domine

Quam maxima affecti fuimus laetitia, cum per te nobis exhibitae sunt Apostolicae Litterae SS. D. N. Pii Papae IX., quibus Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum totius catholici Orbis sententiam sciscitatur de Immaculata Deiparae Conceptione, et de cleri, populique cuiusque Dioecesios urga singulare hoc Virginis Matris privilegium devotione certior fieri postulat. Agitur enim de negotio, quod Ecclesiae nostrae Genuensis maxime interest, quippe quae festum Conceptionis iam ab antiquis temporibus celebrare caeperit, et studio eam colendi, si principem inter ceteras dixeris, nulli profecto unquam cesserit. Mariam ab origine Immaculatam pluribus abhinc saeculis Patronam delegerunt Patres nostri, eique rempublicam universam tamquam Reginae subdiderunt. Saepius inter publicas calamitates exorata, praesenti ope adfuit: quod potissimum accidit a. 1579, cum pestem late grassantem, voto annuae supplicationis et novi templi erectionis a Duce et Gubernatoribus concepto, extinxit; et medio saeculo proxime elapso, cum hostium impetum mirabiliter retudit, unde in grati animi monumentum etiamnum extat votivum ieiunium a maioribus institutum et a Benedicto XIV P. M. approbatum, in tota Genuensi Ditione quotannis die 7 Decembris servandum. Clerum autem, populumque circa cultum Immaculatae Conceptionis mutuo inter se certasse, et adhuc nobilissima aemulatione certare, cuique templa et

altaria ipsi dicata, tabulisque decorata votivis, numeranti, pias sodalitates ab ipsa nuncupatas recensenti, festivitates in omnibus propemodum parœciis fieri solitas, ad easque devotorum frequentiam intuenti perspicuum erit. Quae cum ita sint, Ill. et Rev. Domine, nihil nobis iucundius evenire potest, quam huic antiquissimo et nunquam ad haec usque tempora interrupto universae Dioecesis consensui pro nostra parte animum et vocem adiungere. Hoc est votum, quod tibi nos roganti libenter tradere in Domino censuimus; et si quid praeterea adiicere iuvat, petimus ut nostras humillimas preces ad pedes Sanctissimi Pii Papae IX prosternas, quibus enixe flagitamus, ut Immaculata Deiparae Conceptio tamquam articulus fidei auctoritate Apostolica definiatur: quod in maiorem Dei gloriam, eiusdem Virginis laudem, et catholicae Ecclesiae utilitatem cessurum firmissime confidimus.

Genuae die 23 Iunii 1849.

Pro Capitulo Metropolitanae Ecclesiae
Angelus Pistone *Canonicus Massarius.*

XXVIII.

DEL VICARIO GEN. CAPITOLARE

DELLA DIOCESI DI BISARCHIO

BEATISSIME PATER

Ego infrascriptus Bisarchiensis Dioecesis Vicarius Generalis Capitularis venerabundus excepi Sanctitatis Vestrae Apostolicas Literas, quibus universi catholici orbis Praesulibus, et pergratum id Vestrae significabatis Beatitudini, quod communi fidelium voto, collatisque suffragiis, hoc enixe a Vestra Sanctitate contenderetur, ut de Intemerato Beatissimae Deiparae Conceptu piam sententiam, quae iamdiu catholicis in Scholis obtinuit, in sensu rerum fidei reponere dignaremini; et simul validos eiusdem subdebatis igniculos, ut, implorata supremi Numinis ope, rem adeo momentosam ea qua par est diligentia et maturitate perpenderent, ac postmodum quid eorum singuli, quidque singulorum curis concrediti fideles hac super re sentiant, quibusque animentur pietatis ac devotionis sensibus, ad Vestram Beatitudinem deferre quantocius properarent.

Quare cum mihi a sesquianno et amplius Illustrissimi ac Reverendissimi huius Bisarchiensis Capituli suffragiis totius Dioeceseos cura, viribus licet imparibus fuerit demandata, mei muneris partem censui, Beatissime Pater, Sanctitati Vestrae aperire quam diligentissime et quid ipse sentiam, et quid iste Clerus, fidelisque populus de Immaculata Beatissimae Virginis Mariae Conceptione.

Quod si in reliquis sardoae Insulae Dioecesibus ac plagis pientissimum hoc inarsit desiderium, ut Sanctissimae Dei Genitrici, nostrumque omnium amantissimae parenti purissimi Conceptus honor solemni Sedis Apostolicae iudicio decerneretur; hac sane in Urbe ac Dioecesi maximum adeo inarsit, ac ardentissimum ut nec matu-

ro examine res egere videretur. Verumtamen Apostolica Vestrae Sanctitatis iussa humillime veneratus ac executus, ope omni, ac opera enixus sum, ut huius Cleri fidelisque populi mentem, quantum mortalibus datum est penitus introspicerem.

Et quoniam quidquid honoris et gloriae in naturali aut supernaturali rerum ordine creaturis adfulget, in sapientissimum Creatorem, ceu in donorum omnium Auctorem, atque Dispensatorem liberrimum optime iure refunditur; quotquot hacce in Dioecesi censentur rite cohortatus sum, ut Deo Optimo Maximo fervidas pro rei gravitate preces effunderent, quo ipse ad debitum Almae suae Genitrici cultum atque honorem penitius cognoscendum, solideque ac efficaciter promovendum, omnium mentes supremo suo lumine collustraret, ut quae ipse creavit pectora, divina purissimaque hic amoris flamma incenderet.

Nec ambigendum erat, Beatissime Pater, quin tota quam late patet Dioecesis vel audito dumtaxat Deiparae sine labe conceptae nomine singulari quodam ac pene incredibili pietatis sensu commoveretur. Utinam quae praestantiores alioquin habentur Catholicae nationes eadem religione Mariam colerent ac venerarentur! Utinam gementem lugendis, heu nimium! his temporibus Christi Sponsam Romanam Ecclesiam omnium Matrem atque Magistram eodem prosequerentur obsequio! Utinam (ne importunis, etsi iustis fortasse abripiar querimoniis) eadem fide Apostolorum ac Prophetarum oraculis morem gererent, eosdemque Religionis ac pietatis sensus foverent ac praeseferrent!

Huius profecto Urbis ac Dioecesis fideles (quod peculiare Dei O. M. beneficium est) in sancto Domini timore, qui verae sapientiae initium est, enutriti, vel a teneris unguiculis Mariam semper Immaculatam ita collaudare consueverunt, ut hanc piam sententiam una cum lacte nutricis hausisse ac imbibisse quodammodo videantur. Numquam ipsi suis in orationibus dulcissimum Mariae nomen solum proferre solent; sed hoc in deliciis habent, ut Mariam *purissimam* aut *Immaculatam* iugiter consalutent. His omnibus frequentissime resonant Mariae sub hoc titulo Immaculatae Conceptionis

Maiorum pietate passim dicata templa, quae inter Cathedralis Ecclesia supereminet: his privatae divitum domus; his artificum officinae; has domum altius fervidiusque ingeminant humilia pauperum tuguria. Verbo dicam, Beatissime Pater, omnium quotquot huius Dioeceseos limitibus circumscribuntur fidelium haec mens, hic communis sensus est, hoc una voce conclamant: Beatissimam Deiparam nequaquam originali labe fuisse infectam, sed a communi Adae nepotum sorte, peculiari Dei privilegio exemptam esse. Quod sane ita eorum animis fixum immotumque omnino sedet, ut procul dubio sicuti ethnicum et publicanum haberent, si quem contra sentientem nanciscerentur. Revera multi (nec de trivio quidem etsi theologicarum rerum ignari) propriam rogati sententiam, tamquam doctrinam fidei, faustissimum ac intemeratum Mariae Conceptum tenent, et sin minus scandalum sapere, saltem pias eorum aures valde offendere videtur qui asserat rem huiusmodi nondum esse solemni Sedis Apostolicae iudicio definitam.

Quid vero Clerus altior ac senior mecum sentiat Sanctitati Vestrae pronum erit intelligere, Beatissime Pater, ubi paulisper animadvertere placeat in utraque Sardiniensi Academia, Calaritana videlicet ac Sasseritana, ad quas Sardoi omnes S. Theologiae studiosi confluunt academicos honores consecuturi, hoc more institutoque Maiorum sancitum esse, ut Candidatorum nullus doctoralis Facultatis Theologicae Laurea insigniatur, quin prius solemniter spondeat se Immaculatam B. M. semper Virginis Conceptionem iuxta communem fidelium sensum, communem piamque Theologorum sententiam et SS. PP. mentem propugnaturum.

Hinc prono alveo fluit eam ipsam esse huius Cleri de Immaculato Deiparae Conceptu sententiam, quae penes celebratissimas quasque Catholici Orbis Academias passim increbuit: numquam enim et nusquam adversa veterum Dominicanorum opinio sardois in scholis recepta est. Singularem quoque Melchioris Cani praestantissimi alioquin eiusdem Ordinis ac Instituti Theologi opinationem unanimi nostrales calculo exploserunt. Etsi enim purus Mariae Conceptus Scripturae et nonnullorum veterum PP. testimonium niti non videatur, nullum

tamen inde ipsi accedit praeiudicium, cum et alia multa fidei dogmata sic se habeant et tamen illis testimoniis non adversentur. Abstinuere quoque sardi Theologi ab eorum opinationibus, qui iustos debitae Deiparae Virginis pietatis limites praetergressi, eam originalis maculae et quoad actum, et quoad debitum, ut Scholae loquuntur, omnino expertem pronuntiarunt. Etsi enim valde *honoranda sit Mater Domini*, ut aiebat olim Mellifluus, solida sinceraque in B. Virginem pietate nulli secundus, « honor tamen Reginae iudicium diligit. Virgo Regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. » Nimirum sardinienses, ut et caeteri ferme omnes Theologi veris contenti solidisque praeconiis, falsa et commentitia repudiant. Admisso itaque debito avitae maculae contraxisse hac unanimi adseverant conclusione.

« Beatissima Virgo peccati originalis contagio numquam fuit inquinata, et ideo numquam Dei inimica, numquam Demonis potestati subiecta. »

Quae sane sententia pia est, Scripturae et Traditioni minime contraria, et innumeris pene momentis ex SS. PP., ex Ecclesiae auctoritate, ac communi fidelium sensu, et demum congruentiae rationibus ita communita et comprobata, ut vix temeritatis notam effugeret qui contrariam amplecti sententiam auderet.

Ab evolvendis fusius argumentis consulto supersedeo, ne ramusculos ac festucas in sylvam inferre videar. Ipsi potius Sanctissimae Deiparae, quin et universae Ecclesiae mihi gratulari subit, Beatissime Pater, quod re magis quam nomine Pientissima Sanctitas Vestra undique confluentia fidelium vota, ac repetitas certatim preces pronis auribus exceperit, eoque curas omnes, cogitationesque non sine divino Numine converterit, ut re diu matureque versata, omnique ex parte perspecta, Immaculatam eiusdem Virginis Conceptionem fidei dogmatibus adcenseret. Nemo enim non videt et plurimum inde incrementi Mariae laudibus accessurum, et ipsam potentissimam pervigilemque totius Christiani populi Patronam novis auctam laudum praeconiis, nova ex inexausto Divinae Misericordiae thesauro beneficia in universam Ecclesiam derivaturam.

Luculentissima profecto exempla et locupletissima documenta testantur, Beatissime Pater, plures Sanctitatis Vestrae Praedecessores subitis periculis commemorandos praesentissimo Deiparae auxilio fretos, et obductas errorum tenebras dispulisse, et nefarios impiorum fregisse ausus, et furentes undequaque persecutionum ventos, saevientesque avertisse procellas, quae mysticam naviculam insanis adeo fluctibus impetebant, ut eam penitus operire ac pessumdare viderentur.

Eadem ergo clementissima Mater quae filiorum oblivisci numquam potest pientissimis Vestrae Beatitudinis, omniumque fidelium precibus lacrymisque permota praesentesque gravissimos miserata mysticae naviculae casus, suum Unigenitum Christum Dominum tempestatum potentem excitabit, ut ventis imperet ac mari, utique magnam tempestatem magna universalisque tranquillitas subsequatur.

Haec mea ac totius Dioeceseos vota sunt, Beatissime Pater. Caeterum Sanctitatis Vestrae atque Apostolicae Sedis iudicium humili silentio praestolabimur, perpetique obsequio venerabimur.

Interim ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, eosque humillime osculatus Deum toto corde oro atque obtestor, ut Beatitudinem Vestram sospitet, atque diu servet incolumen.

Beatitudinis Vestrae

Olhierii in Sardinia die 27 Iulii anno Domini 1849.

Humillimus Obsequentissimus Servus
Gavinus Pischedda *Vicarius Generalis Capitularis.*

XXIX.

DEL PRO-VICARIO APOSTOLICO

DI LUSSEMBURGO

SANCTISSIME PATER

Litteris die 2 Februarii huius anni Caietae datis Sanctitas Vestra omnium dioecesium praepositis officium iniungit, quam primum fieri possit Tibi, Sanctissime Pater, significandi, qua devotione Clerus populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus et quo desiderio flagret, ut a Sancta Sede quid de Immaculata Conceptione fidelibus credendum sit, decernatur. Equidem diutius forsan hac de re ad Sanctitatem Vestram litteras mittere distuli, non quia haec res, de qua agitur, tam gravis tamque sancta minus mihi esset cordi, quod procul absit! sed quia verebar, ne ego, qui presbyter tantum sum et non nisi ad tempus rebus ecclesiasticis in hac regione gerendis praesum, rem aliquam tractandam mihi praesumerem, quae ad terrae huius Vicarium Apostolicum proprio iure pertineret. Eaque magis expectandum mihi aliquamdiu putavi, quoniam ego cum toto Clero huius terrae universoque fideli populo vehementissima desideria sperabam, brevi ad nos reversurum esse dilectissimum Antistitem nostrum, cum iam longo abhinc tempore Sanctitas Vestra reditum felicem ei fuerit gratulata. Verum ne diutius cunctando officio meo deesse viderer, de re, quam Sanctitas Vestra proposuit, pauca mihi respondenda esse putavi.

Ad Clerum huius regionis populumque fidelem quod attinet, omnes ab immemoriali tempore unanimi consensu Beatissimam Virginem tanquam immaculate Conceptam venerantur. Civitas enim nostra et tota regia Luxemburgica Sanctissimam Dei Matrem sub invocatione *Consolatricis Afflictorum* publice privatimque incredibili

fere devotione, tanquam Patriae Patronam singularemque tutricem, invocat, nec ulli in mentem venit, quasi inquisitione adhuc indigeret, num Dei Mater, quae serpentis caput contrivit, ab omni originali labe ac culpa fuerit penitus praeservata. Quare si Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptio tanquam dogma a Sancta Sede Apostolica fuerit declarata, nihil omnino fiet, nisi quod ea fides, quae iam nunc in cordibus omnium viget, confirmetur.

Ad Apostolicum vero Vicarium, Reverendissimum Dominum Laurent, quod attinet, persuasum habeat Sanctitas Vestra, nihil ei tam iucundum, nihil tam exoptatum fore, quam Immaculatae Conceptionis solemnem declarationem. Nam ego et omnes clerici et fideles sumus testes, quam pio semper affectu, qua devotione Sanctam Dei Matrem veneretur, quam ardenti zelo Immaculatum Divae Virginis honorem semper propugnaverit. Ipsa etiam petente factum est ut iam sex abhinc annis a Sancta Sede Apostolica nobis concessum sit, publice in sacra Liturgia et in sanctis Litaniis Immaculatam Conceptionem celebrare, quare et ipse et nos omnes in Immaculata semper Virgine spem et fiduciam nostram positam habemus, fore, ut tempestatum, quibus diu iactati sumus, felix et faustus fiat eventus.

Ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, ut me totumque gregem benedictione sua sanctissima dignetur, etiam atque etiam rogo ac precor

Sanctitatis Vestrae

Luxemburgi, hac 18 Julii 1849.

Obedientissimus et Obsequiosissimus Filius
N. Adames *Provic. Apost. Luxemburg.*

XXX.

DEL VICARIO CAPITOLARE

DI VOLTERRA

BEATISSIME PATER

Venerabiles Literae Sanctitatis Vestrae ad Ecclesiarum Catholicos Praesides ad hanc quoque perlatae sunt Volaterranam Ecclesiam adhuc hisce miserrimis temporibus suo viduatam Pastore. Ea nondum modum imposuit lacrymis iactura amatissimi Praesulis Iosephi Caietani Incontri, qui coeteras inter curas in Sanctae Religionis utilitatem et gloriam uno ferme anno anteaquam ad coelestem Beatitudinem evolaret, ferventissimae suae in Divini Redemptoris Matrem pietatis ardore succensus una cum aliquibus sibi dilectis in Christo Fratribus humillibus precibus a Sanctitate Vestra petierat, obtinueratque, ut in tota hac Dioecesi in Praefatione Missae vox illa enunciaretur « Immaculata » et die eiusdem Beatissimae Virginis Conceptioni sacro officium proprium ab omni Clero recitaretur.

Ego, qui ex minimis electus, ut praestantissimi Praesulis vicibus prae viribus fungar una cum devotissimo civitatis et dioecesis Clero Vestrae Sanctitatis Catholicae fidei Magistrae cui S. Revelationis depositum Iesus Christus tradidit sibique Vicarium in terra reliquit, consiliis, decisionibus, doctrinisque firmiter adhaerens laetor, magnaque cum spe illud omni laude dignissimum nuntium expecto, quo detur tum omnem Clerum, tum omnes Dioecesis populos certiores facere iam ut Dogma Catholicum ab Apostolica Sede constitutum esse Immaculatum Beatissimae Mariae Virginis Conceptum. Id vero ingentis consolationis omnibus futurum esse praesentio tum quia consonum est utriusque Testamenti documentis, constanti traditione et Conciliorum doctrinis fultum, tum etiam sapientissimorum ho-

minum opinionibus, et argumentis defensum, et a Romanis Pontificibus ea qua pollent auctoritate comprobatum. Et sane, Sanctissime Pater, fuit admiratione digna populi frequentia et pietas illis tribus diebus, quibus ad mentem Sanctitatis Vestrae preces et vota in templo Virgini Sanctissimae dicato ad aram ei sacram prolata fuere, quantaque laetitia illud repetebat canticum « Et macula originalis non est in Te. »

Tam laudabile consilium in honorem Dei Genitricis Coeli et terrae Reginae respiciat D. O. M. ut per eam, quae merito christianorum Auxilium nuncupatur, etiam nunc temporis haereses, erroresque in S. Religionem ubique locorum suscitati extirpentur, perditi mores corrigantur, et in hominum cor aut redeat si defecit, aut confirmetur si permanet vera fides, sine qua impossibile est placere Deo. Hoc unum levamini poterit esse Sanctitati Vestrae innumeras inter angustias, quibus longo ab hinc tempore vel maxime premitur ac torquetur.

Apostolicam Benedictionem tum sibi, et Clero cum toto Volaterrano populo humiliter ac suppliciter petit ac exorat minimus e Servis Sanctitatis Vestrae.

Volaterris 4 Idus Septembris 1849.

Aloysius Maria Paoletti *Vicarius Capitularis.*

XXXI.

DEL DECANO DEL CAPITOLO METROPOLITANO

DI EVORA ECC.

BEATISSIME PATER

Ego Decanus Capituli Sanctae Metropolitanae Ecclesiae Eborensis Vicariusque Apostolicus Aegitaniensis Dioecesis in Lusitaniae Regno, debitum Sanctitati Vestrae honorem praestans, tametsi minimus inter filios Tuos, ad Sanctitatis Vestrae Pedes provolutus, ad Mandatum Tuum in Litteris Apostolicis Caietae datis die secunda Februarii decurrentis anni exequendum, accedo.

Perspicua sunt, et sole clariora, quae, diu desideratam exposcunt Conceptionis Beatae Mariae semper Virginis definitionem.

Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum Auctoritates, Decreta Pontificia, Revelationes, Praedictiones, unanimis fidelium consensus, commune insignium Theologorum placitum suadent, Sanctissimam Dei Genitricem absque labe originali fuisse conceptam.

Ego a teneris annis semper habui ut proximam fidei hanc immunitatem, et cum suscepi in alma Conimbricensi Academia gradum in iure Canonico, Virgineae Immunitatis defensionem iuravi, quod iuramentum usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adiuvante) retinebo, atque servabo.

Non solum ego, sed etiam Clerus, fidelesque huius Dioecesis suppliciter exoptamus, et de genu instantissime imploramus, ut Beatissimae Dei Genitricis singularitatem, et exemptionem a peccato originali ad sacra nostrae Religionis dogmata referas, atque idipsum, quod Apostolica Sedes a saeculis fovet et veneratur, orthodoxum constituas, et ex Petri Cathedra declares.

Tibi Pontifici Maximo, Optimo, Sapientissimo, et re ac simul no-

mine Pio, tantam gloriam, felicitatem tantam reservatam auspicor, ut et fidelibus populis hanc conniventibus desideriis expectatam laetitiam adducas.

Nos fortunati subditi Tui coram Patre luminum perennibus fusis supplicationibus humiliter, et indesinenter deprecabimur, ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeas, quod ad maiorem tum Sancti Sui Nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum Ecclesiae utilitatem pertinere possit.

Auctoritate in praedictis Litteris concessa suffultus iussi, ut Clerus huius Dioecesis Canonicas Horas de Beatissimae Virginis Conceptione recentissime compositas loco earum, quae in communi Breviario continentur, recitaret.

Et quoniam Indulto 3 Augusti anni proximi praeteriti Vestra Sanctitas Religiosis S. Petri de Alcantara, et S. Paschalis Baylon in Regno Neapolitano concessit, ut dies septima Decembris Vigilia sine ieiunio cum Missa propria de Beatissimae Virginis Conceptione fuisset, idem Indultum, ut ad hanc Dioecesim extendatur, humillime Sanctitati Vestrae deprecor.

Deus Optimus Maximus, qui Te in summi Pontificatus eminentia collocavit, Tuam pretiosam vitam servet incolumen, ad Sanctae Ecclesiae ornamentum, solatium, vereque maximam utilitatem.

Haec utique sunt vota huius obedientissimi filii, qui reverenter, et enixe postulat Apostolicam Benedictionem, quam a Sanctitate Vestra obtenturum sperat

Vestrae Sanctitatis

Aegitaniae die 9 Ianuarii 1850.

Humillmus ac Observantis. Filius et Servus
Iosephus Antonius di Matta et Silvius.

XXXII.

DEL VICARIO CAPITOLARE

DELLA DIOCESI DI BEJA *IN PORTOGALLO*

BEATISSIME PATER

Statim ac ad me, servum humillimum Sanctitatis Tuae, tamquam Vicarium Capitularem Dioecesis Pacis Iuliae, Sede Vacante, pervenit Venerabilis Epistola Encyclica a Superno Pontificioque Solio emissa, quae incipit: *Ubi priorum* Caietae die secunda Februarii anno a Christi Netivitate millesimo octingentesimo quadragesimo nono, cuius gravissimum argumentum est Beatissimae Virginis Mariae Conceptum omni ab prorsus originalis culpae labe immunem definire, ita ut haec ipsa definitio teneatur in posterum, et credatur veluti Ecclesiae Catholicae Doctrina; ad concionem vocavi Parochos ac Presbyteros istius Civitatis in aulam Episcopalem, die vigesima secunda huius mensis, ut ex ore ipsorum possem exaudire eorum suasionem et devotionem, eorumque desiderium hac super definitione, quo Beatitudinem Tuam huius rei certiorem facerem, quemadmodum praecipitur et decet.

Lecta igitur, auditaque attente, devota et illa submissione quae debetur tantae rei, tantoque Auctori Epistola ipsa piissima, omnes una voce, et imo cordis affectu exclamarunt; se non solum cupere, sed efflagitare etiam atque etiam Apostolicam Sedem, ut tale hoc negotium decernere dignetur in honorem Sanctissimae Virginis, solemniter iudicando, Dei Matrem sine labe originalis peccati fuisse Conceptam. Talis enim fuit suasio, dixerunt, Patrum Concilii Tridentini, ut clare liquet ex dictis ipsorum in sessione tertia de peccato originali. Quin immo addiderunt praeterea, se hanc quaestionem in suis animis iamdiu habuisse ut ratam, quamquam

revera nondum dirempta fuisset ab Ecclesia, vel ex Cathedra solemni iudicio, cuius tamen decisionibus ac decretis super hac re obedire parati erant, si quando aliter ab eadem decerneretur, quod non erat sperandum: atque insuper etiam oves suas non solum in ea persistere sententia, sed pie credere illam iampridem fuisse ab ipsa Ecclesia constitutam.

Et haec est, Beatissime Pater, communis opinio totius Dioecesis Pacencis, qua, Omnipotentis Dei auxilio, maxime congratulor, etiam quia illam defendere debeo ex vi iurisiurandi, quo me obstrinxi in Academia Cominbricensi pro iuris Canonici gradu obtinendo, praeterquam quod ipsam sponte quidem defendissem etiam si minime obstrictus.

Humiliter ac reverenter accipio gratiam novi officii Immaculatae Conceptionis a benigna manu Sanctitatis Tuae emissam.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut Beatitudinem Tuam diutissime et quam citius incolumen sospitemque servet ab aerumnis quibus afficitur, in Sanctae Matris Ecclesiae nostrique et omnium consolationem.

Ad sanctissimos Beatitudinis Tuae pedes provoluti ego, Presbyteri, ac Fidelis Populus huius Diocesis humiliter deprecamur Apostolicam Benedictionem.

Sanctitatis Tuae

Pace Iulia die 28 Aprilis anno 1849.

Humillimus Servus

Georgius Emmanuel Soto Pimentel *Vic. Cap. Pacencis Dioecesis*

XXXIII.

Altra del medesimo

Beatissime Pater

Vigesima octava die Aprilis anni proxime praeteriti, ad Te Sanctissime Pater, per manus Apostolici Internuncii, responsum direxi super Encyclicam Caietae datam die secunda Februarii anni eiusdem, ad gravissimum argumentum immunitatis Beatissimae Virginis Mariae attinens: in eo, meo, et totius populi huius Dioecesis nomine, reverenter et humiliter rogavi, ut benignitas Tua decernere dignaretur Virginem Mariam sine labe fuisse conceptam, et ita in posterum, a fidelibus, velut Dogma nostrae religionis crederetur. Nunc autem, per manus piissimae et fidelissimae Reginae, non solum eamdem rogationem eamdemque reverentiam innovo, sed aliam adiicio: non explet enim illa tanta gratia ardens desiderium totius huius populi erga Virginem adorandam; considerantes quam digna sit laudibus tam humanis quam Angelicis, Mater tanti Dei, et Regina Angelorum; recognoscentes etiam quam gratitudinem filiorum meretur ista Mater purae delectionis, et refugium peccatorum; ad Te Beatissime Pater purissimum fontem istiusmodi gratiarum, confugimus, et obsecramus ut nobis concedas in die septima decembris vigiliam Conceptionis Virginis cum Missa propria, nullo ieiunio.

Hoc studium, quod iampridem nostris cordibus flagrat, nobis inflammatum est accensa devotione fidelissimae Reginae nostrae, utpote ex circulari eiusdem data vigesima sexta die Decembris proximi praeteriti evidenter demonstratum est; et ideo tam Reginae, quam nobis magnopere grata erit gratia haec quam suppliciter etiam atque etiam deprecamur.

Ad sanctissimos Beatitudinis Tuae pedes provoluti ego, Praesby-

teri ac fidelis Populus huius Dioecesis humiliter deprecamur Apostolicam Benedictionem.

Sanctitatis Tuae

Pace Iulia die 14 Ianuarii anno 1830

Humillimus Servus
Georgius Emanuel Soto Pimentel *Vic. Cap. Pacen. Dioecesis.*

XXXIV.

DEL VICARIO GENERALE

DI PINHEL

(*Traduzione*)

SANTISSIMO PADRE

I doveri di suddito benchè indegno, infimo e peccatore, ma ciò non ostante figlio del Santo Abate di Chiaravalle, la professione interna ed esterna che feci fin da quando fui rigenerato colla salutare acqua del Battesimo alla Religion santa di Gesù Cristo nostro Salvatore, la divozione che di tutto cuore consacro alla Madre Santissima e a tutti i Santi e Sante della Corte celeste, l'invito, di cui Vostra Santità si degnò onorarmi, ed anzi il soave precetto che m'impose affinchè io senza meriti, senza lumi, senza dottrina, limitato alla trista condizione di Egresso, benchè al presente incaricato del regime di questo Vescovado, recassi a'piedi di Vostra Santità il mio voto e la mia opinione circa il grave punto: se debbasi definire come dogma di Fede la Concezione Immacolata della Vergine Maria Madre

di Dio, tutti, tutti son motivi, o Signore, che esigono da me l'adempimento, e che come attual reggitore di questa Diocesi Pineliense soddisfaccia a quest'obbligo pio altrettanto che religioso. Voglia il Cielo che io possa parlare come conviene alla gloria di Dio ed al rispetto dovuto a Vostra Santità.

La dottrina così saggiamente spiegata dal Rev. P. Perrone e dall'Eminentissimo Card. Lambruschini e da molte altre abili penne, nulla lascia a bramare, perchè per tutto l'orbe cattolico venga definita come domma di Fede la Immacolata Concezione della Vergine Santa, in quanto che essendo i suoi argomenti così chiari ed evidenti, apparisce colla più facile induzione, oltre la pia credenza, la conclusione di queste misteriose idee.

Credo pertanto, o Signore, e molto desidero che venga definito come domma questo punto. Di questi medesimi desiderii e pii sentimenti è animato tutto il Clero di questa Diocesi, e tutti gli altri Fedeli che compongono questo piccolo gregge e che tutti hanno l'onore di essere sudditi obbedientissimi di V. S., perchè io li trovo penetrati di questa pia credenza e della più viva divozione verso la Immacolata Concezione della Vergine Maria.

Piaccia ai Cieli, che il Divino Padre dei lumi si degni rischiarare gli spiriti, affinchè sia un giorno definito un così importante oggetto e che la decisione sia per gloria di Dio, per maggior culto della Santa Vergine e per fortuna e felicità di tutto il Cristianesimo. Lo spero, e sarà questo tutto il mio impegno, poichè mi pregio di essere zeloso divoto dell'onore e gloria della Madre di Dio.

Si degni Vostra Santità d'impartire la Sua santa benedizione a tutti i Suoi sudditi di questa Diocesi ed all'indegno Sacerdote che li regge, e che baciando i sagri piedi di Vostra Santità, prega Dio Nostro Signore per la felice e lunga conservazione della Santità Vostra per fortuna di tutto l'orbe cattolico.

Di Vostra Santità,

Pinhel, 14 Novembre 1849.

Suddito Obbediente e Servo Sommesso
Giuseppe Freire Falcao *Vic. Gen. di Pinhel.*

XXXV.

Altra del medesimo

BEATISSIME PATER

Suavissimum praeceptum, Beatissime Pater, quod mihi iniungere dignatus es amantissimis Litteris Caietae datis die secunda Februarii anno Domini millesimo octigentesimo quadragesimo nono, cum maxime adimplere; itemque mandato Reginae Fidelissimae obtemperare, optarem, quae, et pietate animo ingenita, et praecipuo cultu erga Conceptionem Immaculatam Sanctissimae Virginis affecta, Apostolicae Sedis reverenda consilia exequi vehementer optat significaturus quoque, tum qua devotione erga Immaculatae Virginis Conceptionem animatus sim, tum quo desiderio flagret Clerus Populusque huius Dioeceseos circa tantae rem magnitudinis, ad Te Domine, quae Tua natura et humanitas est, humilem hanc responsionem deferre non dubito.

Conceptionem Deiparae Immaculatam a spectatis pietate viris, ingenio, doctrinaque praestantibus, demonstratam fuisse luculenter, nemo certe ibit inficias: reliquum est igitur ut, beatissimae Virginis Mariae Conceptum Immaculatum omnino fuisse, veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam, auctoritate, qua fungeris, definiri velis, ita clementissimus luminum Pater Te superna Divini Sui Spiritus luce perfundere dignetur, ut, in tanti re momenti, id consiliis suscipere valeas, quod ampliorem et sancti sui nominis gloriam, et Beatissimae Virginis laudem, et militantis Ecclesiae utilitatem praestare possit.

Mihi quidem, caeterisque fidelibus huius parvae Dioeceseos, utpote in gremio verae Religionis Christianae natis; iam inde ab teneris, ut aiunt, unguiculis, nihil fuit antiquius, quam ut, singulari pietate, intimoque cordis affectu Beatissimam Virginem colentes, hoc argumentum ab Apostolica Sede solemni iudicio tandem aliquando decerni, mirifice optaremus.

Itaque ut desideria nostra omnino impleantur, preces in hac Dioecesi publicas indicemus, ac toto corde peragi curabimus: gratulantes invicem, quod vocem illam *Immaculatam* in sacra liturgia, ac praesertim in Praefatione Missae de Beatissimae Virginis Conceptione palam publiceque enunciare et addere liceat.

Quoniam vero, Pater Beatissime, peculiares Horae Canonicae de Beatissimae Virginis Conceptione, Romano Clero a Te olim concessae, iam nunc typis editae sunt, ut eae in hac Dioecesi a Pineliensi Clero persolvantur, ego quoque, et libentissime utique, operam dabo.

Cum itaque ad nos allatum est, Te, Pater Beatissime, Apostolicis Litteris datis tertio Nonas sextiles anno Domini millesimo octigentèsimo quadragesimo nono Fratribus Minoribus strictae observantiae ex Provincia Sancti Petri de Alcantara, et Sancti Paschalis Baylon in Neapolitano regno, concessisse, ut septima die Decembris Festum vigiliae, absque ieiunio tamen, cum Missa propria agere eisdem liceret, gaudio sane magno gavisi sumus, Teque etiam atque etiam rogamus, ut idem nobis indulgere digneris.

Quae cum ita se habeant, Domine Sanctissime, Apostolicam Benedictionem et mihi, et parvo huic gregi, cuius cura mihi, immerito quidem, commissa est, a Te summo opere postulamus: Vestraeque Sanctitatis Pedes osculati, Dominum Optimum Maximum toto corde rogamus, ut et animi et corporis bona Tibi tribuat omnia, quae laetitiam nobis, Orbique Christiano prosperitatem ingenerare possint.

Benigno itaque oculo, Princeps Celsissime, me adspice, utpote animum gratissimum, et devotissimum erga Te semper habiturum, profitentem.

Pinelii Kalendis Februarii anno Domini 1850.

Iosephus Freire Falcao *Vic. Gen.*
Dioecesis Pineliensis.

XXXVI.

DEL VICARIO GEN. CAPITOLARE

DI AGRIA

Beatissime Pater

In homagiale obsequium Encyclicarum Apostolicarum Sanctitatis Vestrae Caieta de dato 2 Februarii anni praeterlapsi 1849 ad Praesules Ecclesiarum Orbis Catholici in merito decidendae Apostolica Sanctitatis Vestrae Auctoritate quaestionis de Immaculata Conceptione Beatissimae Virginis Mariae dimissarum, ego quoque, cui tamquam Capitulari Vicario Dioecesis haec Agriensis de praesenti moderanda obtigit, sensa Cleri populique fidelis, prout Sanctitas Vestra benigne iussit, humillime indicare sustineo.

Clerus, populusque Dioecesis huius, prisca Patrum suorum religione imbutus, singulari fertur in Beatissimam Virginem, Dei Genitricem, Patronam Hungariae cultu et affectu, idque devota dierum eidem Beatissimae Virgini festorum celebratione, in quibus ad Sacramentum Poenitentiae accedere prae ceteris assolet, tum specialibus devotionibus et confraternitatibus Sanctissimae Virgini sacris, uti est Societas SS. Rosarii, item SS. Cordis B. M. V. nec non numeroso confluxu ad loca, in quibus icones gratiosae B. M. V. coluntur, testatum facit; frequentissimae sunt insuper imagines, statuaeque Beatissimae Virginis, altaria item, capellae ac templa eiusdem honori dicata.

In specie autem Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis fides apud populum fidelem Dioeceseos huius tam alte infixa tamque profunda est, ut vel dubium eatenus, ne dicam contrarium, sine gravissima offensione ne audire quidem possit, festumque Con-

ceptionis B. M. V. in diem 8 Decembris incidens, in celebrationem Immaculatae Conceptionis institutum teneat.

Unde fidei huic conformiter Clerus ferme omnis, et populus fidelis Dioeceseos huius, cui antiquissimum omni aevo fuit, Ecclesiam, et caput huius, sedentem in Cathedra Petri Papam, instar obedientis filii, audire, et Apostolicae vocis auctoritati subiici, nil magis exoptat, quam ut pia eius fides de Immaculata Dei Genitricis Conceptione, oraculo Sacrae Sedis Apostolicae, pro doctrina Ecclesiae Catholicae decernatur, declareturve; cuius rei definitio ut afflante Divino Numine suscipiatur, Clerus populusque fidelis Dioeceseos huius, indictis, et per quadrimestre institutis publicis precibus, auxilium ex alto ferventer imploravit.

In reliquo Apostolicam pro me et Clero populoque Dioeceseos huius de genu exorans Benedictionem, in osculo sacrorum pedum emorior

Sanctitatis Vestrae

Agriae 13 Iulii 1850

Humillimus Filius
Augustinus de Roskovány
Vicarius Generalis Capitularis Agriensis.

XXXVII.

DEL VICARIO GENERALE

DI CASTELBRANCO *IN PORTOGALLO*

Beatissime Pater

Cum ab Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino Cardinale Patriarcha Lisbonensi, Administratore Apostolico huius Albicastrensis Dioecesis cura mihi sit commissa, officium votaque mea libentissime exsolvo, ad Sanctitatem Vestram has litteras scribens; quantumque in me est satis oneri facio, quod mihi in Encyclica die 2 Februarii Caietae data, fuit impositum.

Animus mihi deficit, Beatissime Pater, cum virium mearum tenuitatem, ingenii mediocritatem, reique magnitudinem, et sublimitatem attente considero: de quo Immaculatae Virginis Mariae Conceptionis mysterio nihil auderem dicere, nisi obedientia motus, devotioneque flagrans erga Sanctam Sedem Apostolicam.

Sed quid in tam gravi materia post tot, tantosque viros studiis, virtute, et pietate eminentes possum ego dicere? Ut tamen muneri satis meo faciam, dicam quod sentio, deque sensu et devotione Cleri, populique huius Dioecesis fidelis testimonium perhibebo.

Non me latet, Beatissime Pater, ab aliquibus viris alioquin doctis hoc Beatae Virginis Mariae privilegium in dubium esse vocatum. Horum tamen argumenta prae aliis et numero maioribus, et pondere firmioribus adeo iudicio meo exigui sunt momenti, ut mihi non possum non persuadere Beatam Virginem Mariam Matrem Dei, Reginamque Angelorum absque omni prorsus originali macula fuisse conceptam.

Hic est sensus, persuasioque totius Cleri, omniumque huius Dioecesis fidelium; eam testantur innumera templa in honorem Beatae

Virginis erecta, liturgiae, aliaque quamplurima monumenta, quae etiam sunt argumenta magnae Nostrum Regum, omniumque Lusitanorum erga Immaculatam Virginis Conceptionem devotionis.

Cum vero de Immaculata Deiparae Conceptione pia sententia in Traditione, et Scripturis saltem implicite contineatur, ut quamplurimi docti demonstrarunt; sensuique et publicae totius Ecclesiae professioni sit conformis; pronum inde fit eam dogmatico decreto posse definiri.

Quin et hoc mihi videtur verissime posse affirmari, decretum istud iis omnibus fore gratissimum, qui Immaculatam Virginis Mariae Conceptionem credunt, et profitentur, Catholicis videlicet universis, praesertim mihi, Clero, et omnibus utriusque sexus huius Dioecesis fidelibus.

Datum Albicastri die 25 Februarii anno 1850.

Iosephus Marques Liete, *Vicarius Generalis*

XXXVIII.

DEL VICARIO APOSTOLICO

DELLE ISOLE MARCHESI *NELL' OCEANIA ORIENTALE AUSTRALE*

TRÈS-SAINT PÈRE

Lorsque nous est parvenue la Lettre dans la quelle, sous la date du 2 Février 1849 Votre Sainteté demande à tous ses enfans le secours de leurs prières pour qu' il plaise au Seigneur de lui faire connaître ce qu'il convient de décider touchant l' Immaculée Conception de Marie, Monseigneur l'Evêque de Basilinopolis, Vicaire Apostolique de ces Iles était absent et se trouvait probablement encore dans la Ville Sainte, où Sa Grandeur était aller déposer elle-même aux pieds de Votre Sainteté l'hommage de sa profonde vénération et de sa soumission la plus entière.

Néanmoins, Très-Saint Père, nous nous sommes empressés, selon le désir de Votre Sainteté d'élever nos mains et nos coeurs vers le Ciel pour en faire descendre sur elle, autant qu'il a été en nous, les grâces et les lumières de l'Esprit Saint.

C'est aussi, Très-Saint Père pour répondre au désir de Votre Sainteté que j'ose ajouter que les quatre Prêtres que en ce moment composent le clergé des Iles Marquises apprendront avec la plus vive satisfaction que Votre Sainteté a décidé comme article de foi l'Immaculée Conception de Marie que déjà ils se plaisent à honorer et à faire honorer publiquement par leurs Néophites sous le titre de Vierge conçue sans péché, conformément à la pratique générale de l'Eglise.

Quant a Nos Néophites, malheureusement en fort petit nombre, encore trop nouveaux dans la foi pour avoir sur l' Immaculée Con-

ception d'autres sentiments que ceux que nous avous tâché de leur inspirer, je me bornerai, Très-Saint Père, à assurer Votre Sainteté qu'ils aiment à honorer chaque jour le Très-Sainte Vierge par la récitation en commun de la cinquième partie du chapelet et des Létanies composées en son honneur.

Maintenant, Très-Saint Père, prosterné tres humblement et avec les sentiments de la plus profonde vénération aux pieds de Votre Sainteté, je Vous supplie de vouloir bien m'accorder sa Bénédiction Apostolique, et non seulement à moi, mais encore a mes confrères et aux fidèles de ce Vicariat Apostolique.

Muihira 28 Août 1850.

Le Pro-Vic. Ap. de M. l'Ev. de Basilinopolis
R. Dordillon.

XXXIX.

DEL SODALIZIO DE' TRENTATRE' SACERDOTI

SOTTO L' INVOC. DELL' IMM. CONCEZ. DI MARIA

IN NAPOLI

BEATISSIME PATER

Cum primum nobis, SS. Pater, iucundissimus relatus esset nuntius Te Neapolim adventasse, illico fuit in votis a Te fidelium omnium Parente expetendam gratiam, quae modo heic tanquam ab ipso gratiarum Auctore expostulatur. Nos sexaginta et tres Presbyteri in Sodalitium cooptati sub omine ac Nomine SS. Virginis sine originali labe conceptae, quibus intemeratae Deiparae dulcissimum Nomen est turris fortitudinis, praecipuam dilectionem erga illam ostendere peculiari studio debemus. Re sane vera quum pene omnis terrarum orbis Cathedrae Petri communioni consociatus exquisiisset, ut velut dogma fidei haberetur Dei Matrem ex omni parte victricem diri caput draconis ab initio, immo in ipso Conceptionis instanti contrivisse, nefas profecto nobis ducendum est silentio praetermittere hoc animi nostri desiderium fervens, et operae praetium existimandum supplicibus verbis illud patefacere. Excipe, SS. Pater, hanc nostram humillimam postulationem, ac nostris precibus dexter adesto. Adsit clemens coelorum Rex; atque ingeminata laetitia Tuae praesentiae, ac desideratissimi oraculi Tui paveat daemon, exultet coelum, gaudeat mundus; ac Te Duce, SS. Pater, uti confidimus temporibus nostris, *fiat unum Ovile et unus Pastor*.

Venerabundi interea, ac Tuis pedibus provoluti, Benedictionem Tuam, Pater Beatissime, vehementer exoptamus.

Datum Neapoli 14 Kalendas Februarias 1850.

Par. Raphel Tizzana *Sup.*

Par. Raphaël Carfona *Primus Assist.*
Bartholomaeus Daniel *Secund. Assist.*
Ianuarius Ruggiero *Secret.*
Salvator. *Can.* Guarracino.
Dom. *Can.* Cuomo.
Ianuarius *Can.* de Rosa.
Can. Hieronymus Pirrozzi.
Ioannes de Georgio.
Raphaël Punso.
Paschalis Carafa.
Eugenius de Lutio
Nicolaus de Luca.
Petrus d' Avino.
Aloysius della Corte.
Ianuarius dc Rosa.
Michaël Guarini.
Ianuarius Baccaro.
Michaël Aveta.
Salvator di Iorio.
Raphaël Sobettina.
Salvator Napolitano.
Franciscus M. Orefice.
Crescentius M. Telese
Stephanus Bellisario.
Ianuarius Benvenuto.
Vincentius Demarco.
Alphonsus Tavassi.
Franciscus Potenza.
Dominicus Vitolo.
Ianuarius Tramontano.
Thomas Pecoraro.
Andreas Zacco.
Ioannes Montella.
Angelus d' Angelo.
Carolus Ruinone
Angelus Cirillo.
Aloysius Aveta.
Philippus Taglialatela.
Emmanuel Baccaro.
Antonius Spiriti.

XL.

DELLA CONGREGAZIONE

DEGLI OBLATI DELLA B. V. *IN TORINO*

BEATISSIME PATER

Nomine equidem meo in primis, non tamen meo tantum, sed et totius Congregationis Oblatorum Beatae Mariae Virginis, cuius regimen mihi, utut immerenti, arcana Dei dispositione commissum est, hanc, Beatissime Pater, humillimam simul atque incensissimam postulationem ante pedes Vestros constituo; ut scilicet Sanctitas Vestra pro suprema et infallibili, qua divinitus pollet, auctoritate, quantocius piissimam illam de Immaculata eiusdem Beatae Mariae Virginis Conceptione sententiam solemniter definiat, omnibusque fidelibus tamquam Fidei Dogma credendam proponat.

Id, inquam, non meo tantum, sed et totius nostrae Congregationis nomine postulo seu verius mecum postulat ipsa Congregatio; nam cum eius animum exploraturus, missa paucis ab hinc diebus per omnes domos epistola et formula ad libitum subscribenda, edixerim ut quisquis mihi in imploranda dogmatica definitione, de qua sermo est, adiungere se vellet, formulam hoc ipsum declarantem propria sui ipsius subscriptione firmaret; omnes ubique sive Presbyteri, sive Clerici, sive fratres Coadiutores laici, et si nullo praecepto vel consilio sed sola quisque sua in Immaculatam Virginem devotione illecti, unanimi prorsus conspiratione propositam formulam subscripserunt; ac propterea omnino verum est omnes mecum, nullo plane excepto, idem petere quod ego.

Neque haec nostra in Sanctissimam Deiparam sine labe originali Conceptam devotio recens est, sed eam pueri, velut pretiosissimam haereditatem, a parentibus accepimus, et fideliter cu-

stodivimus ; crevit autem , etiam emisso privatim a compluribus Conceptionem eiusdem Sanctissimae Deiparae Immaculatam credendi voto, postequam nomen dedimus Congregationi nostrae, quae ab ipso Sanctissimo Beatae Mariae Virginis Nomine se nuncupari gloriatur , quaeque idcirco , Eiusdem cultui ac venerationi peculiari ratione addicta, Eam omni quo potuit modo semper honorare studuit, exemplum in hoc sequuta praeclari Dei servi et Fundatoris sui Pii Brunonis Lanteri, qui pro maxima qua erga Beatissimam Virginem afficiebatur devotione, in Directorio pro Congregatione ab ipso composito illud etiam omnibus specialiter commendatum voluit, ut: *ad immaculatam Conceptionem quod spectat, sint parati ad illam toto ardore defendendam;* at vires adhuc multo maiores sumpsit ex quo ad maiorem inclytae Dei Genitricis gloriam per Vestrum Praedecessorem recol. mem. Gregorium XVI, Vestramque Sanctitatem tot aliis in omni orbis parte, ac nobis ipsis licuit sive in sacris Litaniis, sive in Praefatione Missae de Conceptione eamdem Dei Genitricem *sine labe conceptam* vel Conceptionem eius *immaculatam* diserto solemnique vocabulo celebrare.

Hinc ubi nos pervenit notitia Litterarum Apostolicarum diei 2 Februarii superioris anni, quibus Sanctitas Vestra, decernendae immaculatae Conceptioni viam parans, a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis totius Catholici Orbis exquirebat, ut significarent quid ipsi imprimis de hac re sentiant, quidque exoptent tum etiam qua devotione eorum Clerus, populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur; tributa interim illis omnibus ampla facultate ut, si ita placeret, universus propriae Dioeceseos Clerus peculiares Canonicas horas de Beatissimae Virginis Conceptione recentissime compositas ac Romano Clero iam concessas persolvere libere et licite possit loco earum quae in communi Breviario continentur, quin eiusmodi veniam a Vestra Sanctitate, vel a Sacrorum Rituum Congregatione implorare debeant, exultavit Spiritus noster in Deo salutari nostro; sive quod haec omnia magis magisque augendo ubique Immaculatae Conceptionis

cultui mirum in modum deservirent, sive quod videretur magno cum fundamento sperari posse futurum ut Dogmatica Immaculatae Conceptionis Definitio iam non esset amplius diu desideranda.

Eia igitur, Beatissime Pater; praelaudatae Litterae Vestrae gaudium annuntiarunt nobis, gaudium universo mundo; sed gaudium hoc nondum est plenum; impleat illud, si Deo placet, Sanctitas Vestra, edita, ubi primum licuerit, Dogmatica Immaculatae Conceptionis definitione, quam properari potius quam differri centena persuadent argumenta. Quatuor dumtaxat ego brevissimis verbis commemorabo.

Primum est quod hic agatur de definitione omnino certissima ex parte veritatis definiendae; ut constat vel ex eo solo quod cultus Immaculatae Conceptionis in toto orbe Catholico vigeat ac floreat non solum sciente et permittente, sed approbante, imo multifariam multisque modis favente, ac etiam praecipiente Ecclesia: quae nimirum, inter alia, in honorem Conceptionis Beatissimae Virginis annuum Festum cum Octava in toto orbe Catholico de praecepto celebrandum instituit, et celebrat non quocumque sensu, sed in sensu Conceptionis Immaculatae, quemadmodum ex Pontificiis Constitutionibus et Declarationibus in eam rem editis compertum est; ex altera vero parte, attentis Christi promissis, plane repugnet Ecclesiam errare potuisse in re adeo gravi ad religionem pertinente; cuiusmodi esset post tam maturum ob exortas controversias, ac tam saepe innovatum totius negotii examen, cultum falsum, vel falso sensu intellectum in honorem Beatissimae Virginis approbare et insignibus favoribus promovere, eique in toto Orbe Catholico exhibere et exhibendum praecipere.

Secundum est quod agatur de Definitione omnino gloriosissima et acceptissima ex parte Sanctissimae Virginis, in cuius honorem cessura est; quid enim gloriosius Illi, quam solemniter definiri, et ab omnibus catholicis fide divina credi, ipsam unam ex omnibus Adae posteris singularissimo gratiae privilegio non fuisse sicut ceteros filiam irae, sed vel a primo suae Conceptionis instanti, antiqui serpentis capite contrito, vicisse ex omni parte pec-

catum, semperque Deo fuisse dilectam? Praesertim quod tam excellentem hanc eius praerogativam superioribus aetatibus nonnulli vel inter ipsos Sanctos, eique addictissimos viros, inficiari vel de illa dubitare visi sint. Cultum autem nova ac sublimiore illa ratione exhibendum, acceptissimum eidem futurum, inter alia plurima, satis demonstrant numisma sic dictum miraculosum (la medaglia miracolosa) et mirabilis Israelitae Alphonsi Mariae Rabisbonne ad fidem conversio.

Tertium est quod agatur de definitione omnino exoptatissima ex parte fidelium illam praestolantium; prout aliis missis, clare testantur tot illae postulationes ad Sedem Apostolicam a viginti circiter annis continenter perlatae, de quibus in praelaudatis Vestris Litteris, et aliae ex omnibus Orbis partibus post easdem Vestras Litteras numero sane quammaximo perferendae. Sed, quod valde maius est, talem definitionem postulat omnium prima, omniumque dignissima cui satisfiat, ipsa flagrantissima ac tenerrima Vestrae Sanctitatis erga Sanctissimam Virginem pietas. Postulamus quoque ardentissime nos ipsi omnium minimi ad maiorem laudem et gloriam eiusdem Sanctissimae Virginis, Matris nostrae peramantissimae, cui, post Deum, ut omnia prorsus nos debere profitemur, sic illud vel maxime quod Congregatio nostra in nimis lugendis hisce rerum conversionibus, singularissima ac potentissima Eiusdem protectione, neque violentam ex propriis domibus expulsionem, principio magnopere veritam, neque postea civilem suppressionem, etsi iam voto unius ex duabus Cameris sancitam, passa fuerit.

Quartum denique est quod agatur de definitione omnino fructuosissima ex parte utilitatis spiritualis in Ecclesiam universam derivandae; haud dubium namque quod Sanctissima Virgo, ab universa Ecclesia tam glorioso ac tam accepto eidem cultu honorata, futura sit universae Ecclesiae magis patens largissimarum gratiarum ac coelestium benedictionum fons; ita ut Dogmatica Immaculatae Conceptionis definitio videatur habenda tamquam initium felicioris illius epochae, in qua potissimum, mundo ad finem vergente, adimplendum sit magnum illud promissum Ecclesiae et visibili eius Capiti factum a

Christo Iesu *Apoc. III. v. 8 et 9*: « Ecce dedi coram te ostium aper-
« tum, quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem, et
« servasti verbum meum, et non negasti nomen meum: Ecce dabo de
« Synagoga Sathanae, qui dicunt se Iudaeos esse et non sunt; sed
« mentiuntur. Ecce faciam illos, ut veniant et adorent ante pedes
« tuos, et scient quia ego dilexi Te ».

Interea dum, quod Sanctitas Vestra tantopere exoptat, humiles fervidasque preces Deo optimo maximo adhibemus, ut eandem Vestram Sanctitatem eo coelestis suae gratiae lumine collustret, numine afflet, quo in definienda Immaculatae Conceptionis veritate consilium suscipiat ad sancti sui Nominis gloriam, Beatissimae Virginis laudem, et militantis Ecclesiae utilitatem magis profuturum eundem pari cordis affectu exoramus ut per intercessionem Beatissimae Virginis sine labe originali conceptae Sanctitatem Vestram Romanae Tuae Sedi quamcitissime restituat, et omnibus dulcedinis benedictionibus per reliquam vitam repleat. Amen.

Taurini ex nostris aedibus Beatae Mariae Virginis Consolatae die 2 Februarii an. 1850.

Ioseph Antonius Avvaro *Sacrae Theologiae Doctor*
Rector Maior Congregationis Oblatorum Beatae Mariae Virginis

XLI.

D' UN SACERDOTE

DELLA CONGREGAZIONE D. O. *IN VENEZIA*

BEATISSIMO PADRE

Un misero Sacerdote della Congregazione dell'Oratorio di Venezia tutto esultante pella prossima definizione dell' Immacolato Concepimento passivo della Gran Vergine Madre di Dio, che Vostra Santità è determinata di pronunciare, prende coraggio nella breve dissertazione che V'invia [1] di manifestarvi con piena confidenza cosa senta di più a favor di Maria, e di supplicarvi inoltre umilmente di una grazia sempre in lode di Essa ridondante, quando però la Beata Vergine la giudichi degna di essere esaudita. Codesta grazia sarebbe appunto, che nella futura Bolla della anzidetta sospirata definizione, fosse fatto un cenno sull'altra opinione, che la difende dai debiti d'incontrare l'Originale peccato, sostenuta già da lunghissimi anni da rinomati Teologi, massime dal Venerabile Nierembergh tra i membri dell' Inclita Compagnia di Gesù, e dal Catarino tra gl'individui della benemerita Domenicana famiglia, e chiamata pia e probabile dagli stessi avversarii della medesima, non che tale riconosciuta fino dall'ultimo Santo Alfonso Maria di Liguori. Si animerebbe così a mio parere l'Ecclesiastica gioventù a studiarla, ponderarla, difenderla a maggior gloria di Maria, finchè dalla S. Sede venisse altresì su questa Disputa proferito formale giudizio.

Tanto colla debita subordinazione implora e spera da Vostra Santità il Sacerdote suddetto, il quale nell'atto di sottoscriversi con ogni rispetto Vi bacia i santissimi piedi.

Venezia 10 Febbraro 1850.

Florio Bellan D. C. D. O.

1 Si troverà nella III Parte.

XLII.

DEL CLERO E DEL POPOLO

DELLA DIOCESI DI SASSARI *IN SARDEGNA*

BEATISSIME PATER

Si filiorum nepotumque gloria est patrum avorumque suorum votis adhaerere, ac strenue constanterque gloriosa ipsorum prosequi vestigia; si summum est gaudium, permaxima consolatio, dum felici exitu coronata conspiciuntur una cum propriis pientissima ac laboriosa maiorum suorum opera et vota; Beatissime Pater, difficile poenitus est verbis dicere quale decus, quantamve laudem hisce temporum in adiunctis Sardinia tota et cum ea Turritana civitas, Clerus populusque totius Dioecesis perceperit, quam vividius excitatum sit gaudium piissimis cordibus singulorum habitantium ipsius urbis, dum faustum gratumque nuntium, mediante voce sacrorum Pastorum ad eos devenerit, quod Sanctitas Vestra, ut totius orbis Fidelium placitis precibusque subscribat, in animis habeat ultimatim sancire, ac veluti sanctum Fidei dogma definire, Sanctissimam Dei Matrem ab originali labe immunem conceptam fuisse.

Gratius faustiusque nuntium haudquaquam expectare ac percipere poterat; enim vero, licet Sardinia minimula sit orbis portio, utpote quia parvis circumscripta limitibus paucisque populata personis, attamen non minima est si suum spectetur obsequium, si sua inspiciatur devotio circa purissimam et immaculatam Beatissimae Virginis Conceptionem.

Votum namque illud peculiare, quo Maiores nostri se ipsos obstrinxere pro hac doctrina tuenda, quod Patres nostri integrum observatumque ad nos transmiserunt, quod a nobis innovatur quotannis, dum alternatim in praecipuis Insulae urbibus Calari et Sassari

per integram octavam a Dominica Sexagesima usque ad Quinquagesimam, sacra et solemni pompa sacrisque concionibus magno populorum concursu, ac eximia devotione celebratur; innumera quoque festa votiva, quae in caeteris Insulae Urbibus, imo in minimis eius oppidis summa cum pietate, et religione pro anni decursu perficiuntur, haud dubie demonstrant quam firma et constans fuerit semper, ac sit Sardorum devotio, et cultus pro purissimo ac immaculato B. Virginis conceptu.

Binae insuper ipsius Insulae Universitates totis viribus substinuerunt et substinent hanc fidem, et tam firma ac fixa est Antecessorum circa rem hanc persuasio, ut candidatos respectivarum facultatum Theologiae videlicet, iuris utriusque, ac medicinae, ante laureae collationem adigant ad iuramentum de hac doctrina publice privatimque tuenda, et servanda.

Devotio haec tam sancta, fides pietas tam firma, quae veluti sacra haereditas ab avis relicta, florens semper et costans de nepotibus ad nepotes transmissa, pura semper et eadem servabatur a nobis, et pulchriori fulgidiorique luce refulxit dum Sanctitati fel. recor. Gregorii Sexti decimi placuit, per Pontificia rescripta sub die quinta decima Septembris anni millesimi octingentesimi quadragesimi tertii, insigni huic Turritanae Archidioecesi peculiare privilegium concedere, ut in Litaniis Lauretanis adderentur haec verba: *Regina sine macula concepta*, nec non in prefatione ipsius festi haec alia: *et te in Immaculata Conceptione* in praesentiarum maxima pulcherrimaque fulgebit luce, quam Sanctitas Vestra sanctum conceptum suum desiderium, quod nostrum et Christi fidelium omnium fulcitur votis, exequutioni mandarit. Ea propter, Beatissime Pater, Capitulum, Parochi, Clerus, Populusque totius Turritanae Dioecesis, ad Sanctitatis Vestrae pedes pervoluti, piis sanctisque populorum Orbis supplicationibus, suas adnectentes preces, humillime postulans exorantque, ut quam citius infallibili Ttuae vocis oraculo, tam grande ac exoptatum mysterium definias, ac definitum de fide credendum proponas, una cum officio ac missa ab omnibus perpetuo celebrandum, ut sic, tam sublime triumphum Summae Caelorum Dominae tribuens

Christianorum omnium placitis, Avorum, Parentum, Nostrum votis satis facias.

I. U. Doct. Coll. Petrus Paulus Delrio *Archip. Tumis.*
Archidiaconus Th. Vincentius Deliperi.
Canonicus Theol. Ioseph Sanna.
Canonicus Franciscus Bertolinis Cassu.
Canonicus Theologalis Ioannes Borra.
Canonicus Suchi Puliga Aloysius.
Canonicus Doctor Ioseph Ignatius Manunta.
Theol. Colleg. Ioannes Ambrosius Dessante *Can. Poen.*
Theol. Colleg. Ioannes Scarpa *Canonicus Turrit.*
Canonicus Ioannes Antonius Masia..
I. U. Doct. Nob. D. Ioannes Ruggieri *Decanus.*
Canonicus Franciscus Antonius Uneddu.
Theologus Canonicus Baptista Riva.
Canonicus Gavinus Quejsa.
I. U. Doct. Canonicus Vincentius Fontana.
Canonicus Franciscus Ioseph Pes a Sancto Victorio.
Canonicus Didacus Ruggeri S. *Th. Doctor.*
Theologus Salvator Agnesa *Canonicus Parochus.*
Canonicus Sebastianus Sancio.
Th. Colleg. Philippus Campus *Canon. Parochus Insignis Basilicae Turritanae Pro Clero et Populo dictae Basilicae Turritanae.*
Canon. Parochus Salvator Aguera *S. Theologiae Doctor pro Clero, et populo Ecclesiae Primatialis S. Nicolai.*
Theologus Collegiatus Ioannes Baptista Casula *Rector S. Apollinaris pro Clero et populo.*
Theologus Salvator Oggiano Rector S. Donati pro Clero, et populo.
Theologus Salvator Uguera *Rector S. Catharinae pro Clero et populo.*
Theologus Collegiatus Ioannes Antonius Aredda *Rector S. Xixti pro Clero et Populo.*
Theologus Salvator Cossu *pro Clero et Populo Rector Plevacae.*
Artium Liberalium Magister Salvator Angelus Angius *Rector Murensis pro Clero et Populo.*
Theol. Colleg. Angelus Franciscus Labaddu *Plebanus pro Clero, et Populo de Mores.*
Theolog. Don Ioseph Gambella *Rector de Ittiri pro Clero et Populo.*
Theologus Florentius Virdis *Rector de Tissi pro Clero et populo.*

Sacerdos Aloysius Sclavo *Secret. Archiepiscopus Turrit. Procurator Generalis Ecclesiarum et Causarum Piarum Archidioecesis Turritanae pro Plebano Ecclesiae Parochialis oppidi de Sorso eiusdemque Clero et Populo.*

Theol. Iosephus Simonetti *Plebanus Usinensis pro Clero, et Populo.*

Theologus Salvator Pala *Rector de Bunnanari pro Clero et Populo*

Sacerdos Franciscus Manca *Perpetuus Vicarius Bessudensis pro Clero et Pop.*

Sacerdos Iosephus Cannozzolu *Pro-Parochus de Sermori pro Clero et populo.*

Sacerdos Aloysius Sclavo *Secret. Archiep. Turrit. Procurator Gener. Ecclesiarum et Causarum Piarum Archidioecesis Turritanae pro Rectoribus Ecclesiarum Parrocchialium de Siligo, et Chiaramonti; earumdemque Clero et Populo.*

S. Th. Coll. D.r emeritus Baquisius Sogos *Rector de Thieri pro Clero et Pop.*

Theol. Colleg. Petrus Mundula *pro Clero et populo.*

S. Th. D. et Colleg. Antonius Sanna Tolu *Archipresbiter Insignis Collegiatae Hilensis.*

Sacerdos Canonicus Ioannes Maria Tolas.

Bacalaureus Th. Canonicus Pancratius Samiè.

Sacerdos Gavinus Aloysius Serra Serra *Canonicus.*

Theologus Franciscus Maria Polo *Canonicus Theologalis.*

Sacerdos Th. Colleg. Ioannes Canalis *Canonicus.*

Sacerdos Th. Colleg. Ioannes Antonius Marongiu *Canonicus Poenitentiarius.*

Theol. Antonius Iosephus Sistò *Canonicus Parochus.*

Sacerdos Canonicus Mattheus Donara.

Th. Antonius Alloa *Canonicus.*

Sacerdos Canonicus Aloysius Serra Manca.

Sacerdos Canonicus Iohannes Lambilerjca.

Th. Colleg. Canonicus Aloysius Nurra.

Salvator Pinedda *Rector de Querenule pro Clero, et Popolo.*

I. U. D. et Rect. Iosephus Virdis *Dr. Canonicus pro Clero et Populo.*

Theologus Michaël Arrica *Rector Bonorae Bonorvac. pro Clero et Populo.*

R. Paschalis Dologa *Vicarius de Roheccu pro Populo.*

Theologus Ioannes Baptista Caria *Rector de Iavo pro Clero, et Populo.*

Sacerdos Ambrosius Mulas *Vicarius Parrochialis pro Clero et Populo Paraeciae de Torralba.*

Ignatius Pinna *Rector de Borutta pro Clero, et Populo.*

Sacerdos Antonius Cherchi *Economus Parochialis pro Clero, et Populo Osanarensi.*

Theologus Coll. Ioannes Augustinus Dettin, *Florinensis Rector pro Clero et Populo.*

Sacerdos Elias Nuvoli *S. Theol. Bach. Rector Codrongianensis pro Clero et Populo.*

Sacerdos Laurentius Nurra *Rector de Cargeghe pro Clero et Populo.*

XLIII.
Qui fiat, quod Sanctus Doctor ita loquatur, nescio: dum Robertus Holkot, qui anno 1349. obiit, et Iacob Passavanti, qui 1357. obiit, amboque igitur D. Thomae fere coevi, atque eiusdemmet Religiosi Ordinis nonnihil ab ipso dissentiunt. Quorum verba eo libentius eruditionis gratia huc afferam, quia me praeterit; utrum quis hac de re amborum tam praeclaro utatur testimonio. Ait enim Holkot (*in Sapientiae 14. Lect. 161.*): « Christus plantatus in Virgine Benedicta Matre sua eam solidavit virtutibus, et gratiis sic astrinxit, quod numquam defluere potuit per peccatum mortale, vel veniale.

« Fuit enim Sanctificata in utero ita, quod mundata a peccato originali, et in ea fomes ligatus, sic quod numquam eam ad peccandum impegit. Et haec fuit prima sanctificatio in utero matris suae. Et ista sanctificatio fuit Eius vera Conceptio. Nam quam cito Virgo Beata habuit esse in utero, tam cito fuit sanctificata: non enim potuit esse sancta, antequam esset vera: ergo Conceptio Beatae Virginis attenditur, et sumitur penes instans infusionis animae in corpus sufficienter et debito modo organisatum, necnon ab omni qualitate inordinata, quam contraxerat ratione propagationis seminalis, purgatum et emundatum. Et sic patet, quod isto modo accipiendo nomen Conceptionis, stricte et proprie Beata Virgo non fuit concepta in peccato originali. Alio modo capitur multum improprie, et large per infusionem seminis in matricem, ex quo semine corpus debuit formari in utero matris suae: et iuxta hoc multum improprie dicunt quidam Ipsam fuisse conceptam in peccato originali: quod non est aliud, nisi quod anima Beatae Virginis fuisset corpori suo ex illo semine formato unita absque purificatione et emundatione illius corporis a qualitate morbida contracta ratione propagationis seminalis. Tunc certe quam cito Beata Virgo esse habuisset peccatum originale: quia fuisset sibi imputatum (N. B.) sicut Beato Ioanni Baptistae, et Ieremiae, qui tamen fuerunt sanctificati in utero matris. Sic ergo patet etc. » (*ex edit. 1586.*)

Et Passavanti (*Specchio della vera penitenza dist. 5. c. 7. ediz. Torin. 1851.*) ait: « Non dee esser dubbio a verun Cristiano fedele, che Dio potè, se volle, preservare la Vergine Maria, e guardarla dal peccato originale, come potrebbe tutto dì fare di qualunque uomo, e di qualunque femmina venisse al mondo; che se formasse un uomo, o femmina di terra, o di altro elemento, o d'un fiore, o d'un pezzo di carne umana, o d'un' osso, quel cotale non avrebbe il peccato originale, il quale, come detto è di sopra, si trasfonde o traduce col seme, di che il padre genera il figliuolo: il qual seme non sarebbe quivi seminato .... Anche potrebbe Iddio colla sua potenza infinita miracolosamente fare ingravidare una donna senza operazione d'uomo: e quel cotale uomo, che nascesse non avrebbe il peccato originale. E così potè, se volle, e in infiniti modi sopra ogni nostro intendimento, preservare la Vergine Maria dal peccato originale; ma ch' Egli il facesse, non se ne sa nulla: e però non si dee affermare quello che per certo non si sa. Cum, ut initio dixerat, la Scrittura espressamente non ne parli se non se non se in certe similitudini, e figure. »

Nihilominus doctissimus Suarez (*in 3. p. q. 27. art. 4. D. Thom. sect. 6.*) citatus ab Emo Cardinali Lambruschinio (*Dissertaz. polem. sull' Immacol. Concep.*) satis esse concedit « quod aliqua supernaturalis veritas.... in Scriptura implicite contenta sit, ut crescente communi consensu Ecclesiae, per quam saepe Scripturam declarat, tandem possit definitionem suam adhibere, quae vim habeat cuiusdam revelationis propter infallibilem Spiritus Sancti assistentiam. » — Experientia enim, inquit Kilber Henricus (*tract. de Fed. pars 1.*) et usu repetito constat, quod ex tempore Apostolorum, occasione haeresum, vel alterius necessitatis, Ecclesia per varias definitiones ... quaedam certo revelata esse pronuntiavit, aut revelationes ad obiecta particularia tamquam implicite revelata extendit. » Nec ideo sequeretur, quod scriptura illa illo antea careret sensu; sed quod ex occulto patefieret. Plurimae enim adhuc sunt Scripturae sententiae, quarum litteralis sensus et proprius latet: sicut illius *Ps. 108. 8.* — Episcopatum eius accipiat alter, — etiamnum forte lateret, nisi Petrus ore suo detexisset. (*Act. 1. 20.*)

Hinc nihil impedit, quominus tale quid contingat proposito Sapientiae oraculo studiosius perpenso; non Patres, non Ecclesiae decretum, non denique illa, quae vulgo adhibetur interpretatio. Quinimo (praeter quam quod non una eademque sit apud omnes vel iuxta moralem sensum, ut inquirenti patet) huic sententiae meae pondus addit; atque omnem a me temeritatis notam avertit Bonfrerius (*loc. cit. cap. 20, et 21.*) qui ait: « Post Ecclesiae interpretationem, vel Sanctorum consensum nihil aeque iuvat ad litteralem sensum inveniendum, quam conferre antecedentia et consequentia cum loco, cuius sensum investigamus; et si quidem omnia recte congruunt, hic sensus verior et magis nativus; praesertim ubi adiuvamenta desunt caetera; ut fere nulla alia certior regula post fidei regulas dari possit.

« Nota tamen hanc regulam in Psalmis, et Prophetis subinde, itemque sententiis, quae ita per se stant, ut cum antecedentibus, et consequentiis connexionem non habeant, locum non habere . . . quia more prophetico ab una re ad rem aliam subito avolant; alias a figura ad rem figuratam ita obscure et furtive; ut, cum de diversis rebus ante et post sit sermo, videtur tamen totus contextus de eadem re esse, maxime ubi eodem nomine figura, et res figurata afficitur: ut cum ab Israeli carnali, et populo Iudaico tacite ad Israel spiritualem et populum Christianum salitur, isque sub eodem Israelis nomine. »

« Quamvis, ait Veith (*Script. S. contra incred. propugn. p. 1 sect. 6*). Prophetae temporibus et locis maxime dissita simul annuntiarint; minime tamen sequitur, quod ipsorum vaticinia sint aliquod totum in suas partes velut discerptum, quales essent v. g. laciniae Virgilii, aut aliorum poetarum, perturbato ordine, a contextu avulsae. Nam Prophetiae in se sunt aliquid secundum Dei intentionem perfectum; et quamvis earum cohaerentiam, aut sensum saepe non intelligamus ob ignorantiam tam dissitarum rerum, temporum, et locorum, vel ob alias rationes; tamen illae dicto modo sunt perfectae, suamque habent cohaerentiam. Res haec, ut Cl. Feller scite ait, declarari potest similitudine carminis lyrici. In hoc

enim, v. g. in praestantissimis odis Pindari, aut Horatii, saepe eruditissimi commentatores totam cohaerentiam, seu contextum non satis penetrant. » « Car, » pergit dicere sapiens Duquet (*Règles pour l'intelligence des SS. Ecrit. R. 3*) « la parole de Dieu est celle de la vérité, c'est un or purifié jusqu'à sept fois. On ne peut y trouver rien de défectueux ni de superflue. Ell'est la règle des discours les plus exacts, et les plus précis; et dès qu'on y croit voir de l'excès, c'est une marque, que l'on ne l'entend point, et qu'on lui substitue un objet étranger. »

« Illud tamen universe constituendum est, sunt Bonfrerii verba, antecedentium, et consequentium collationem passim et ut plurimum maximi esse momenti ad verum et genuinum litterae sensum exprimendum; fietque ed hac observatione, ut quarumdam sententiarum sensus, qui, dum hae sententiae solitariae sumuntur, prima fronte litterales, et tamquam litterales passim ab omnibus usurpantur; collatis antecedentibus, et consequentibus deprehendantur non esse litterales, imo plane alieni a Scripturae scopo et mente. Tale est illud *Ps. 17. 26.* « Cum Sancto Sanctus eris, cum perverso perverteris: » quod passim usurpatur quasi bonorum familiaritas commendetur, dissuadeatur improborum; cum tamen Scriptura haec de Deo pronuntiet, sensusque sit: Deum cum Sancto sancte agere, cum perversis perverse et severe se habere puniendo. Item illud *Ps. 38. 4.* « In meditatione mea exardescet ignis: » quod non de fervore devotionis, aut igne charitatis intelligendum est, quemadmodum multi intelligunt; sed de ira et indignatione contra peccatores. Sic *Iob 21. 13.* « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt: » quod plerique in sinistram partem trahunt intelligentes hac sententia significari punitionem peccatorum, cum potius contrarium velit Scriptura, et ad impiorum felicitatem id referri debeat: eos nempe ita felices esse, ut postquam in hac vita deliciati sunt, tandem momento morte placidissima moriantur absque gravi aliquo dolore, aut vexatione. Simile illud *Sap. 8. 21.* « Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det: » quod non de castitate, ut communiter solet, sed sensus est: scivi,

quoniam aliter non potui fieri compos istius, scilicet sapientiae, de qua praecesserat, et sequitur: itaque esse « continens » ibi idem significat, quod obtinere et potiri. Plura istiusmodi alia loca deprehendet, qui in scripturis ita versatus fuerit, ut non cursim sed attente antecedentia, et consequentia expendat. »

Et locum huismodi forsan deprehendet esse « Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis » et pertinere ad perpetuam puritatem spiritus Mariae comprobandam, posito etiam, quod ibi sermo sit de cuiuscumque sanctitate. Nam secundum S. Augustinum (*L. 12 Conf. c. 25 et 31.*) aiunt fratres a Walenburch (*de controv. tract. 2 p. 3*), ex eadem Scriptura diversae, et verissimae possunt erui sententiae etiam a Spiritu Sancto intentae aeque immediate ac primario, inquam cum citato Bonfrerio, vel una primario, et altera aliquo modo secundario, seu mediante priore sensu, cuius quodammodo est appendix, quemadmodum supra dictum est: nempe si omnia antecedentia, et consequentia cum diverso sensu recte conveniunt: et illam proximam, remotiorem hanc, scilicet apertiorem unam, secretiorem alteram vocat Duguet. Qui (*Rep.*) ait: « J'appelle le premier sens immediat, et le second prophétique. L'un et l'autre, s'ils sont vrais et conformes à la pensée des écrivains canoniques, sont fondés dans la lettre, et le second est presque toujours plus littéral que le premier, parceque c'est celui que le Prophète a eu principalement en vue, et par rapport au quel il a mesuré et concerté toutes ses expressions, afin qu'elles y conduississent, en paraissant le cacher.

« Le sens immediat est celui qui s'offre le premier. Il sert de voile au second et il y prépare.

« Le second n'est pas contraire au premier; il le suppose, mais il ennoblit. Les objets de l'un et de l'autre sont différents, mais avec de grands rapports Les expressions de l'Ecriture conviennent à tous les deux mais beaucoup plus au second. »

Et hoc praesertim (*R. 3.*) « lorsque les expressions de l'Ecriture sont trop fortes, trop générales, trop augustes, et qu'elles sont exa-

gérées (*ut in autographo graeco nomine « cacotexnon » quod vulgatus transtulit « in malevolam » et « cataxréo » quod « subdito »*) par rapport au sujet qu'elles paraissent regarder, c'est une règle sûre qu'il y en a un autre que le Saint Esprit a en vue à qui toutes ces expressions conviennent exactement, et par rapport au quel elles sont plutôt trop faibles qu'exagérées. » Et ita fere sentit Melchior Canus (*Loc. Theol l. 2 c. 15.*) praesertim cum Scripturae sententia apud Graecos, et Hebraeos est aequivoca, ut praesens tam graece, quam latine in verbis « sapientia et peccato » ut paullo post fusius ostendam.

Quae rationum momenta si efficiunt, ut tutius rear in hac sententia quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, loqui et de Chrísto, et de Matre eius absque originali peccato concepta; ad hoc efficiendum aeque potis est codex, e quo illa desumpta est. Quia scilicet, ut a Cornelio a Lapide edisco, incertum est quis fuerit Libri Sapientiae secundarius Auctor. Vocatur enim Sapientia, quia tractat de vera Sapientia. Nota eamdem Sapientiam hic, et in Proverbiis, et aliis Libris Sapientialibus pertractari: sed hic sublimius, divinius, et quasi ex radice. Unde etiam agit de Sapientia increata tum essentiali, quae communis est toti Sanctissimae Trinitati tum genita et notionali, idest, Verbo Eterno cui Sapientiae nomen ea vi originis est proprium, ac de eiusdem Incarnatione prophetat. Qua de causa Sapientiae nomen huic libro prae caeteris absolute est appropriatum (et ita S. Hieronymus in Prologo). Hinc S. Athanasius (aut quis alius) in Synopsi S. Scripturae bonam huius libri partem applicat Christo. Hinc et liber hic a Patribus inter prophetales refertur: ut S. Hilarius in Ps. 127. Et licet ratio quoad nomen libri citato Roberto Holkot (*Sap. 1. Lect. 2.*) videatur esse quaedam aptatio modalis, vel congruentia magis, quam denominatio modalis; attamen Ecclesiae, quae in divino Officio usurpat libentissime, ac saepissime librum istum ut adaptet Christo, et S. Bonaventurae, et Matthaeo Cantacuzeno litteralis ratio videtur, inquit Lorinus. Qui nec inverisimile putat, periisse archetypum hebraeum hebraeorum mali-

tia; quod nimis aperta liber hic de Christo vaticinia contineat, deque illorum contra ipsum insidiis: ut Isidorus (*L. 1. de off. Eccl. c. 12.*) refert ex cuiusdam quoque sapientis hebraei, aut ex hebraeo christiani (quae non nominat) sententia: hoc opus olim ab hebraeis receptum fuisse inter canonicas scripturas; sed postquam comprehendentes Christum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam evidentissima de Christo testimonia (nempe *cap. 2.*) collatione facta, ne Christiani eis pro tam aperto sacrilegio derogarent, a propheticis voluminibus recidisse, legendumque suis prohibuisse. Quod si canonicus ab hebraeis non habebatur, D. Paulus ad ipsos scribens (*Hebr. 17.*) frustra huius adhiberent sententiam, ut divinae Scripturae testimonium.

Quae cum ita sint, colligere non dedecet, quod Spiritus Sanctus in hoc libro maxime, qui prae caeteris tantummodo, nec certe sine mysterio, Sapientia nuncupatur, quia de Notionalis Sapientiae Incarnatione, eiusque operibus in hominum salutem ac beatitatem mirifice loquitur, silentio non praeterierit, quid peculiaris beneficii ipsamet Sapientia contulerit Matri suae: hoc est, quid maximi periculi a Matre sua averterit. Quod porro nemo inficias ibit esse immunitatem ab omni prorsus contagione peccati; a nimis lugenda pernicie illa in qua ob Adae peccatum divina Mater primo suo conceptionis momento versabatur. Id, inquam, ex hoc volumine praesertim colligere decet; si, ut ex capite decimo et reliquis patet, ipsum ab Adam exorsum narrare perpendamus, quid Sapientia egerit erga tot Patriarchas eam ob causam, quam in fine capitis noni attigerat dicendo: « per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio, » hoc est arcendo ab eis id ex quo pernicie eorum pendebat maxime. Quod si idipsum Sapientiae Matri praestitum ne colligi quidem posse ex hoc libro quis dicat: quippe quod verba a me propositi oraculi plus aeque forte obscura sunt; ut inde et Mariae Immaculata Conceptio probari queat: hoc meo quidem iudicio magis magisque et prophetiae, mysteriique ostenderet naturam; miro tamen orationis ordine et convenientia.

Seu enim ab ipso huius Codicis exordio divinus Auctor, velimus,

doceat omnes homines, ac potissimum Principes diligere iustitiam, atque ita de Domino sentire in bonitate; ut in animum inducant suum nunquam Dei amicitiam consociari posse cum iniquitate; mox, ut opinor, id illo firmaret mysterii vaticinio, quasi diceret: nolite errare, vobis liquidissime compertum sit, Deum nulla ratione unquam convenire posse cum peccato, vel peccatoribus; aeternum infinitumque in Deo inesse odium peccato atque bellum; et ex hoc argumentamini: « Quoniam cum Filius Dei, cui Sapientiae nomen, veniet in mundum, et fiet homo ex Muliere, nequaquam ideo intrabit, nec habitabit in utero Mulieris cuius anima, cuius corpus a cuiusvis peccati labe unquam maculata fuerint. Seu cum Mathaeo Cantacuzeno divinam in huius Libri exordio malimus orationem ad populum Iudaicum, Proceresque Synagogae haberi, ut attentissime digniusque se parent ad Divini Verbi audienda Mysteria, oratio miro verborum ordine usque fluet. Nam more Isaiae 7, qui dum domus David pervicaciam redarguit, illico propterea ad vaticinium transit de Christo, eiusque Matre, Divinus hic Auctor loquutus esset; et quemadmodum ille pro certo signo adventus Christi dedit Virginitatem Matris perpetuam perfectamque corporis potius; hinc illam perpetuam maximamque animae, immunitatem scilicet ab originalis culpae faeditate. Ut tum cum reliquiae Israel salvae fient *(Rom.* 7) et Sapientiae librum inter Canonicos, ut olim, receperint, ex utriusque Prophetae testimonio praestantissimo satis superque Messiam iam advenisse cernant credantque: si nempe Ecclesia, ut in proposita sententia ad litteram etiam contentum, Immaculatum Beatae Virginis Mariae Conceptum definient.

Interea tamen cum demonstrandum sit, utrum res ita se habeat; praeter iam superius allatas, liceat alias, quae huc faciunt, regulas pro litterali Scripturae sensu diiudicando in mentem revocare. « Est igitur, inquit Bonfrerius (*supr.*) sensus literalis, quem verba sive proprie, sive metaphorice accepta ex Spiritus Sancti loquentis intentione primo et immediate significant. Dixi verba sive proprie, sive metaphorice accepta: non enim tantummodo is est litteralis, quem verba proprie sine tropo significant; alias enim multa Scrip-

turae loca sensu litterali carerent : cum enim verba proprie sumpta sensum absurdum, vel minus commodum generant, nequit istiusmodi sensus vel litteralis Scripturae, vel absolute esse Scripturae sensus; hoc enim esset Spiritui Sancto sensum absurdum , vel non convenientem adscribere.

« Quotiescumque autem verba in Scriptura sine aliquo incommodo proprie capi possunt , ita capienda sunt ; neque ad metaphoras, tropos, et sensus improprios inflectenda; nisi ex verbis proprie acceptis absurdus aliquis sensus eliceretur. » Quod procul dubio eveniret in hac sententia « quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia , nec habitabit in corpore subdito peccatis » tantum de moribus componendis iuxtam vim totam naturamque verborum intellecta; sicut patet singillatim ea disquirendo.

Nam verbum *introire* proprius convenit personae , aut animali quod ab extra in locum sepimento aliquo interclusum se confert, sicut ait S. Augustinus (in *Ps. 139.*) de verbo *ingredi* apud F. Hieronymum Lauretum *(Silv. allegor. totius S. Script.)* quam accidenti, seu qualitati spirituali, quae rei spirituali se immittit, aut infunditur (ut sibi Sanctus Bonaventura exponit) coniungiturque.

At *habitare* tam proprium est personae, quae sedem aliquo habet in loco, commoraturque (*Lauret supr.*) ut de caeteris nisi per similitudinem usurpetur. Quod si porro dicerem : corpus humanum habitari: quamvis et hoc esset per metaphoram ; nescio quis tamen hoc statim non intelligeret de muliere, deque faetu qui in eius utero commoratur. Quod si haberem statum animo ita loqui de accidenti aut qualitate spirituali , etiamsi hanc non omitterem ; nisi interim explicatio superadderetur aliqua : vel purum putum aenigma , aut saltem res illa ut animatum quoddam in ventre hominis esse profecto videretur. Quare ob alteram Scripturae huiusmodi partem sic D. Bonaventura obiecit sibi: « Corpus non potest esse habitaculum Sapientiae, nec subiectum peccati, vel insipientiae, vel gratiae; ergo falsum supponit, cum dicit: « nec habitabit in corpore subdito peccatis. » Ad hoc dicendum: quod corpus ibi non appellatur pars hominis corporea tantum , sed per synecdochen , secundum quam pars solet

poni pro toto, sumitur hic corpus pro toto homine, in quantum sentit passiones corporis. Unde Glossa: qui peccatis subiacet, corpus, non spiritus, est. » Et sic D. Thomae (*1. 2. q. 83 a. 1.*) solvenda fecit illa *Rom.* 7. S. Pauli sententia: licet, quo nemo ambigere posset sermonem haberi de originali peccato quod per fomitem commovet sensus, Apostolus prius dixerit: « Scio, quod non habitat in me (et deinde) hoc est in carne mea, bonum. » Interim hoc animadvertas, queso; ne abs re videatur, si ob quandam sermonis propinquitatem de originali peccato inferam etiam loqui propositum Sapientiae locum.

Caeterum forte maioris momenti sunt difficultates, quas morali explanationi praetendunt ipsa nomina. Enim vero liquet: Sapientiam hic illam intelligi non posse seu aquisitam, seu, ut aiunt, donum mere gratis datum, quae convenire quidem potest cum peccatoribus quibuscumque: restat ergo ut cum Cornelio a Lapide intelligatur de sapientia practica, quae et est donum Spiritus Sancti, sed gratum faciens; quae scilicet iuxta D. Thomam praesupponit charitatem, ideoque non potest consistere cum peccato mortali. « Etenim, ait, in omnibus habentibus gratiam sine peccato mortali existentibus est Sapientia... quantum est necessarium ad salutem; et hoc nulli deest sine peccato mortali existenti per gratiam gratum facientem: quia si natura non deficit in necessariis, multo minus gratia. Unde dicitur (*1. Ioan. 2.*) « unctio docet vos de omnibus ». (Hinc) amentes baptizati, sicut et pueri habent quidem habitum sapientiae secundum quod est donum Spiritus Sancti; sed non habent actum propter impedimentum corporale, quo impeditur in eis usus rationis. Quicumque (enim) est sine peccato mortali diligitur a Deo; quia charitem habet, qua Deum diligit, ut dicitur *Prov. 8.* Sed *Sap.* 7 dicitur quod neminem diligit Deus nisi eum, qui cum Sapientia inhabitat. (*2. 2. q. 45. a 4. et 5.*) Itaque cum gratia iugiter Sapientia comitetur; ut iure dicatur sapiens, qui gratiam in se recipit, atque retinet; et stultus, qui eam peccando abigit; ad verborum *introire* et *habitare* repugnantiam declinandam necesse est, ut tempus futurum pro praesenti sumatur in loco, cuius quaestio est: secus cum Domi-

ni sit praeparare corda, pelagianae haeresi favere admodum videretur, unaque ostendere; quod Sapientia gratum faciens nec antea introivit, nec habitavit, nec in posterum introitura, nec habitatura unquam in homine peccatore. Et hoc modo de omnium hominum salute intelligeremus actum esse aeterne (quia peccatores omnes constituti sunt;) vel saltem de omnibus, qui sub quacumque ratione divinam amittunt gratiam. « Negantes enim propositiones, inquit Bronfrerius (*supr.*) in Scriptura absolute, hoc est, absque limitatione vel conditione intelligendae sunt, nisi sese habeant per modum comminationis. » Verum non ita se habet haec « quoniam in malevolam animam non introibit, nec habitabit in corpore subdito peccatis; » si nempe non nimis strictim singulis verbis inhaerendo de moribus informandis intelligatur; hoc est, de necessaria aeternaque pugna gratiae cum mortali peccato. Ex quo sensu, dummodo etiam mecum de mysterio intelligatur, ita in ratiocinationem cogeris; ut vel sentias invitus huius moralis moniti cum mysterio nexum, relationemque: nempe tam impossibile esse Sapientiam Genitam fieri hominem ex Muliere a quovis peccato, ne dempto quidem originali, faedata; quam Sapientiam, donum gratum faciens unquam fieri comitem non gratiae, sed peccati.

Quod ab interpretatione caeterorum huius Scripturae nominum (praeterquamquod si et his pro morali sensu nimis strictim inhaeremus, in superiores difficultates atque repugnantias rursus incedimus) eo amplius firmatur. Nam interpretes et plurimum asseverant sub adiectivo *malevolam* intelligi animam spiritualibus peccatis irretitam, et carnalibus sub dictione *in corpore subdito peccatis* quae licet sint minoris culpae, sunt tamen maioris infamiae, ut dicit Gregorius in *1 Reg.* 7; quae omnia occludunt aditum Sapientiae (*ita S. Bonav., Lyran. Glossa, Hugo, Dionys. Lorin etc.*) Utrum vero ipsissimus sit huiusmodi vocabulorum sensus diiudicent philologi ii maxime, qui graecam, mihi penitus desiderandam, callent linguam. Cum etymologiae « malevoli » ergo talia obiiciat sibi S. Bonaventura: « bonum, inquit, omnia exoptant: ergo nulla anima est malevola, idest, malum volens. Dicendum: quod nullus vult

malum per se, sed per accidens; quia scilicet vult illud, quod est malum; scilicet actionem malam non in eo quod mala, sed in eo quod delectabilis, vel apparens bona. »

At satius etymologiae manebit ratio, et pro mea quidem sententia; si commemorem id, quod ait S. Thomas de originali peccato (*1 2 q. 81. a 1, q. 82. c. 3.*) En verba: « Hoc ipsum, quod est ex origine aliquem defectum habere, videtur excludere rationem culpae, de cuius ratione est, quod sit voluntaria. Unde etiam posito quod anima rationalis traduceretur, ex hoc ipso, quod infectio animae prolis non esset in eius voluntate, amitteret rationem culpae obligantis ad paenam; quia ut Philosophus dicit in 3. *Ethicor.* (*c. 3.*) Nullus improperabit caeco nato, sed magis miserebitur. . . Sic igitur inordinatio, quae est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex eius origine derivantur, sicut voluntas animae movet omnia membra ad actum. Tota autem ordinatio originalis iustitiae ex hoc est, quod voluntas hominis erat Deo subiecta. Quae quidem subiectio primo et principaliter erat per voluntatem, cuius est movere omnes alias partes in finem, ut supra dictum est (*q. 9. a. 1.*). Unde ex aversione voluntatis a Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis animae viribus. Sic ergo privatio originalis iustitiae, per quam subdebatur Deo, est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animae se habet in peccato originali sicut quoddam materiale . . . . . Quae quidem inordinatio communi nomine dici potest concupiscentia. Itaque anima humana simul ac infunditur corpori, proprie fit, et est malevola seu malum volens: quatenus peccatum Adae iam est animae voluntarium voluntate ipsius Adae cum quo anima non vult se subdere Deo. Ergo in adiectivo Scriptura loqueretur de formali ratione; qua homini originale peccatum imputatur.

Atque eo magis huius vocabuli etymologia hic respondet sensus, quod malevolum sit vox conflata ex integro, et corrupto (*v. Forcellini*).

Insuper huiusmodi sensui nimium favet perantiqua auctoritatis-

que maximae Syriaca versio: quae Graeci vocem Autographi, ut refert Cornelius a Lapide, *cacotexnon* sic transtulit *malis involutum*, aut iuxta Londinensem Polyglottam *pravitatibus foedatum*: quae item vocem *cataxréo* (quam vulgatus *subdito*) transtulit *reo et condemnato*. Cui interpretationi adhaeret praesertim Maldonatus commemorans hinc distinctionem illam in peccato actus et reatus. At, ut caeteros omittam, Lorinus, et Cornelius animadvertit; quod graeco *cataxréo* latine propius accedat *obaeratum*, idest, peccato obnoxium (et ita S. Basilius contra Euno.) oppignoratum, ac velut aere peccati obaeratum, et obstrictum. Et est metaphora a debitore aere obstrictus alieno, qui, cum solvere non possit, vel opera ipse sua creditoribus cogitur satisfacere, vel solum verrere: qui enim facit peccatum, servus est peccati, ait Christus (*Ioan. 8, 34.*) ac proinde Diabolo, qui auctor est peccati (et peccata debita vocantur. *Mat. 6, 12.*) obligatus et obstrictus. Hinc Cantacuzenus inquit: corporis debitum peccati debitum Sapientia vocat, quod grave sit ac terrestre, atque deorsum vergat, translato ab iis vocabulo, qui aere alieno obruti a sexcentibus creditoribus opprimuntur. Sumitur obaeratorum nomen pro exulibus spontaneis, qui se, quod solvendo non sit, subducunt a creditorum oculis, a iudiciis Magistratuum. Haec ipsi: quae tamen omnia idem sunt ac reus: quippe reus iuxta Lauretum (*loc. cit.*) nuncupatur, qui ad aliquid obligatur: et obligari idem est ac se debitorem constituere alicuius. Sed metaphoram, inquit Lorinus, interpres vulgatus bene reddidit pro *subdito*, cui synonimum est *obnoxium*, *devinctum*, *astrictum*, *pronum*, *propensum:* denotari autem potest proclivitas ad peccandum vel ex habitibus vitiorum comparatis, vel ex fomite, qui et ipse vocatur aliquando peccatum (*Rom. 7. 14 et 17, 20, 23.*) Idem sibi vult venundari sub peccato, vel ut faciat quis malum.

Ergo etiam sub vocabulo *cataxréo* sese offert idea debiti et reatus originalis peccati, qui est concupiscentia; ut Augustinus dicit in *lib. 1. Rectract.* (*c. 15,*) apud D. Thomam (*supr. q. 82.*) nec non humani corporis ad hanc et sub hac destinati, ac ut venundati; sicut sub vocabulo *cacotexnon* sese offert idea mali et artis (et forte pas-

sivae magis, quam activae significationis) id est, animae quasi consulto fictae ad illud malum concupiscentiae subeundum et informandum ut habeat rationem culpae, nec tantum paenae non tam voluntate propria, quam aliena ad instar manus, quae vocatur malefica (italice *malfatto*) seu malevola, tum cum ad malum patrandum callide ab homine adhibetur. Quod porro nobis in mentem revocat quemodo juxta S. Thomam nobis Adae peccatum ut voluntarium adscribatur. « Actus enim inquit (*supr. q. 84. a. 1.*) unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animae, quae primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se ut divisa a corpore; sed imputatur ei in quantum est aliquid hominis.... Et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis; propter quod vocatur humanum: ita peccatum originale non est peccatum hujus personae nisi in quantum haec persona recipit naturam a primo parente; unde et vocatur peccatum naturae. »

Quaptopter ambigendum minime videtur, quod in hoc loco « quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis » loquatur de hominis conditione ob originale peccatum: atque eo probabilius; quia graece legitur *amartias* in genitivo singulari, quod latine *peccatis* in dativo plurali. Quod a vulgato praestitum opinor non tantum ambiguitatis vitandae gratia, ut Lorinus suspicatur; sed scite, habita nempe ratione naturae originalis peccati, in quo virtualiter praeexistunt omnia peccata actualia, sicut in quodam principio: unde est multiplex virtute: (*S. Thom. supr. q. 82. a. 2.*) et ex plurali casu iuxta illud *Ps. 50.* « in peccatis concepit me mater mea » constaret peccatum, de quo in singulari Graecus Autographus loquitur, esse originale: et licet Iansenius de hujus reliquiis, deque fomite Lorinus intelligere malit (quia fomes unum peccatum est, et una peccandi scaturigo et multiplex, quoniam inde peccata profluunt) nihil ta-

men officit sententiae meae. Ideoque Vulgatus aptissime *peccatis* copulasset *subdito*: quia subditus non perhibet significationem servi, sed cuiusdam obligationis cum dominatione politica, quae dominatio habet ius quemcumque subditum in servum sibi assumere, quamquam de facto servum non habeat. Quae omnia in originale peccatum plenissime quadrant: quippe quod primo et omnimode (velis, nolis) habet ius quemcumque ex Adae posteris sibi subdere simul ac conceptum, et per fomitem reapse in servum sibi assumit vel corpus hominis.

Quocirca absque iterata synecdoche (nam in Scriptura tam anima quam corpus saepe ponitur pro toto homine) et forte ibi supervacanea, sacer auctor consulto dixisset « quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis; » ut in verbo, *animam* non praetermitteret, quod in infectione peccati originalis considerandum est primo quidem inhaerentia eius ad subiectum primum, quod est anima secundum suam essentiam, quatenus est forma et natura corporis, et quatenus peccatum originale dicitur esse peccatum naturale, ut supra dictum est: dein adiecit, *malévolam*; ut non solum percipiamus, quod habito respectu ad Deum infundentem non potest dici, quod anima per infusionem maculetur; sed solum habito respectu ad corpus cui infunditur: sed ut in adiectivo *malevolam* percipiamus, quod secundo considerandum est in infectione originalis peccati inclinatio subiecti ad actum: quatenus scilicet originale peccatum inter caeteras potentias animae illam per prius respicit, quae primam inclinationem habet ad peccandum: haec autem est voluntas: sicut iustitia originalis, quae illi opponitur per prius respicit voluntatem: est enim rectitudo voluntatis.

Et dicendo, *in corpore*, non praetermisisset processum, quem peccatum originale habet secundum ordinem generationis a carne ad animam dum haec corpori infunditur: et dicendo, *subdito peccatis*, non praetermisisset, quod quicquid pervenit de corruptione primi peccati ad carnem habet rationem poenae tantum, sed non culpae cuius caro non potest esse subiectum. Atque ideo, *subdito peccatis*,

dixit; ut mira oppositione sentiatur natura originalis iustitiae, nec non culpae; et quod illa deficiente, quae efficit animam subditam Deo, sequitur; quod anima cum corpore, idest homo, subdita mox sit malo, nempe Daemoni, et consequenter malevola et obnoxia quibusvis peccatis et peccati poenis maxime concupiscentiae carnis (*S. Thom. supr. q. 83.*). Et consequenter una dicendo « in malevolam animam, et in corpore subdito peccatis, » divinus scriptor apprime ostenderet et materiale et formale originalis peccati: scilicet quod materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero defectus originalis iustitiae (*id. ib. q. 82. c. 3.*).

Itaque si id Scripturae sacrae sensum litterale dicendum, quod magis proprie, atque translationibus procul verba exhibent.

Si verba, cum in graeco autographo sunt aequivoca, eo amplius aditum praebent ad diversas ex eodem loco etiam litterales eruendas sententias.

Atque eo magis si haec perhibent sensum affinem.

Ac item si vocabula aliquid altius et arcanum ex propria vi et natura innuere videntur: ut nempe *sapientia*, *et peccatum*, in proposito loco, et praesertim *cacotexnon*, quod nusquam alibi, licet in vulgato, *malevolum*, iterum legatur (*Eccli. 33. 28.*) et *cataxreo*. Etenim iam perspeximus, quomodo laborent philologi ad horum verborum vim exprimendam, et maxime, *cacotexnon*, cuius fere tot sunt interpretationes, quot interpretes: Cornelius a Lapide ait: pro *malevolam* nervosius Complutensis, et Pagninus legunt *malivolam* idest mala fabricantem, machinantem, maleficam, quae res bonas et sinceras adulterat, vitiat, et corrumpit, dolos et fraudes versantem. Unde S. Hieronymus legit: *malitiosam*, et, in *Ier. 18 et Zach. 8* apud Lorinum, *perversam*, quasi quae perversas, de quibus antea dictum est, habet cogitationes obliquas, tortas, intricatas. Arabicus: in malevolae animae artificium, sive machinationem, seu iuxta Londinensem Polyglottam *cuius pravae sunt actiones*. S. Bernardus: *malignam*. Hugo, Syranus, et Dionysius: *complacentem sibi in malitia*. Vatablus, et Guarinus: *contradicentem vero et invidam*. Clarius: *quae omni studio et arte studet malo*, Iansenius Gan-

davensis: *malitiosam et maleficam, quaeque mala arte callida nectit*: et Ypremsis; *malam et vafram, dolis malisque artibus utentem.*

Quae si ita sunt, inquam; sapientior quisque videat: an necne huius sententiae verba « quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis » potius, quam morale monitum de pugna doni Sapientiae cum quolibet mortifero peccato, suapte natura ac vi, (ut innuit tempus futurum verborum *introire* et *habitare*: quod hoc posito ne sit quidem immutandum) vaticinata sint. Qui iudicatis terram, sentite de Domino in bonitate quoniam Sapientia Persona Filii, qui dicitur Sapientia Patris, quia est Sapientia de Patre Sapientia, (*S. Th. 1, q. 39.*) quia ex vi processionis et generationis per intellectum nihil aliud est quam conceptus Sapientiae, et vocari potest Sapientia Genita (*Loria.*) non introibit, non se conferet ad hypostatice assumendam humanam naturam in Mulierem, ex cuius carne scilicet fiet verus homo, nec ideo ut foetus habitabit in eius corpore, in utero huiusmodi Mulieris; cuius anima sit *cacotexnos* ficta ad malum voluntarium ipsi per voluntatem Adami, cuius Mulieris animae integritas sit corrupta, foedata a malis, scilicet cum voluntate inclinata ad peccandum, cuius anima statim atque infundetur corpori *cataxreo amartias*, habeat ex hoc debitum se maculandi, subiiciendi illo peccato; ex quo malum, idest, Diabolus dominatione politica habeat ius ipsam in subditam, in servum sibi assumere; Verbum Dei nequaquam, nullo modo caro fiet ex hac Muliere, nec in eius corpore habitabit obaerato peccatis. Unde cum Velasques iure coniectare possumus « loqui Salomonem de corpore Virginis, quod nec peccato originali, neque eius reliquiis tamquam aere alieno pressum ac obaeratum numquam fuerit, quod Divinam Sapientiam non ut unius diei hospitem, sed ut longi temporis domiciliarium et inquilinum esset suscepturum: et vero quam libenter, quamque ut sic dixerim, naturaliter inibi, quasi in proprio centro Dei Filius permanserit, hanc Mariae puritatem satis confirmat . . . . Maria vero per singularem ac propriissimam attributionem tam in Scripturis, quam apud omnes Patres verum Dei templum et habitationem pe-

culiariter dici quis adeo fuerit otiosus, ut in profando velit tempus terere? »

Aptissime igitur in hac sententia « quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis » verbum introire ostendit Incarnationis modum a generatione carnali prorsus alienum: et verbum *habitare* Incarnationis veritatem; ita ut cum Ecclesia canere possimus:

Beatus Auctor saeculi
Servile corpus induit;
Ut carne carnem liberans
Ne perderet, quos condidit.
Castae Parentis viscera
Coelestis intrat gratia,
Venter puellae baiulat
Secreta, quae non noverat.
Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei:
Intacta nesciens virum
Concepit alvo Filium.
(Hymn. ad Laud. N. D. N. I.)

Intacta, inquam, nesciens peccatum omni modo, omni tempore ut corpore, ita et mente: quia non condemnata, non rea peccati, hoc est, de cuius re non amplius disceptatur, etiamsi nihil admiserit: quemadmodum ex proposito Sapientiae oraculo iuxta versionem syriacam probabilius summatim colligendum videtur. Nam reus dicitur quicumque in litem adducitur, etiamsi nihil admiserit: Asconius enim ait, quod hoc vocabulum originem ducit a voce latina *re*, idest lite: antiquitus autem reus dicebatur tam actor, quam ille cui litem intendebatur; sicut Tullius perhibet *(lib. 2 de Orat.)* « Reos appello non modo eos qui arguuntur, sed omnes, de quorum re disceptatur. » *(v. Calepin. 8 ling.)* Ergo si nobiscum tandem aliquando Universa Ecclesia publice orabit: *Deus, qui per Immaculatam Vir-*

ginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti; quaesumus, ut, qui ex morte eiusdem Filii sui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad Te pervenire concedas: (Orat. in off. Fest. Ord. N.) tunc ad litteram mirabimur adimpletum Sapientiae vaticinium: quoniam sapientia genita et notionalis, ut fieret homo, non introivit nec habitavit in corpore mulieris reae, nempe, de cuius re disceptatur, etiamsi nihil admiserit.

Attamen obiiciat nemo, quod hac interpretatione posita haerendum utrum necne tale vaticinium intelligi queat de eadem divina persona hypostatice unienda naturae humanae. Siquidem haec ipsissima Nestorii esset loquendi ratio: qui nempe aiebat: Verbum in Christo habitare veluti in templo (*S. Thom. 3, q. 1, a. 6*). Et hic igitur obiter animadverte, quemadmodum suapte natura verbum *habitare* sensa ingerat; quae superius attigi; et ut satius ergo propositum Sapientiae oraculum quadret B. Virgini Mariae foetae Deo et homine Christo. Quae revera mihi undiqueversum Virgo non videtur, si eius anima modo, quo violari potest, per originale peccatum a veteratore illo et antiquo serpente coinquinata fuit. Esto vel uno tantum temporis momento; hoc non impedit, quominus factum infectum non sit: atque unum, vel alterum temporis momentum retardet quidem infusio, et augmentum gratiae; est ne hilum quidem auget originalem culpam. « Quia peccatum originale non recipit magis, et minus: quia totum donum originalis iustitiae est sublatum: privationes autem totaliter privantes, ut mors, et tenebrae, non recipiunt magis, et minus. » (*S. Thom. 1.2.q.82. a 4.*) Hinc semper dici posset Mariae animae integritatem a Daemone violatam fuisse; ideoque Filio Dei huius Matris suae illa corporis integritas, quae, ut in matrimonio, sine peccato amitti vel potest, videretur cordi fuisse magis, quam animae integritas, quae absque Dei iniuria, abesse nunquam potest. Qui Filius in Ipsa extinguendo omnino fomitem, qui etiam absque inimicitia Dei remanet in homine, ab effectu videretur abhorruisse magis, quàm a causa, a materiali quam a formali et ab eo, quod peius.

Praeterea si illud inquinamentum passa statim Beata Virgo sanctificata fuit, quia oportebat, ut Mater Dei maxima puritate ni-

teret: non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum secundum illud *Ps. 93.* « Domum tuam, Domine, decet sanctitudo: » (*S. Th. ib. q. 81. a. 5. ad 3.*) utique haud maxima puritas mihi videtur; si aliquid etiamnum addi potest, atque non ita parum, ut pro nihilo reputetur; sed forte aeque maximum. Verum enim vero si Maria, ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam (*id. 1. q. 25. a. 6.*); et nihilominus ex toto non habuit immunitatem ab originali peccato; haec ipsa immunitas, quia denegata, videtur maioris esse momenti, quam ipsa Divina Maternitas; quocirca Mariae puritas toto coelo distaret, quo maxima praedicaretur; atque Filio Dei desideranda magis idonea Mater, quae non peccasset aliquando.

Haec dicta sunto, Beatissime Pater, quaestionis firmandae ergo; qua universo Franciscano Ordini nihil antiquius, nihil suavius, et sub cuius titulo Congregatio mea, necnon Liguria tota Patronam sibi ipsam Virginem Mariam delegisse laetatur; quamque Ecclesia, tum cum dogmatibus fidei accensuit Ipsiusmet Virginitatem perpetuam utpote Dei Matri nimis congruam, implicite hac eadem de causa illam praestantiorem et maximam missam non fecisse videtur quatenus eiusdemmet Virginitatis complementum, perpetuam, scilicet immunitatem ab omni originalis peccati labe Conceptionis momento.

Quare, Beatissime Pater, si quae dixi, Tibi non inepta videntur; Mariae tantae cedant gloriae, secus flammis.

Interea hanc ipsam Sanctissimam Virginem, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, flagrantissime exoro; ut, dum Tu indubitanter solemniterque illo decoris pro Ipsa vindicando tantopere studes, Te omnibus, quas iniquissime pateris, angustiis eripiat; Teque tandem, ut par est, Universa Christi plaudente Ecclesia, sospitem Tuae restituat Sedi.

Dehinc Tu quoque, Immaculatae Virginis Mariae gratia, sine; ut Beatitudinis Tuae provolutus pedibus Apostolicae benedictionis particeps fieri merear ego

Humillimus et Obsequentissimus Tuus in Christo Filius

F. Clemens a Savona *Concionator Capucinus*

XCV.

TRANSUNTO

DI UN MANOSCRITTO DI D. GIUDA TADDEO DE REYES

Dell' anno 1849 intitolato : Dominicana, e Tommassiana Apologia, in cui si dimostra che l'Ordine de' Domenicani col loro Patriarca, e con S. Tommaso ha favorito la Santa Immacolata Concezione di Maria Santissima. *Chile in America.*

Quantunque la S. Chiesa non ha creduto sinora di avere sufficiente fondamento a definire per dogma di fede l'Immacolata Concezione di Maria SSma, come si sono impegnate tante Università, Teologi, e Re Cattolici, che istituirono per tal effetto l'ordine cavalleresco di Carlo III; pure da molti credendosi che sia stata la cagione l'opinare in contrario di S. Tommaso, e dei Domenicani, quindi si accinge l'autore a far vedere che S. Tommaso e l'Ordine di S. Domenico hanno favorito l'Immacolata Concezione, e così pensa di appianare la strada alla definizione. Ciò è conforme alla Bolla *Sollicitudo* del S. P. Alessandro VII degli 8 Decembre 1561 nella quale ordina che si sciolgan le difficoltà per questo mistero.

Che l'Ordine Domenicano in corpo sia favorevole, lo accertano:

1.° Il P. Gio. Eusebio Nieremberg Gesuita nella dedicatoria ad Alessandro VII del suo opuscolo *Theoria compendiosa de solida veritate conceptae Deiparae absque labe originali.*

2.° Il B. Pietro de Ojeda Gesuita nel libro *Informacion Ecclesiastica en defensa de la limpia Concepcion de la Madre de Dios.* Al *cap.* 7 cit. i Santi Raimondo de Pennafort, Vincenzo Ferreri, e Luigi Beltram, come anche il Martirologio Domenicano impresso nel 1579.

3.° Il P. Cristoforo de la Vega Gesuita *Theologia Mariana* 1652. tom. 1°.

4.° Il P. Giuseppe Guarnizzo nel suo Memoriale all'Emo Cardinale Arciv. di Toledo D. Baldassare de Moscoso, e Sandovad pubblicato in Roma nel 1619.

5.° Il Dottor Diego Andrea Recha nella dissertazione canonica *de immaculata Deiparae Conceptione etc.* nel 1670.

6.° Monsignor Vescovo Fr. Payo de Rivera nel trattato *de probabilitate canonizationis Conceptionis.*

7.° Monsignor Vescovo di Osma D. Francesco de Sosa nel Manifesto impresso a Madrid nel 1617.

8.° Fr. Domenico Lossada Francescano Commissario Generale nell'Indie *Discussio Theologica super definibilitate proxima mysterii* 1733.

9.° P. Benedetto Piazza Gesuita nel lib. *Causa Immaculatae Conceptionis.*

10. Molti autori Domenicani, e molti Capitoli Generali hanno chiesto la definizione di questo mistero ai SS. PP. Alessandro VII e Gregorio XV. Vedasi Fr. Antonio de Frexo Vescovo di Cartagena nel manifesto di sua legazione a Roma per procurare la definizione stessa dai PP. Paolo V e Gregorio XV.

